

2
6
527







FVLGENTII FERRANDI OPERA.

FVLGENTII FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI OPERA

IVNCTIS FVLGENTII, ET CRISCONII, AFRICANORVM EPISCOPORVM OPVSCVLIS RELATIVIS,

Quorum omnium ſeriem proxima poſt dedicatorias pagina dabit.

PETRVS FRANCISCVS CHIFFLETIVS, *Presbyter è Societate IESV, pleraque ex antiquis codicibus aut nunc primùm protulit, aut emendauit: Notáſque adiecit.*



DIVIONE,
Apud PETRVM PALLIOT, Typographum Regis, & Epiſcopi Lingonenſis, Bibliopolam, & Calcographum, ſub ſigno Reginæ Pacis, ex aduerſo propylæi Cameræ Rationum.

M. DC. XLIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SERENISSIMIS REGIÆ STIRPIS

PRINCIPIBVS,

LVDOVICO BORBONIO

PRINCIPI CONDÆO,
PROREGI IN BVRGVNDIA,

ET

ARMANDO BORBONIO

PRINCIPI DE CONTY,
PROREGI IN CAMPANIA,

Fratribus incomparabilibus.

V*OS quoque ſpectat hæc particula paternæ hæreditatis* (PRINCIPES SERENISSIMI). *Quatuor ferè menſes abiere , ſupra annum ſolidum , ex quo detuleram Ferrandum noſtrum magno Principi* HENRICO BORBONIO , *veſtro noſtróque omnium* Optimo *Parenti : cùm eum ille iam anteà ſibi addixiſſet (quæ fuit eius bonitas , atque humanitas ſingularis), hortatuſque eſſet (tacito fortaſſe quodam imminentem obitum præſagientis animi motu) vt*

citò proferrem. Sed ne hactenus prodiret, fecit ratio stationis meæ. Intereà temporis, dum idoneum ac liberum prælum operi cudendo disquiritur, tacti sumus de cælo: euocatus est inquam ad beatam, vt speramus, immortalitatem vir Deo dignus; quo casu velut fulmine attoniti, vix tandem animum collegimus. Enimuerò interiectâ mora, dum Solis occasi fugitiuos radios oculis prosequor, persuasit dolor vt ad Ortum me obuerterem. Ecce autem, aperio parelia perquamspendida: duos nimirum orientes Soles, vsque adeò fulgidos, vt illum ipsum quem paulò antè subductum dolebam, in horum vtroque quasi rediuiuum agnoscere mihi viderer. Ita est (PRINCIPES GENEROSISSIMI). *Elucescunt in vobis paterna decora; ingenium perspicax, sinceritas antiquæ religionis, profanarum nouitatum detestatio, pietas in Superos, fides in Regem, proborum omnium amor: vt non tam eum nobis abstulisse, quàm in duos diffudisse videatur summus ille rerum arbiter, de quo verè dictum;*

Iob 5. 18. Ipse vulnerat, & medetur; percutit & manus eius sanabunt. *Tanti igitur Parentis non opum modò externarum, sed & multò potiùs animi ornamentorum scripti ex asse hæredes;* Ferrandum *quoque, qui iam in eius rem familiámque transi-*

erat, veſtrum eſſe agnoſcetis. Quo propiùs inſpecto (ſat ſcio) non vſque adeò vobis exiguus videbitur, quin eum æquâ lance, *quod aiunt, inter vos diuidendum iudicetis. Tu quidem* (LVDOVICE) *Paræneticum ad Reginum Comitem, tuum eſſe dices. Cùm enim illud Sapientis iam pridem animo tuo altè inſculpſeris*; Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium: *ac iam te munitiſſimarum arcium, vrbiúmque domitorem agnoſcat vniuerſus Orbis; habere te aſſeres è Ferrandi Parænetico quo etiam teipſum vincas. Te verò* (ARMANDE) *cùm non Gallicanus tantùm, ſed & Romanus omnis, atque Catholicus Clerus ſibi conceſſum diuinitus, & Sacræ Theologiæ peritiâ, & morum integritate prælucere fateatur; Ferrandi Breuiationem canonum tuam eſſe confirmabis, quam obnoxijs tuis rectè viuendi, rectèque ſentiendi normam conſtituas. Adijcies* (LVDOVICE) *placere tibi vel maximè hiſtoriam: eóque tibi res geſtas Fulgentij, diſertè à* Ferrando, *ſummâque fide conſcriptas vindicabis. Tu porrò* (ARMANDE) *ſacra dogmata laureis tuis Theologicis deberi contendes: adeòque Ferrandi Epiſtolas dogmaticas, ac eas in primis, quibus ille Africæ Genius & Iu-*

Prou. 16. 32.

*stiniano Imperatori, per Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum; & ipsis Romanis Pontificibus, per Anatolium & Pelagium Romanæ Ecclesiæ Diaconos facem prætulit, ad te nominatim pertinere comprobabis. Ita cùm sint Ferrandi operum quatuor ferè partes; parænetica, canonica, historica, dogmatica, binæ singulis vestrûm vt propriæ cedent: ac (si fraternas quoque ad horam degustare subinde libuerit) binæ alteræ vt commodatæ. Sic totus vtriusque erit Ferrandus, & totus singulorum. Illo perdiù fruimini (*PRINCIPES AVGVSTISSIMI*): & IESV Societatem, in cuius gremio adoleuistis, amare pergite: vt orbatæ, & ereptum sibi patronum, immò Parentem amantissimum lugenti solatium sit, duos ex vno se recepisse posse gloriari. Diuione, Kalendis Ianuarijs, anno æræ Dionysianæ M. DC. XLVIII.*

VESTRÆ CELSITVDINIS

Humillimus, & obsequentissimus in Christo seruus PETRVS FRANCISCVS CHIFFLETIVS, Presbyter è Societate IESV.

SERENISSIMO PRINCIPI

HENRICO BORBONIO

REGIÆ STIRPIS PRIMO PRINCIPI.

VEnit ecce nauigio in continentem noſtram Ferrandus Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconus, ſine formatâ Primatis. Illum ego ſiſto Tuæ Celſitudini (PRINCEPS SERENISSIME), diiudicandum ex canone: vt ſententiâ tuâ remittatur in Africam; immò, ſi lubet, in totum Orbem emittatur. Quidnì enim agellus meus, tui pridem iuris, has tibi primitias conſecret: & agnoſcant mea ſtudia, per quem tranquilla ſe & beata eſſe gloriantur? Magnum eſt (fateor) quòd te atauis editum Regibus, nunc regij ſanguinis primum Principem ſuſpicit Gallia: maius (audeo dicere) quòd religione, quòd ſapientiâ, quòd propriâ virtute tantâ excellis, quanta ſatìs eſſe poſſet vt in magnum Principem, etiam ex priuato euaderes. Nota omnibus loquor. Habet

in te vno Dei Ecclesia, & catholica Fides propugnatorem: habet Gallia his quoque difficillimis temporibus assertorem suæ felicitatis: habet Societas IESV (quid enim dissimulem?) & vindicem acerrimum aduersùs obtrectatores, & patronum potentissimum, & optimum parentem: habent in te azylum calamitosi, eruditi Mœcenatem, boni omnes præsidium ac solatium. Neque limitibus istis tua se continet virtus. Nubes sunt Principes quarum terrena origo, statio sublimis, & in subiecta terrarum sola pronus influxus. Ego te illam nubem cogito, diuino nutu coagmentatam, quæ bello Marcomannico legioni quondam Fulminatrici nomen fecit. Hæc, vt tu non ignoras, duobus exercitibus incubans, Romanis aquas impluit quibus reficerentur; barbaris fulmina intorsit, ac sulphuratas flammas, quibus conficerentur. Sic sanus es atque integer, vt non minùs exte improbi terroris, quàm boni fiduciæ concipiant. Senserunt nouorum in regno Christianissimo dogmatum auctores, fautoresque quid auctoritate, quid consilio, quid manu valeres. Et iis perdomitis, etiam ex te hausêre illa magnæ tuæ mentis simulacra spirantia, illi nominis tui ac religionis hæredes, quo eorum reliquias alter in populo, alter in clero exstin-

guat. Macte his studiis (PRINCEPS SERENISSIME): & viue, si Superis placet, vltra fila: nunquàm eripiendus reipublicæ, nisi vt inter Cœlites maior sis aliquando, quàm nunc esse agnosceris inter mortales. Diuione, IV. Idus Septembris, anno partæ salutis M. DC. XLVI.

TVÆ CELSITVDINIS

Humillimus, deuinctissimus, & obsequentissimus in Christo seruus
PETRVS FRANCISCVS CHIFFLETIVS, *Presbyter è Societate IESV.*

SYNOPSIS

Opuſculorum omnium huius voluminis.

FACVLTAS SVPERIORVM.

EGo IACOBVS DINET, Prouincialis Societatis IESV in Prouinciâ Campaniæ, poteſtate ad hoc mihi factâ ab Admodùm Reuerendo Patre noſtro Generali, Vincentio Carrafâ; concedo vt Fulgentij Ferrandi, Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconi Opera: & in ea Notæ à *P.* Petro Franciſco Chiffletio, Societ. IESV Presbytero conſcriptæ, atq; à deſignatis ex eâdem Societate viris eruditis lectæ & probatæ, typis excudantur. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, Diuione, 1. Februarij, anno Chriſti 1647.

IACOBVS DINET.

ALTERA FACVLTAS.

EGo LVDOVICVS MAGNETIVS, Prouincialis Societ. IESV in Prouinciâ Campaniæ, poteſtate ad hoc mihi factâ ab Admodùm Reuerendo Patre noſtro Generali, Vincentio Carrafâ; concedo, vt Fulgentij Ferrandi, Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconi Opera: & in ea Notæ à P. Petro Franciſco Chiffletio, Societatis IESV Presbytero conſcriptæ, atque à deſignatis ex eâdem Societate viris eruditis lectæ & probatæ, typis excudantur: & quidem à PETRO PALLIOT, Typographo Regis & Epiſcopi Lingonenſis Diuione, ad ſex proximos annos. Iuxta priuilegium eidem noſtræ Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij, 1611. conceſſum. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus, Diuione, 28. Iunij, anno Chriſti 1647.

LVDOVICVS MAGNETIVS.

VIII

SVMMA PRIVILEGII REGIS *Christianißimi.*

LVDOVICI XIV. FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGIS auctoritate sancitum est, & Patentibus eius Litteris cautum, ne quis in omni eius ditione, intrà septem proximos annos, à die absolutæ impressionis primæ numerandos, excudat, vendat, excudendum aut vendendum quouis modo & ratione curet; etiam obtentu idem opus auctius, vel emendatius, aut sub alio titulo edendi, Librum qui inscribitur; *Fulgentij Ferrandi, Carthaginiensis Ecclesiæ Diaconi Opera: & in ea Notæ à Petro Francisco Chiffletio, Societatis IESV Presbytero conscriptæ*; præter PETRVM PALLIOT, Bibliopolam & Typographum Diuionensem, aut cui ius suum ille concesserit. Qui secus fecerit, iis mulctabitur pœnis, quæ in regio diplomate expressæ continentur. Datum Parisiis, 27. Maij 1648.

Sic signatum, De mandato Regis,
CHERET.

Absoluta est prima impressio 6. Nouembris, 1648.
Tradita quoque exemplaria iuxta Priuilegij tenorem.

MANVSCRIPTI ALIQVOT CODICES quorum in Præfatione & in Notis meminimus, ex locis designati, vel ex possessoribus.

DE FERRANDO

EIVSQVE OPERIBVS,

aliquot Scriptorum teſtimonia.

FACVNDVS *Hermianenſis Epiſcopus, pro defenſione trium Capitulorum, lib.* IV. *Cap.* III.

ET Romana quidem vniuerſitas, atque Africa, priuſquàm ipſius Romani Antiſtitis acciperemus Epiſtolam, non paruo iam cognoueramus indicio quid de huius facti nouitate ſentirent. Nam venerabiles Pelagius & Anatolius Romani Diaconi, debitam officio ſuo & loco ſollicitudinem pro Eccleſiâ Dei gerentes, laudabilis in Chriſto memoriæ Ferrando Carthaginenſi Diacono ſcripſerunt, vt habito de hac causâ diligenti tractatu cum reuerentiſſimo eiuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopo, vel aliis quos & zelum fidei & diuinæ Scripturæ ſciret habere notitiam, conſulentibus rèſponderet quid obſeruandum in commune omnibus videretur. In ipſa verò conſultationis Epiſtolâ non tacetur, quòd hæc immiſſione Acephalorum (quos, vt diximus, Semieuthychianos ſignificantiùs appellare poſſumus) contra Calchedonenſe Concilium, & decreta Papæ Leonis, mota fuerint per eos, qui ſub nomine catholico ipſorum

parti ſtudium præbent. Sed & ille qui conſultus fuerat, reſcribens interrogantibus, retractandam non eſſe docuit Epiſtolam, quam vniuerſalis Synodus approbauit: quoniam ſi fieret, non ipſius tantùm, ſed omnium Conciliorum ſtatuta deducerentur in dubium.

VICTOR *Tunonenſis Epiſcopus, in Chronico, Poſt conſulatum Baſilij V. C. anno* VI.

FErrandus Carthaginis Eccleſiæ Diaconus clarus habetur.

ISIDORVS *Hiſpalenſis Epiſcopus, libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, Cap.* XIV. *in Fulgentio.*

AD Ferrandum quoq; Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconem, vnum de interrogatis quæſtionibus ſcripſit libellum.

AVCTOR *antiquus qui ad* XXXIII. *Scriptorum Vitas ab Iſidoro, &* XIII. *ab Ildefonſo editas Appẽdicem adiecit, Vitas* XIV. *continentem, hæc habet Cap.* XI. *quæ nos ex MS. codice emendatiora damus.*

FErrandus Carthaginẽſis Eccleſiæ Diaconus, multùm in ſacris Scripturis floruiſſe aſſeritur, multáſque cum Beato Fulgentio propoſitiones alternis Epiſtolis habuiſſe narratur. Iſte ad Pelagium & Anatolium Romanos Diaconos, conſulentes eum vtrùm liceat quemquam damnare poſt mortem, edidit reſcriptum, vbi inter alia ſic locutus eſt, dicens; *Quid prodeſt cum dormientibus habere certamen, aut pro dormientibus Eccleſiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis huius accuſatus & damnatus, antequàm mereretur abſolui de ſæculo raptus eſt, abſolui non poteſt vlterius humano iudicio. Si accuſatus & abſolutus, in pace Eccleſiæ tranſiuit ad Dominum, condemnari non poteſt*

humano iudicio. Si quis accusatus, ante diem sacerdotalis examinis repentina vocatione praeuentus est, intra sinum matris Ecclesiae constitutus, diuino intelligendus est iudicio reseruatus: de hoc nullus homo potest manifestam proferre sententiam. Cui si Deus indulgentiam dedit, nihil nocet nostra seueritas; si supplicium praeparauit, nihil prodest nostra benignitas.

CRISCONIVS *Episcopus, in Praefatione Breuiarij Canonici ad Liberinum Pontificem.*

QVo mihi suffugio interclusio item proposui, hoc Canonũ Breuiatum à viro reuerẽtissimo Ferrando, Carthaginensis Ecclesiæ Diacono iam fuisse digestum: & debere eum nostræ eruditioni sufficere, ne aliud exquirendo, eius prudentiæ deprehendamur in aliquo derogare. *Et cætera quæ habes infrà, pag. 25. & 26. vbi Ferrandum Crisconius &* venerabilem *&* sapientissimum virum *appellat: & eruditis tantùm scripsisse admonet; non etiam indoctis, qui ab eo citatos Conciliorum Canones aut numquàm legissent, aut nusquam reperire possent.*

SIGEBERTVS *Gemblacensis, libro de Viris Illustribus, Cap. de S. Fulgentio.*

REspondit vno libro quæstionibus à Ferrando Diacono sibi obiectis. *Tum capite sequenti.* Ferrãdus Diaconus suprà nominatus scripsit ad Reginum Comitem librum de septem regulis innocentiæ, & alia nonnulla.

IOHANNES TRITHEMIVS, *libro de Script. ecclesiasticis.*

FErrandus Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, ad quem S. Fulgẽtij supradicti nonnulla exstãt Opuscula, vir in diuinis Scripturis & studiosus & eruditus, & non minùs sanctitate conuersationis quàm doctrinâ venerabilis, fertur quædam viuacis ingenij cudisse volumina;

de quibus ad notitiam meam ſubiecta tantùm peruenerunt.

Ad Reginum Comitem, De VII. regulis innocentiæ liber I. *Socialis vitæ laboribus.*

Ad Sanctum Fulgentium Epiſtola I.

Epiſtolarum ad diuerſos liber I.

Claruit cum Fulgentio ſub Anaſtaſio Imperatore, anno Domini D.

CONRADVS GESNERVS, *in Bibliothecâ.*

FErrandus Diaconus Eccleſiæ Carthaginenſis, Fulgẽtij Ruſpenſis Epiſcopi ſynchronos, ſcripſit ad Reginum Comitem Paræneticum, qualis eſſe debeat Dux religioſus in actibus militaribus. Libellus excuſus Argentinæ, anno 1526. in octauo, chartis tribus & dimidiâ. erutus ex Bibliothecâ Hirſaugienſi. *Addit Joſias Simlerus, in Epitome Bibliothecæ Conradi Geſneri, editâ Tiguri* M.D. LXXIIII. Idem ſcripſit de ſeptem regulis innocẽtiæ librum vnum. Ad S. Fulgẽtium Epiſtolam vnam. Epiſtolarum ad diuerſos Librũ vnum. *Sed malè diſtinxit Simlerus librum de ſeptem regulis innocentiæ, à Parænetico ad Reginum Comitem: ſunt enim vnius eiuſdémque operis hi tituli duo.*

PETRVS PITHOEVS, *in Præfatione ad Breuiationes Canonum Fulgentij Ferrandi, & Criſconij.*

FErrandus Diaconus, à Sigeberto inter eccleſiaſticos Scriptores relatus, libello Regularũ ad Reginum Comitem meminit Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi, vt nuper vitâ functi: quod vtrumque circà Anaſtaſij Imp. tempora vixiſſe arguit. Et fortaſſis eiuſdem Ferrandi non immeritò alicui videatur narratio illa de vitâ Ruſ-

pensis Fulgentij, quæ inter Sanctorum historias edita est. Sed & hic Canonum Indiculus, quem ex insignis Ecclesiæ Tricassinorum nostrorum codice nunc primùm edimus, omnium (quantùm quidem opinamur) eius instituti antiquissimum: cui saltem debebit Gratianus restitutionem loci sui, hactenus vel in Romanâ illâ recognitione grauiter laborantis; quem ex vno Ferrando tandem aliquando ita sanandum didicimus. *Sed sicut in Breuiatione Canonum Fulgentij Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi inuenitur, in Ceptimunicensi Concilio, & in Macrianensi statutum est, vt ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium.*

Distinct. LXIII.

ROBERTVS BELLARMINVS, *libro de Scriptoribus ecclesiasticis, ad annum Christi* 504.

FErrandus Diaconus Carthaginensis, eodem tempore scripsit Paræneticum ad Reginum Comitem, qui extat in Bibliothecâ Patrum, tomo V. editionis secundæ. Scripsit etiam Epistolas, quæ extant Romæ impressæ. Scripsit denique breue Compendium sacrorum Canonum.

ANTONIVS POSSEVINVS, *in Apparatu sacro.*

FErrandus Diaconus Carthaginiensis, qui S. Fulgentium vtì magistrum magno in honore habuit, tēpore Felicis Pontificis Maximi, anno D. XXIX. claruit: & ad quem consulendum de arduis quæstionibus cùm plerique vndique scriberent, varia reliquit: licèt non omnia consecuti simus integra.

Epistolam ad Anatolium & ad Pelagium, Diaconos Romanos, vtrùm liceat damnare quemquam post mortem.

Epiſtolam ad Seuerum Scholaſticum Conſtantinopolitanum.

Epiſtolam ad B. Fulgentium, quæ extat inter Opuſcula S. Fulgentij, nouiſſimè à Plantino excuſa.

Epiſtolam Anſelmo Archipræſuli Midiolanenſi, quæ addita eſt ad calcem Opuſculorum eiuſdem Ferrandi, quæ Romæ emiſit in lucem Achilles Statius Luſitanus, anno Domini 1578.

Paræneticum ad Reginum Comitem, qualis debeat eſſe Dux religioſus in actibus militaribus, ſiue, de ſeptem regulis innocentiæ.

Breuiarium Canonum diuerſorum Conciliorum: ſic enim Creſconius eam Collectionem eorumdem Canonum nominauit, quam Ferrandus elaborauerat.

Vixit anno 500. & quod excurrit.

CÆSAR BARONIVS *Tomo V. Annalium eccleſiaſticorum, Anno Chriſti 419. numero XC.*

CVius quidem rei locuples teſtis accedit Ferrandus Diaconus Carthaginenſis Eccleſiæ, qui in huius ſæculi fine magno ſplendore claruit; non Carthagine tantùm, ſed in vniuerſâ Eccleſiâ Africanâ. Hic quidem in ſuo Breuiario, ſeu concordantiâ Canonum, quam diligenter elucubratam trecentis diſtinxit capitibus, eorumdem Canonum* mentionem habet, recenſens eos ſub titulo Concilij Sardicenſis, Immò ipſe rectè interpretatus, alteri eorum huiuſmodi præfixit titulum. De prouinciali Synodo retractandâ per Vicarios Epiſcopi Vrbis Romæ, ſi ipſe decreuerit. *Meminit quoque huius Breuiarij Baronius, anno Chriſti 527. num.* LXXVI. *Mirum eſt autem, virum doctiſſimum Ferrandi & Creſconij Bre-*

** Breuiarium Ferrandi cap. 149. 153. apud Creſconium.*

uiaria à se inuicem non discreuisse. Cùm enim Cresconij duo sint opera Canonica, sub vno Concordiæ Canonum communi titulo cõprehensa in antiquis exemplaribus: alterum Breuiarium, trecenta continens breuissima rerum capita: alterum Collectio integrorum Canonum, ac Decretorum, eo ordine quo in priori Opusculo tantùm citantur (quæ Collectio in codice Trecensi inscribitur Liber Canonum) *: prius illud Breuiarum Ferrando adscripsit Baronius. Atqui certum est, Breuiationem Canonum Ferrandi, esse capitum dumtaxat* CCXXXII. *& à Cresconianâ omnino diuersam.*

IDEM BARONIVS, *anno Christi* 529. *num.* IX.

COluit mirificè Sanctum Fulgentium ipse Ferrandus Diaconus vt magistrum: nam & in Epistolâ ad ipsum scriptâ se eius esse discipulum profitetur, dum eumdem magistrum appellat: dignus planè tanto instituto re discipulus, licèt non talis qui æquauerit præceptorem. Cæterùm & magno nomine ipsum Ferrandum hoc tempore claruisse, & de quæstionibus consuli solitum difficillimis, Epistolæ ipsius quæ extant, redditæ ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum, & quæ ad Seuerum Scholasticum Cõstantinopolitanum sunt scriptæ satìs docent. Sed & quam posteà ad Pelagium, & ipsum Anatolium Romanos Diaconos scripsit (vt tradit Isidorus) num liceat aliquem condemnare post mortem, licèt ipsa desideretur Epistola, quantæ tamen fuerit æstimationis æquè significat.

De Viris Illustr. cap. 16.

IDEM BARONIVS, *anno Christi* 533. *num.* XXVIII.

TVnc temporis Anatolius S. R. E. Diaconus consuluit Ferrandum Diaconum Carthaginensis Ecclesiæ, discipulum S. Fulgentij, virum huius temporis

doctrinâ insignem, quæ ipsius esset de propositâ quæstione sententia. Num videlicèt absque aliquâ licèt leui fidei orthodoxæ offensione, dici posset vnus de Trinite passus in carne. Ad quem idem Ferrandus prolixam satìs, atque eruditam Epistolam scripsit, haud pridem editam vnà cum aliis eius Opusculis, ab Achille Statio Lusitano. Quâ cùm multa de Verbi incarnatione disseruisset, vbi ad quæstionem de quâ est controuersia venit, hanc firmat conclusionem; Rectè dici vnum de Trinitate passum; sed securiùs addi, passum in carne.

IDEM BARONIVS, *eodem anno Christi* 533. *num.* XXX.

SCripsit verò idem Ferrandus eodem argumento aliam Epistolam ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum, quæ licèt minimè integra habeatur, satìs suppleri potest ex dictâ ad Anatolium Diaconum Epistolâ. Sicut ergo Ferrandus monuit, ita factum à Iustiniano Imperatore apparet: vt cùm assereret vnum de Trinitate passum, multa præmiserit, & rursus multa subiecerit, quæ omnem possent de subdolâ captione suspicionem auferre. Vt non mirum sit si ipsius Imperatoris confessio, à Romano Pontifice post anni vnius agitatam controuersiam recepta fuerit atque probata; vt videbimus ex litteris eiusdem Pontificis ad ipsum redditis anno sequenti.

PETRI

PETRI FRANCISCI CHIFFLETII Societatis JESV Presbyteri, ad Lectorem Admonitio de Ferrando, & Libris ab eo conſcriptis.

FVlgentius Ferrandus (quem Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi aut affinem fuiſſe, aut conſanguineum, & prænomen, & ſancti Præſulis modeſtè ab eo commemoratum genus illuſtre pene perſuadet) cùm in clero Africano, Regis Vandalorum Traſamundi edictis apud Sardiniam exularet, ſalutiferis Epiſcopi Fulgentij monitis ad monachorum profeſſionem conuerſus; ibi (vt ipſe ait in eius Vitæ Præfatione) diebus ac noctibus ante eum poſitus vixit: *quando* (inquit) *me ſuper mel & fauum dulciora cœleſtis eius eloquij flumina frequenter irrigabant. Et niſi ſterilitas arentis ingenij præpediret, centeſimum fructum gleba noſtri pectoris attuliſſet. Sed indignus ego, de tantâ plenitudine vix exiguam capere valui portionem.* Erat enim Beatus Fulgentius (vt ait, Vitæ Cap. XX.) *ita cupidus ſemper acquirendæ ad cœnobium fraternitatis, vt quamuis omnibus omnia noſſet eſſe, monachorum tamen profeſſioni ſociare cunctos & optaret & vellet.* Porrò de fundatione monaſterij, cui ſe Ferrandus addixit, iuxta ſancti Martyris Saturnini baſilicam Caralitanam, ac de eius ſanctiſſimâ diſciplinâ ipſe pluribus agit, Vitæ S. Fulgentij Cap.XXVII. Cùm autem

Hilderico poſt Traſamundi obitum regnare aggreſſo, catholicæ Eccleſiæ in Africâ libertas reſtituta eſt, ac reuocatis vndequaque extorribus Fulgentius Epiſcopus (vt habet eius Vita, Cap. XXIX.) *probatos ſibi multos ex fratribus monachis ad eccleſiaſticam militiam tranſtulit*; tum verò in clerum Carthaginienſem adſcitus eſt Ferrandus: ſiue quòd ex eo tranſiiſſet ad monachos Caralitanos, ſiue certo vel Bonifacij Carthaginienſis Primatis eum depoſcentis, vel Fulgentij dimittentis conſilio, vt ab eâ totius Africæ metropoli vberiores fructus è magnâ illâ mẽte in omnes Eccleſias redundarent. Nec ſpes fefellit: ibi enim Diaconi Carthaginienſis dignitate auctus, ac veterem ſuum magiſtrum Fulgentium de grauiſſimis difficultatibus ſubinde per litteras conſulens, & Canonum Breuiarium digeſſit ad cleri conſtituendam diſciplinam, & alia ſcripſit de fide ac moribus, ob quæ nemo rerum æquus æſtimator dubitauerit, quin cùm Beatum Fulgentium ſexaginta quinque & ampliùs Epiſcoporum exulantium *linguam* atque *ingenium* meritò appellauerit; ipſe Africanæ totius Eccleſiæ & lingua, & ingenium, & manus appellari mereretur. Cæterùm quòd Ferrandus clericis licèt Carthaginienſibus adſcriptus, tamen Fulgentij magiſtri ſui exemplo, vitæ monaſticæ aſperitatem quoad licuit retinuerit, ſatìs ipſe ſignificat ſub initiũ Epiſtolæ ad Seuerum Scholaſticum Conſtantinopolitanum; *Beatum* inquiens, *me profectò tunc æſtimabo, quando poſitus in ſilentio monaſterij, illum verſiculum Pſalmi per momenta cantauero; Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ.* Qui an in Sãctorum canonem ritu ſollemni aliquando fuerit rela-

Vitæ S. Fulgentij Cap. 20.

Pſal. 38. 1.

tus, affirmare non auſim; quia Martyrologium ſiue Hagiologium nullum vidi quod eius meminerit. Sed neque auſim negare, cùm nonnulla eius opera in peruetuſtis membranis, *Sancti Ferrandi* titulo prænotentur: liceâtque colligere vel ex eius ſcriptis, fuiſſe illum (vt ait Trithemius, libro de Scriptoribus eccleſiaſticis) *non minùs ſanctitate conuerſationis quàm doctrinâ venerabilem*: ac mirum videri non debeat, ſi nullis in ſacris Faſtis inſcriptum eius legatur nomen: cùm ſub eius obitum Africanas Eccleſias trium Capitulorum diuturna tempeſtas mirè perturbarit: & ſecundùm hanc haud longo interuallo, Africâ potiti Arabes, ſacros codices, Eccleſiarum archiuia, & Chriſtianæ religionis veſtigia omnia penitùs eraſerint. Libri autem quos conſcripſit hi à nobis comperti ſunt.

I. Breviatio Canonum, cuius editionē Pithoeanam plurimis locis emendauimus ex codice Corbeienſi: qui certè codex propter catalogum quem exhibet Romanorum Pontificum, deſinentem in Vigilio Papâ, olim nobis videbatur, ipſius Vigilij tempore, ipſóque fortaſſe Ferrando adhuc in viuis agente deſcriptus. Sed quia codex idem, eâdem manu exaratum continet Breuiarium Fidei aduerſùs Arrianos (quod anonymum edidit Sirmondus noſter, licèt eius auctorem Iulianum Coenſem Epiſcopum ſuſpicetur) cuius prima verba. [*Errare hæreticos hæc maximè cauſa facit*]; vltima, *non ei remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*] & hoc opus poſtmodùm reperimus in codice Cartuſiæ Portarum, inſcriptum: *Liber Alcuini Diaconi contra Arrianos*: exiſtimauimus, illum catalogum deſcriptum

fuiſſe recentiori æuo, ex antiquiore exemplari quod ipſo ſedente Vigilio Papâ confectum fuerat. Nec ex hoc Fidei Breuiario hauſiſſe Eugenium aut Idacium, ſed ex his potiùs auctorem eius Alcuinum. Alioqui peruetuſtus eſt codex ille Corbeienſis, & ipſi (vt videtur) Alcuino aut æqualis aut ſuppar. Habet autem Canonum Breuiatio in eo codice, præfationis loco Conſtitutionem Theodoſij & Valentiniani Auguſtorum ad Virum Præfectum prætorio, quam coniecit Sirmondus noſter in Appendicem Codicis Theodoſiani, numero XX. ſub titulo: *De accuſatione Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi: & quòd obnoxios cum illis ambulantes retinere non liceat.* Nos eam à Ferrandi inſtituto non alienam putauimus: moti antiquitate codicis, qui ei Conſtitutioni titulum præſcribit: *Incipit Præfatio Canonum Fulgentij Ferrandi * Eccleſiæ Carthaginenſis.* Tum ad finem Conſtitutionis: *Incipit Breuiatio Canonum*: non iterato Ferrandi nomine. Cùm autem ſit vero ſimillimum, hos Canones iuſſu Bonifacij Carthaginenſis Primatis à Ferrando Diacono collectos fuiſſe, ad reſtituendam cleri Africani diſciplinam, ſtatim poſt Epiſcoporum & clericorum reditum ab exilio, adeóque circiter annum Chriſti DXXIV. ſpectaſſe videtur ea ſanctio Canonibus præfixa Hildericum Regem; vt qui Eccleſiæ Africanæ pacem reſtituerat, etiam ad ſua iura ac priuilegia clericis ſeruanda, Valentiniani Auguſti aui ſui materni exemplo incitaretur: natus quippe Hunerico Regi ex Eudociâ Valentiniani filiâ. Sed & clericis ſolatio eſſe potuit idem ipſum proloquium: vt haberent nimirum in eodem Opuſculo & quos ſeruarent Canones, &

* Deeſt vox *Diaconi.*

Principum edictum quo seruari se, suique maximam rationem haberi intelligerent. Neque verò audiendi sunt qui ex eo quòd huius Breuiarij auctor, non è Canonibus Apostolorum (quos primus Papa Gelasius recipiendos sanxisse dicitur) non è Calchedonensi aut Ephesino Concilijs quidquam retulit, diuersum eum suspicantur à Ferrando qui S. Fulgentij æqualis fuit; ac eius Collectionem Dionysianâ antiquiorem esse decernunt: quod vltimum disertè asserit vir summæ eruditionis Cardinalis Perronius, in Opere contra responsionem Regis magnæ Britanniæ, lib. I. Cap. XLVIII. paginâ 407. & 426. Probare enim primùm deberent, Sufetulense, Septimunicense, Macrianense, Iuncense, Marazanense, & Thenitanum à Ferrando laudata Concilia, Gelasio recentiora non esse; quod vix efficient, cùm ea ex vno pene Ferrando nobis nota sint. Deinde vt constaret antiquiores esse has Synodos ipsâ Ephesinâ, pari ratiocinatione hi concluderent, sub Gelasij tempus, circa annum Christi quingentesimum, conscriptam esse à Cresconio Concordiam Canonum; quia in eâ nullus Pontifex, nulla Synodus Gelasio posterior adnotatur. Habemus tamen hanc eius Operis inscriptionem ex codice Vaticano (apud Baronium, anno Christi 527. num. LXXVI.) *Concordia Canonum, à Cresconio Africano Episcopo digesta sub capitibus trecentis. Iste bella & victorias, quas Iohannes Patricius apud Africam de Saracenis gessit, hexametris versibus descripsit.* Porrò Cedrenus has à Iohanne Patricio reportatas victorias refert ad annum tertium Leontij Imperatoris. Alios etiam temporum characteres addit Anastasius Biblio-

thecarius, in Hiſtoriâ eccleſiaſticâ quam Iohannis Leuitæ hortatu contexuit. *Mundi*, inquit, *anno ſexies milleſimo, C. XC. diuinæ Incarnationis DC. XC. anno verò imperij Leontij tertio, acie Arabes in Africam motâ, hanc obtinuerunt: & ex proprio exercitu taxatos in eâ quoſdam conſtituerunt. Quibus compertis Leontius mittit Iohannem Patricium, virum idoneum, cum omnibus Romaicis claſſibus. Qui cùm Carthaginem perueniſſet, & bello catenam portus eius aperuiſſet, inimicóſque in fugam conuertiſſet; hos viriliter inſecutus, vniuerſa liberauit Africæ caſtra: relictíſque proprijs obſeruatoribus, hæc Imperatori ſuggeſſit, ibidémque hyemauit.* Anaſtaſii hæc Hiſtoria, cuius nacti ſumus è Cartuſiâ Portarum antiquum & probæ notæ exemplar, tribus conſtat partibus, è trium Scriptorum non toto ſæculo ei ſuperiorum Græco contextu Latinè redditis. Prima eſt, Chronographia Nicephori Conſtantinopolitani Epiſcopi, ab Adamo vſque ad necem Michaëlis, filij Theophili & Theodoræ, qui occiſus eſt in palatio Sancti Mamantis. Secunda, ex Georgio Monacho, Taraſij Patriarchæ Conſtantinopolitani Syncello, à Iulio Cæſare ad Diocletiani exordia. Tertia, ex Theophane Abbate in monaſterio Agri, à Diocletiano *vſque ad Leonem qui poſt Michaelem imperauit, patrem ſcilicet Ignatij qui adhuc ſupereſt* (inquit in Præfatione Anaſtaſius) *habenas Conſtantinopolitanæ tenens Eccleſiæ.* Dignum opus quod regiis typis lucem accipiat inrer Scriptores Hyſtoriæ Byzantinæ. Neque verò vel Anaſtaſij, vel Græcorum ex quibus hauſit, chronologiam hìc executio. Tantùm moneo, ſummam annorum à Chriſti Incarnatione, apud Anaſtaſium toto octennio eſſe minorẽ noſtrâ vulgari, ſeu

Dionysianâ. Quare, bellum hoc Saracenicum in Africâ, quod adscribit anno Christi DCXC. ad annum referri debet æræ nostræ DCXCVIII. Fuit igitur Cresconius omnibus à se laudatis Canonibus vel Decretis posterior ānis ferè ducentis. Quidni & de Ferrando simile quid opinemur? Nimirum παλαιόφιλοι sunt eruditi pleriq; : amāt præ cæteris quæ de longinquo accersunt antiquorum testimonia. Id spectauit Ferrandus, non vt omnes ante sua tempora editos Canones colligeret, sed eos dumtaxàt qui pro tempore ad cleri Africani disciplinam sufficerent. Frustrà igitur duos Ferrandos, alterum altero antiquiorem cogitemus. An verò ante Dionysium Abbatem Ferrandus Canones suos collegerit, planè incertum est; cùm vterque vixerit tempore eodem, neuter Operi suo certum temporis characterem appinxerit. Cæterùm, Cresconij Breuiarium Canonicum, quod coniunctim edidit Pithoeus, nos quoque à Ferrando minimè separandum putauimus: vt alteri ab altero lux affulgeret. Dedimus autem ex manuscriptis codicibus integritati suæ restitutum: prodierat enim hactenus, & ordine capitum aliquot locis turbato, & fallacibus numerorum notis aspersum, adeóque ad eruditorum vsus perquamincommodum. Atque à margine adnotauimus quibus Epistolis, aut Epistolarum segmentis pontificia Decreta respondeant: vt cui ad manum non esset vetus illa, quam sequitur Cresconius, Decretorum Collectio, ea saltem prompta haberet in vulgatis Pontificum Decretalibus, quæ in Tomis Conciliorum certis distinctæ numeris, manibus omnium teruntur. Neque verò instituti mei esse duxi, in hæc nominatissima duo

Canonum Breuiaria perpetuum Commentarium moliri: cùm in omnes aut plerosque eorum Canones, exstarent eruditorum virorum multiplices Obseruationes: præsertim Seuerini Binij in Tomis Conciliorum: Christophori Iustelli in Codicem Orientalem, & in Canones Africanos: Flauini Francisci de Hautesere, in Notis & Animaduersionibus ad hos ipsos Ferrandi & Cresconij Indiculos: vt iam hic Antonium Augustinum, aliósque Iuris Canonici Interpretes non cōmemorem. Mihi curæ fuit parêre edicto veteri, ne nimius essem, neuè dicta dicerem. Quare, pauca de multis attigi: nominatim vt ab antiquarijs vitiata loca restituerem: quo in negotio, aliorum studia desiderari intelligebam: atque vt ad Africanæ veteris Ecclesiæ statum aliquid lucis afferrem.

II. Epistola ad Fulgētium Ruspensem Episcopum, De duabus quæstionibus super salute Æthiopis catechumeni, baptizati cùm iam vi morbi esset mentis impos, ac non perceptâ Eucharistiâ mortui. Cui & Fulgentij responsionem subiunximus. Ambas ex editione Iacobi Sirmondi nostri, qui primus eas in lucem protulit anno M. DC. XII. vnde in sequentes aliquot Fulgentij editiones deriuatæ sunt.

III. Epistola ad eundem Fulgētium, De quinque quæstionibus. Prima, an personæ Trinitatis sint omnino inseparabiles. Secunda, an diuinitas dici possit nata & passa. Tertia, vtrùm anima Christi habeat plenam seu comprehensiuam de deitate notitiam. Quarta, cur dicat Ecclesia in orationibus; *Per Iesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in vni-*

tate

tate Spiritus sancti. Quinta, de duplici calice vltimæ cœnæ apud Lucam. Ad quas quæstiones prolixa, & Fulgentij ingenio digna exstat responsio, quam nos ex codice peruetusto S. Augendi seu S. Claudij Iurensis, atque etiam ex codice Thuano (quem, & alios eiusdem nominatissimæ Bibliothecæ complures, clarissimorum virorum Puteanorum fratrum humanitate ac beneficio nacti sumus) non modò emendatiorem, sed etiam tertiâ ampliùs parte auctiorem damus.

IV. Epistola ad Eugippium Presbyterum, De Trinitate, ac de duabus Christi naturis. Hanc à fine, vt videtur, truncatam damus ex editis, nullum è manuscriptis codicibus ad eam perficiendam subsidium nacti. Cùm autem Arrianismum præcipuè petat, sitqúe in eâ mentio quæstionis ab Arriano Comite propositæ, eò coniecturâ feror, scriptam esse Vandalis adhuc in Africâ rerum potientibus: & quidem regnante Hilderico, cuius erga Catholicos propensio viam catechesi aperiebat: adeóque ante annum Christi DXXXI. quo Hildericus à Gilimere pulsus & regno spoliatus est.

V. Epistola ad Seuerum Scholasticum Cōstantinopolitanum, Quòd Dominus noster Iesus Christus, sit vnus de sanctâ & indiuiduâ Trinitate. Vnum ex Trinitate, siue de Trinitate, passum esse iactabant captiosè Eutychiani, quorum hæresis erat [vt refert Prosper in Chronico, ad consulatum Asterij & Protogenis] *Jesum Christum Dominum nostrum, Beatæ Mariæ Virginis Filium, nihil maternæ habuisse substantiæ: sed sub specie hominis, solam in eo Verbi Dei fuisse naturam.* Quare, cùm eò spectarent Eutychiani, vt in professionem fidei Beati Papæ

Leonis, & Synodi Calchedonensis inculcaretur, quòd vnus de Trinitate natus & crucifixus esset; eam propositionem non vt falsam, sed vt superfluam, ac pro tempore periculosam reiecerunt, primùm Dioscorus Diaconus, alijque Hormisdæ Papæ Legati, anno Christi DXIX. Constantinopolim missi: deinde Hormisdas ipse datis ad Iustinum Augustum, & ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum litteris, Valerio V. C. Consule, hoc est, anno Christi DXXI. Hinc magnæ exortæ procellæ, etiam inter Catholicos; alijs alia vel ad euertendam, vel ad stabiliendam eam assertionem excogitantibus: donec Iohannes Papa II. cognomento Mercurius, Epistolâ ad Illustres viros, Auienum, Senatorem, & alios datâ anno Christi DXXXIV. illam verissimam esse, nec timidè ab orthodoxis omnibus profitẽdam declarauit. Præcedenti anno DXXXIII. Iustinianus Augustus tertiùm Consul, propositionem eamdem Edicto suo de fide catholicâ iam illigauerat, simúlque Epistolæ mense Martio ad Iohannem Romanum Pontificem datæ, suam fidei professionem continenti. Quod antequàm faceret, censeo eum quis esset Africanæ Ecclesiæ super eâ re sensus cognoscere voluisse. Itaque responsionem Ferrandi ad Seuerum Scholasticum Constantinopolitanum, à quo de hac ipsâ quæstione interrogatus fuerat, refero ad annum Christi DXXXII. cùm adhuc viueret Fulgentius Episcopus: quem sub initium Epistolæ tacitè queri videtur, non potiùs quàm se de tanti momenti controuersiâ conueniri. Porrò hanc Ferrandi ad Seuerum Epistolam hactenus mendis obsitam, & aliquot periodis à

fine mutilam ; nunc integram expurgatámque tibi (Lector) porrigimus, ex codice S. Augendi : atque etiam ex codice Carmelitanorum Discalceatorum conuentus Claromontani apud Aruernos ; de singulari humanitate ac beneuolentiâ R. P. Thomæ Aquinatis à S. Iosepho, eiusdem Ordinis Discalceatorum, viri eruditione celebris.

VI. Paræneticvs ad Reginum Comitem, Qualis esse debeat Dux religiosus in actibus militaribus : qui & inscribitur, De septem regulis innocentiæ. Hoc opus hactenus mirè perturbatum, ac deformatum mendis, natiuo suo decori ex eodem de quo suprà, S. Augendi codice restituimus. Scriptum est autem haud multò post obitum S. Fulgentij, quem die Sabbati, Calendis Ianuarijs, anni æræ Dionysianæ DXXXIII. contigisse ostendemus in Notis. Præmisimus huic Parænetico Epistolam Beati Fulgentij, Vtrùm caro Christi corruptibilis an incorruptibilis fuerit ; quæ est responsionis ad quæsita Regini Comitis pars prior.

VII. Epistola ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum, De duabus in Christo naturis, & quòd vnus de Trinitate natus passusque dici possit. Ante annos duodecim cum Hormisdâ Papâ censuerant, vt par erat, Romani non esse admittendum in fidei formulam, quòd vnus de Trinitate aut natus aut passus sit : quia nimirum id superuacaneum videbatur, metúsque erat ne assumptâ à Catholicis illâ Eutychianorum quasi tesserâ, ad hos ab infirmioribus animis defectio fieret. Vt primùm ergo ad eos perlata est Iustiniani Augusti quæ id contineret fidei professio, perculit videlicèt Roma-

nos rei nouitas, quam ſi approbarent, ſecum ipſi pugnare viderentur. In eo ambiguo conſulendos Afros cenſuerunt. Ergo datis eius argumenti ab Anatolio ad Ferrandum litteris reſpondit hac Epiſtolâ Ferrandus; Tutò, rectéque dici vnum de Trinitate natum & paſſum, ſi addatur, *in carne aſſumptâ.* Quâ etiam cum cautione diuinitatem natam paſſámque affirmari poſſe contendit: de quâ loquendi ratione diſtinctiùs admonebo in Notis. In hac Ferrandi Epiſtolâ ad S. Augendi & Aruernenſem codices recenſitâ magnam lacunam compleuimus. Data autem videtur eo ipſo anno Chriſti DXXXIII. quo & Edictum Iuſtiniani de fide catholicâ, tertio eius conſulatu notatum.

VIII. Vita S. Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi. Hanc (quæ hactenus anonyma prodiit) à Ferrando conſcriptam eſſe mea iam olim coniectura fuit; quam & poſteà deprehendi placuiſſe viro doctiſſimo Petro Pithoeo, in in Præfatione Breuiariorum Ferrandi & Creſconij. Sed & Aubertus Miræus in Bibliothecâ eccleſiaſticâ; *Sunt*, inquit, *qui putant, ab eodem Ferrando Diacono conſcriptam eſſe vitam* S. *Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi, quæ in omnium eſt manibus.* Quin etiam in codice Cartuſiæ Portarum recenſetur Vita S. Fulgentij Epiſcopi, proximè ante lucubrationes alias Ferrandi, ad Reginum, ad Seuerum, ad Anatolium, ad Pelagium: præclaro indicio quod ex eâdem officinâ Vita quoque illa prodierit. In eam verò ſententiam inſuper his inclinor rationibus. Primùm, in Epiſtolâ de quinque quæſtionibus Ferrandus Fulgentium *abſentem magiſtrum* ſe compellare profitetur: quod veluti explicat in Prologo vitæ Ful-

gentij, cùm se in eius disciplinâ vixisse refert in monasterio Sardiniæ Caralitano. Deinde libros à S. Fulgentio elaboratos pluribus locis enumerans, nusquam meminit datarum ad se Epistolarum de duabus aut de quinque quæstionibus, nusquam Epistolæ ad Reginum Comitem ab eo paulò ante obitum conscriptæ, quam ipse telam pertexere dignus iudicatus est. Hæc scilicet silentio pressit ex modestiâ, quæ alius à Ferrando non prætermisisset. Ad hæc, cùm nō dicat se vel supremo Fulgentij morbo, vel funeri præsentem adfuisse (quod alioqui non esset omissurus), hoc in Diaconum Carthaginiensem rectè conuenit, qui procul Ruspâ degeret. Denique si voces singulas, si commissuras & vincula orationis, si crebra similiter cadentia, totámque in eâ Historiâ styli faciem propiùs spectes, & cum non dubijs Ferrandi Operibus compares, dices (opinor) non esse ouum ouo similius. Istam igitur Fulgentij Vitam, Ferrandi (vt censeo) genuinum opus, acceptam è propylæo editionis Parisiensis Operum Fulgentij, contuli cum eâ quam Ioannes Bollandus noster, ex plurimis exemplaribus meliorem factam, Ianuario suo intexuit: necnon & cum bonæ notæ manuscripto codice Diuionensi. Scriptam autem puto anno transacto post mortem Fulgentij, nempe anno Christi DXXXIV. cùm iam consecratus esset in Ruspensem Episcopum Felicianus, Calendis Ianuarijs cum Dominicâ concurrentibus, ipsâ die anniuersariâ obitus sui decessoris.

IX. Epistola ad Pelagium & Anatolium Diaconos Vrbis Romæ, pro Epistolâ Ibæ Episcopi Edesseni, adeóque pro tribus Capitulis Concilij Calchedonensis,

aduersùs Acephalos. Damnato Eutyche in Concilio Calchedonensi, anno Christi CDLI. Marciano Augusto & Adelphio Consulibus, suborta est pedetentim ex Eutychianis noua hæresis Acephalorum. Hi scilicet (vt ait Facundus Hermianensis, Lib.I. Cap.V. & Lib. IV. Cap. III.) *Semieutychiani*, & *Eutychianorum schismatici*, cùm se Catholicos mentirentur, atque ab Eutychianis paululùm discrepantes Eutychem Ducem suum caputqúe pernegarent, eo Acephali nuncupati sunt. Horum fautor Theodorus Cæsaræx Cappadociæ Episcopus, idemque Origenista,non concoquens quòd agente Pelagio Romanæ Ecclesiæ Diacono, & Constantinopolim misso Apocrisiario, Origenes nouo Iustiniani Augusti decreto damnatus esset, eam contumeliam talione expiandam ratus, circumuentum Iustitianum eò impulit, vt Theodorum Mopsuestenum, Theodoretum Cyrri, & Ibam Edessenum Episcopos in Synodo Calchedonensi probatos, publico edicto damnaret : spe præsertim iniectâ, si id fecisset, breui (quòd non contigit) Acephalos ad catholicam Ecclesiam redituros. Eo edicto Romæ promulgato sub reditum Pelagij, anno Christi DXLVI. Pelagius ipse, & Anatolius Romani Diaconi, datis eo de negotio ad Ferrandum litteris, responsum tulere; nullam placere Concilij Calchedonẽsis retractationem .Non esse noua de mortuis ferenda iudicia. Neminem per subscriptiones plurimorũ Libro suo quærere debere auctoritatem. Quâ Epistolâ illi prælusit Africanorum Antistitum inuicto robori, quo exilium & extrema quæque pati elegerunt, quàm temerariam Principis sanctionem sub-

ſcriptione firmare. Hanc Epiſtolam perquameruditam (cuius eſt illuſtris mentio apud Facundum, & in Appendice Iſidori) huc vſque ſummè expetitam, nunc primùm ex codice S. Augendi, & ex Aruernenſi ſuprà memorato in lucem edimus: in quâ cùm nihil inueneris de Theodoro Mopſueſteno, aut Theodoreto, ſed tantùm de Epiſtolâ Ibæ, non tamen dubites velim quin omnium trium Capitulorum defenſionem contineat. Etenim cùm Ibas in eâ Epiſtola & Theodorum Mopſueſtenum laudet magnopere, & ipſis Theodoreti aculeis Cyrillum Alexandriæ ſanctum Antiſtitem perſtringat, apparet, vnam hanc Epiſtolam trium de quibus agitur Capitulorum argumentâ fuiſſe complexam. Porrò de totâ trium Capitulorum hiſtoriâ, præter Liberatum in Breuiario, Facundum Hermianenſem, & Victorem Tunonenſem in Chronico, egit copiosè & accuratè Baronius in Annalibus. Quam tragœdiam qui diligenter ſpectauerit, intelliget, non alio fortaſſe vſum vmquam malũ dæmonem nequiori ſtratagemate, quo Eccleſiæ catholicæ turbaret quietem, pacemqúe conuelleret. Ac neſcio an non in iſtâ, quæ maximè in Africâ deſæuijt tempeſtate, Ferrandus ipſe aut exul (vt alij quamplurimi) aut intrà domeſticos parietes mœrore confectus occubuerit. Certè Facundus per ea tempora ad Iuſtinianum Imperatorem ſcribens, dum Libro IV. Cap. III. de Ferrando *laudabilis in Chriſto memoriæ* mentionem facit, iam tum illum è viuis exceſſiſſe haud obſcurè ſignificat.

Præter hæc, aliud Ferrandi Opus nullum nouimus. Nam Epiſtola ad Anſelmum Mediolanenſem Epiſco-

pum, quem post annum Christi octingentesimum vixisse constat; licèt alijs eius Epistolis ab Achille Statio Lusitano subnectatur, tamen illius nec æuo congruit, nec redolet ingenium. Opus verò cui titulus est in codice Aruernensi; *Incipit liber Sancti Ferrandi de fide catholicâ, contra dogma Nestorij & Eutychetis.* prima autem verba; *Magnum & graue fidei periculum, quod nec facilè à plerisque valeat euitari.* sunt Libri tres priores è quinque hactenus Vigilio Tridentino malè adscriptis; cùm sint Vigilij Tapsensis, seu Tapsitani Episcopi in prouinciâ Byzacenâ: vt habet codex S. Augendi, seu S. Claudij Iurensis: ex quo, & aliquot alijs, Vigilij huius Opera à nobis vindicata ac recensita, fauente Deo primâ opportunitate prælo commissuri sumus.

QVÆCVMQVE autem in hunc tomum contulimus Ferrandi, aut Fulgentij Opuscula, vno tenore olim deducta, certis ad commodiorem vsum à margine adscriptis numeris distinximus: præter Vitam S. Fulgentij, & eiusdem Epistolas ad Reginum Comitem, & ad Ferrandum de duabus quæstionibus super salute Æthiopis moribundi; in quibus priorum editionum vsu iam receptas sectiones retinuimus.

FVLGENTII

FVLGENTII FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI BREVIATIO CANONVM.

Adnotatis à margine affinibus locis è Crisconij ac Dionysij Collectionibus, quoad Concilia Africana.

Præfatio, eadémque Constitutio Valentiniani Augusti ad Virum PP.

De accusatione Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi: & quòd obnoxios cum illis ambulantes retinere non liceat.

IMPP. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS Augg. ad VIRVM Præfectum prætorij.

AVDEMVS quidem sermonem facere solito plùs timore capti, de sanctis & venerabilibus Sacerdotibus, & secundis Sacerdotibus, vel etiàm Leuitis: & eos cum omni timore nominare quibus omnis terra caput inclinat. Audiuimus enim perfidiam in Vrbem ad Deum viuum & imperium nostrum fieri. Sed si quis ausus aut temerarius legi, Ecclesiæ vel clerico per quos nostrum pollet imperium, audere voluerit: si accusationem ditior persona protulerit, repositâ pœnâ fisco nostro, id est centum pondo auri & centum pondo ar-

genti inferre cogatur, & sic cum actoribus Ecclesiæ causam dicat. Si autem infirmior fuerit persona, priùs cogitet animo suo perfido, & sic accuset & criminis causam dicat. Nunquàm obrepto patrimonio nostro, nescio quâ perfidiâ tentare audeat militantes in palatio Christi. Terræ curiæ hunc adduci iussimus, & manus eius implumbari. Si autem voluerit liberam degere vitam, nihil illi sit curæ Ecclesiæ catholicæ. De obnoxiis verò si qui ambulauerint cum Episcopo, vel cum Presbytero, aut etiâm cum Diacono; siue in plateâ, siue in agro, siue in quolibet loco, nullo pacto eos retineri vel adduci iubemus: quoniam in Sacerdotibus Ecclesia constat. Datum XV. Kalendas Ianuarias. Theodosio XIII. & Valentiniano III. Augg. Consulibus.

Incipit Breuiatio Canonum.

I.

VT Neophyti non ordinentur. *Concilio Nicæno, titulo II. Concilio Sardicensi, tit. XIIII. Concilio Laodicensi, tit. III.*

II.

Vt quicumque laïcus ad episcopatum eligitur, priùs annum in ministerio ecclesiastico per omnes gradus transeat. *Concilio Sufetulensi.*

III.

Vt qui post Baptismum sæculari militiæ nomen dederit, ab ordinatione arceatur. *Concilio Zellensi.*

IV.

Cresconius I. 16. *Dionysius* 49. * Cod. Trec. *tit. XLIV.* Carth. anni 397.

Vt Episcopus à tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatis. *Concilio Nicæno, tit. IV. item tit. VI. Concilio Antiocheno, tit XVIIII. Concilio Laodicensi, tit. XII. Concilio Carthaginensi sub Antistite Genethlio, tit. X. Concilio vniuersali Carthaginensi, tit. XLVIIII.* * *Concilio Zellensi, ex Epistolâ Papæ Sirici.*

V.

Cresconius I. 17. *Dionysius* 50. Carth. anni 397.

Vt in ordinando Episcopo alij quoque Episcopi super tres addantur, si ab aliquo fuerit contradictum. *Concilio Carthaginensi, tit. L.*

VI.

Vt vnus Episcopus Episcopum non ordinet: exceptâ Ecclesiâ Romanâ. *Concilio Zellensi, ex Epistolâ Papæ Sirici.*

VII.

Vt Episcopus qui susceptâ manus impositione ministerium recusauerit, excommunicatus maneat donec consentiat. *Concilio Antiocheno, tit. XVII.* * Si autem volens à plebe non suscipitur, ad plenariam Synodum saluo suo honore sustinere debebit. *Concilio Antiocheno, tit. XVIII.*

* Ità Corb. malè Tree.] *tit. XVI.*

VIII.

Vt Episcopus qui ordinatus non suscipitur, aliam Ecclesiam non occupet: sed in Ecclesiâ vbi Presbyter fuerat, tanquàm Presbyter sedeat. *Concilio Anquiritano, tit. XVIII.*

IX.

Vt Episcopo ordinato statuta Conciliorum primitus inculcentur. *Concilio Carthaginensi, tit. X.*

Dionysius 18. Carth. anni 397.

X.

Vt Episcopus ordinatus, ab ordinatore suo litteras subscriptas accipiat, ordinationis eius diem simul & Consulem continentes. *Concilio Mileuitano, tit. IIII.*

Cresconius 370. 56. *Dionysius* 89.

XI.

Vt ad eligendum Episcopum sufficiat matricis arbitrium. *Concilio Septimunicensi. Concilio Macrianensi.*

XII.

Vt Episcopus in villâ, vel vico non ordinetur. *Concilio Laodicensi, tit. LV.*

XIII.

Vt Episcopus non ordinetur in diœcesim quæ Episcopum nunquàm habuit, nisi cum voluntate Episcopi ad quem ipsa diœcesis pertinet: ex Concilio tamen plenario, & Primatis auctoritate. *Concilio Carthaginensi, tit. LII. item LIIII. Concilio Carthaginensi in Basilicâ, tit. V.*

Cresconius 259. 20. *Dionysius* 53. Carth. anni 397.

XIV.

Vt Episcopus in diœcesim ordinatus, ipsam solam teneat. *Concilio Carthaginensi, tit. LIIII.*

Cresconius 260. 23. *Dionysius* 56. Carth. anni 397

XV.

Vt Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, nisi omnes suos Christianos fecerint. *Concilio Carthaginensi, tit. III.*

Cresconius 300. 3. *Dionysius* 36. Carth. anni 397.

Dion. 3. & 70. Est Carthaginense II. an. 390. sub Episcopo Genethlio tit. II.

XVI.

Vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ab vxoribus abstineant. *Concilio Carthaginensi, tit. I. Concilio Zellensi.*

Dionysius 74. Carth. anni 401.

XVII.

Vt nullus Episcopus dimissâ matrice, in diœcesi se constituat. *Concilio Carthaginensi, tit. VI.*

XVIII.

Vt Episcopi vel clerici de ciuitate ad ciuitatem non transeant, neque de Prouinciâ ad Prouinciam. *Concilio Nicano, tit. XI. Concilio Sardicensi, tit. II. item III. Concilio Antiocheno, tit. III. item tit. XXI. Concilio Constantinopolitano, tit. II. item tit. III.*

XIX.

Vt Episcopi in alienâ ciuitate tres tantummodò faciant septimanas. *Concilio Sardicensi, tit. XV.*

XX.

Vt qui metu persecutionis in alienâ ciuitate demorari voluerint, non prohibeantur. *Concilio Sardicensi, tit. XXII.*

XXI.

Vt nullus Episcopus, etiàmsi à plebe eligatur, vacantem Ecclesiam obtineat, nisi ex auctoritate plenarij Concilij. *Concilio Antiocheno, tit. XVI.*

Cresconius 367. 41. Dionysius 74. Carth. anni 401.

XXII.

Vt nullus Episcopus cathedram cui datus fuerit interuentor, plusquàm annum teneat: sed ipse eis Episcopum petat. *Concilio Carthaginensi, tit. VIIII.*

XXIII.

Vt interuentores Episcopi conueniant plebes quæ Episcopum non habent, vt Episcopum accipiant. Quòd si accipere neglexerint, remoto interuentore sic remaneant, quamdiù sibi Episcopum quærant. *Concilio Macrianensi.*

Cresconius 260. 23. Dionysius 56. Carth. anni 397.

XXIV.

Vt nullus Episcopus plebem alienam vsurpet. *Concilio Carthaginensi sub sancto Grato, tit. VIIII. Concilio Carthaginensi sub Antistite Genethlio, tit. VIIII. Item Concilio Carthaginensi, tit. V.*

Cresconius 281. 87.

XXV.

Vt Episcopus qui sinè Episcoporum iudicio plebem ali-

quam, quam ad ſuam cathedram exiſtimat pertinere, tenuerit, cauſam amittat. *Concilio Carthaginenſi, tit. XII.*

Dionyſius 120 Carth. anni 418.

XXVI.

Vt in plebe alienâ nullus ſibi Epiſcopus audeat vindicare. *Concilio Iuncenſi.*

XXVII.

Vt Epiſcopus alienum clericum non ſuſcipiat, neque ordinet. *Concilio Nicæno, tit. XII. Concilio Sardicenſi, tit. XVIIII. item XX. Concilio Antiocheno, tit. XXII. Concilio Carthaginenſi ſub ſancto Grato, tit. IIII. Item Concilio Carthaginenſi, tit. XXVIII. item tit. LIII.*

Creſconius 17. 21. Dionyſius 54. Carth. anni 397.

XXVIII.

Vt nullus Epiſcopus alienum monachum vel in Eccleſiâ ordinet, vel in monaſterio ſuo Præpoſitum faciat. *Concilio Carthaginenſi, tit. XIIII.*

Creſconius 269. 47. Dionyſius 80. Carth. anni 401.

XXIX.

Vt Epiſcopus præſentibus catechumenis ordinationem non faciat. *Concilio Laodicenſi, tit. IIII.*

XXX.

Vt Epiſcopus qui neceſſitate compellente ante vinginti-quinque annos virginem velauerit, nihil ei obſit Concilium quod de iſto numero annorum conſtitutum eſt. *Concilio Carthaginenſi, tit. XVIII.*

Creſconius 286. 93. Dionyſius 126. Carth. anni 418.

XXXI.

Vt res Epiſcopi non ſint obnoxiæ rebus eccleſiaſticis, ſed de his ipſe quod voluerit ordinet. *Concilio Antiocheno, tit. XXIIII.*

XXXII.

Vt nullus Epiſcopus hæredes extraneos, vel hæreticos etiàm conſanguineos faciat. *Concilio Carthaginenſi, tit. XV.*

Creſconius 248. 48. Dionyſius 81. Carth. anni 401.

XXXIII.

Vt Epiſcopi vel clerici his qui Catholici non ſunt, nihil per donationes conferant. *Concilio Carthaginenſi, tit. XXIII.* *

Creſconius 248. 22. Dionyſius 22. * Carth. anni 397.

XXXIV.

Vt Epiſcopi ſiue Presbyteri ea quæ ſunt in locis vbi ordinantur, ad alia loca non transferant, niſi cauſas antè reddiderint. *Concilio Hipponiregienſi, tit. V.*

XXXV.

Vt Epiſcopi quidquid nomine ſuo comparauerint, cogan-

Creſconius 251. 32. Dionyſius 32.

tur Ecclesiæ refundere: quidquid autem eis donatur, cui voluerint conferant. *Concilio Hipponiregiensi, tit. VIII.*

XXXVI.

Vt rebus ecclesiasticis dispensandis Episcopus potestatem habeat. *Concilio Antiocheno, tit. XXV.*

XXXVII.

Mendosè legebatur *Carthaginensi.*

Vt præter conscientiam Episcopi, oblationes fructuum Ecclesiæ debitas nullus vel dare vel accipere audeat. *Concilio Gangrensi, tit VII. & VIII.*

XXXVIII.

Vt Episcopus matricis, non vsurpet quidquid fuerit donatum Ecclesiis quæ in diœcesi constitutæ sunt. *Concilio Hipponiregiensi, tit. VIIII.*

XXXIX.

Cresconius 47. 21. *Dionysius* 21. Carth. anni 397.

Vt filij Episcoporum gentilibus, vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non coniungantur. *Concilio Carthaginensi, tit. XXI.*

XL.

Cresconius 190. 15. *Dionysius* 15. Carth anni 397.

Vt filij Episcoporum aut clericorum, spectacula non exhibeant nec spectent. *Concilio Carthaginensi, tit. XX.**

* Malè Trec. *tit. XXX.*

XLI.

Cresconius 254. 2. *Dionysius* 35. *a* Carth. anni 397.

Vt Episcopi filios suos non emancipent nisi iam probatos. *Concilio Carthaginensi, tit. XXII.* a

XLII.

Vt Episcopi non passim ad comitatum pergant. *Concilio Sardicensi, tit. VIIII. item tit. X. item tit. XI. Concilio Antiocheno, tit. XI.*

XLIII.

Cresconius 143. 71. *Dionysius* 104. Carth. anni 407.

Vt quicumque Episcopus ab Imperatore publicum iudicium postulauerit, honore proprio priuetur. *Concilio Carthaginensi, tit. VIIII.*

XLIV.

Vt liceat vnicuique Episcopo preces constituere, quando de iudiciis publicis contra hæreticos aliquid est petendum. *Concilio Marazanensi.*

XLV.

Vt Episcopus sinè Metropolitani consilio nihil agat, nisi ea tantùm quæ ad gubernationem Ecclesiæ suæ pertinent.

Concilio Antiocheno, *tit. VIIII.*

XLVI.

Vt Episcopi sinè formatâ Primatis non nauigent. *Concilio Carthaginensi*, *tit. XXXVI.*

Cresc. 154. 23. Dion. 23. 56. Carth. anni 397.

XLVII.

Vt Episcopi rem Ecclesiæ sinè Primatis consilio non vendant. *Concilio Carthaginensi*, *tit. V.* a *Concilio Hipponiregiensi*, *tit. VIIII.*

Cresconius 97. 26. Dionysius 26. a Carth. indefinitum.

XLVIII.

Vt Episcopi prouidentiâ virginibus quæ pupillæ fuerint, vbi habitent eligatur. *Concilio Carthaginensi*, *tit. XL.* *

Cresc. 258. 11. Dionysius 44. * Malè Trec. *tit. XI.* Carth. anni 397.

XLIX.

Vt Episcoporum iudicio pœnitentiæ tempora pœnitentibus decernantur. *Concilio Carthaginensi*, *tit. XXXVIIII.*

Crescon. 75. 10. Dionysius 43. Carth. anni 397.

L.

Vt Episcopi iudicio, Donatistæ qui apud suos actâ pœnitentiâ conuertitur, tempus pœnitentiæ vel reconciliationis decernatur. *Concilio Carthaginensi*, *tit. II.* c

c Carth. indefinitum. Sed videtur esse anni 401. vel 418. Vide notas.

LI.

Vt Episcopus accusatos Presbyteros conuocatis quinque Episcopis audiat: Diaconorum cum tribus, reliquorum verò causas ipse solus discutiat. *Concilio Carthaginensi*, *tit. XVII.* *

Cresc. 144. 20. & 245. 12. & 20. Dionysius 12. & 20. b Carth. anni 397.

LII.

Vt autem vnus Episcopus cognitionem sibi non vindicet, hoc in alio Concilio Carthaginensi actum est. b

Dionysius 107. Carth. anni 409.

LIII.

Vt nullus Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus excommunicatus communicet. *Concilio Niceno*, *tit. V.* *Concilio Sardicensi*, *tit. XVII.* *Concilio Carthaginensi*, *tit. VIII.* * *Concilio Antiocheno*, *tit. II.*

Dionysius 29. Carth. anni 397. *Codex Corbeiensis *tit. VIIII.*

LIV.

Vt si quis Episcopus à Synodo fuerit excommunicatus, communicare non audeat: & si fecerit, spem restitutionis non habeat. *Concilio Antiocheno*, *tit. IV.* *Concilio Hipponiregiensi*, *tit. III.*

Dionysius 29.

LV.

Vt Episcopus, si causam habuerit, à duodecim Episcopis audiatur. *Concilio Carthaginensi sub Sancto Genethlio*, *tit. VIII.*

Cresconius 245. 12. Dionysius 12.

LVI.

Vt Episcopi qui in causâ iudices dantur, definito temporis die cognoscant. *Concilio Septimunicensi.*

LVII.

Vt si duo Episcopi in vnâ prouinciâ contentionem habuerint, ex aliâ prouinciâ non aduocent Episcopos ad iudicium. *Concilio Sardicensi, tit. IIII.*

LVIII.

Cresconius 144. 19. *Dionysius* 19. Carth. anni 397.

Vt si de accusato Episcopo multæ sententiæ fuerint Episcoporum, Metropolitanus alterius Prouinciæ conuocetur. *Concilio Antiocheno, tit. XIIII.* Quid in accusationibus Episcoporum obseruari debeat. *Concilio Carthaginensi, tit. XV.*

LIX.

Vt adiudicatus Episcopus, ad apostolicam sedem, si voluerit, appellet. *Concilio Sardicensi, tit. V.*

LX.

* Videtur hîc deesse *alius.*

Vt si appellauerit, * in cathedrâ ipsius non ordinetur. *Concilio Sardicensi, tit. VI.*

LXI.

Vt si à iudicibus quos Primas dederit, appellauerit, alij iudices amplioris numeri decernantur. Vt si & ab ipsis appellauerit, ad sententiam Concilij differatur. *Concilio Thenitano.*

LXII.

Dionysius 15. Carth. anni 397.

Vt Episcopis iudicantibus condemnatus Episcopus, si fuerit apud potiores Episcopos absolutus, nihil eis noceat si bono animo iudicauerint. *Concilio Carthaginensi, tit. XVIIII.*

LXIII.

Vt Episcopus qui ab omnibus Episcopis prouinciæ fuerit condemnatus, facultatem iudicij repetendi non habeat. *Concilio Antiocheno, tit. XV.*

LXIV.

Cresconius 273. 63 & 89. *Dionysius* 96. & 122. Carth. anni 407. & aliud anni 418.

Vt Episcopus ab eis Episcopis quos elegerit iudices condemnatus, appellare alibi non audeat. *Concilio Carthaginensi, tit. III. Item Concilio Carthaginensi, tit. XV.*

LXV.

Vt Episcopi qui in aliquâ causâ iudices dantur, ipsi locum audientiæ deligant. *Concilio Zellensi.*

LXVI.

LXVI.

Vt depositus Episcopus, ad Imperatorem causam suam non deferat. *Concilio Antiocheno, tit XII.* *

* Itâ Corb: malè Trec. *tit.* X.

LXVII.

Vt accusatus Episcopus, vel quicumque ex clero fuerit apud Ecclesiam accusatus, ad iudicia publica non transeat. *Concilio Carthaginensi, tit XVIII.*

Dionysius 15. Carth. anni 397.

LXVIII.

Vt Episcopus qui secundâ vel tertiâ auctoritate conuentus fuerit, & venire contempserit, ab Episcoporum consortio suspendatur. *Concilio Zellensi*

LXIX.

Vt nullus Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus cum Iudæis Pascha celebret. *Concilio Antiocheno, tit. I.*

LXX.

Vt Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi non sint conductores, aut procuratores. *Concilio Carthaginensi, tit. XXIIII.*

Cresconius 28. 16. *Dionysius* 16. Carth anni 397.

LXXI.

Vt Episcopi, siue clerici in ecclesiâ non conuiuentur, nisi transeuntes. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXVIII.* *

Cresconius 177. 9. *Dionysius* 42. * Carth. anni 397.

LXXII.

Vt Episcopi & Presbyteri in domo suâ oblationes non faciant. *Concilio Laodicensi, tit. LVI.*

LXXIII.

Vt Episcopus à communione non suspendat eum, quem adserit de peccato aliquo sibi soli fuisse confessum. *Concilio Carthaginensi, tit. II.* a

Cresconius 287. 99. *Dionysius* 132. Carth. anni 419. a Lege *tit.VI.*

LXXIV.

Vt Episcopus sibi successorem non eligat. *Concilio Antiocheno, tit. XXIII.*

LXXV.

Vt Episcopi ad Concilium occurrant: aut non occurrentes, in tractoriâ, vel apud Primatem excusationes suas allegent. *Concilio Laodicensi, tit. XXXVIII. Concilio Carthaginensi, tit. XI.*

Cresconius 268 43. *Dionysius* 76. Carth. anni 401.

LXXVI.

Vt exceptis senibus qui loco moueri non possunt, & infirmis Episcopis, qui admonitus ad Concilium non occurrerit, communione priuetur. *Concilio Marazanensi. Concilio Thusdri-*

tano. Item Concilio Thenitano. Concilio Septimunicensi.

LXXVII.

Vt Episcopus qui non susceptâ legatione, vniuersali Concilio interesse præsumpserit, ab eis Episcopis qui legationem suscipiunt, ad ipsum Concilium non admittatur. *Concilio Thusdritano.*

LXXVIII.

Dionysius 86.

Vt nullus Episcopus prioribus suis se audeat anteponere. *Concilio Mileuitano, tit. II.*

LXXIX.

Vt Chorepiscopi, idest, Vicarij Episcoporum, nec Presbyteros nec Diaconos ordinent: nisi tantùm subdiaconos. *Concilio Anquiritano, tit. XIII. Concilio Antiocheno, tit. X.*

LXXX.

Vt Vicariis Episcoporum liceat formatas facere. *Concilio Antiocheno, tit. VIII.*

LXXXI.

Cresconius 256. 6. *Dionysius* 39. * Malè Trec. *tit. VI.* Est Carth. anni 397. *Dionysius* 17. à Trec. Cod. *Primatum.* * Carth. indefinitum. Videtur tamen esse anni 397. vt & duo sequentes tituli.

Vt primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXIIII.*

LXXXII.

Vt Primatem a proprium Mauritania Sitifensis habeat. *Concilio Carthaginensi, tit. VI.* *

LXXXIII.

Vt primæ sedis Episcopi, ex Concilio Carthaginensis Episcopi constituantur, quando fuerit oborta contentio. *Concilio Carthaginensi, tit. VII.*

LXXXIV.

Vt Primates diuersarum Prouinciarum, nomina Episcoporum ad Ecclesiam Carthaginensem mittant. *Concilio Carthaginensi, tit. III.*

LXXXV.

Vt Presbyter ante triginta annorum ætatem, quamuìs sit dignus, non ordinetur. *Concilio Nouacæsariensi, tit. X.*

LXXXVI.

Vt qui in ægritudine fuerit baptizatus, non ordinetur Presbyter, nisi fortè propter vitam bonam, aut hominum raritatem. *Concilio Nouacæsariensi, tit. XI.*

LXXXVII.

Vt Presbyter ordinatus si de aliquo crimine confessus fue-

rit, aut de his qui lapsi sunt, non suscipiatur. *Concilio Nicano, tit. VIII. Concilio Nouacæsariensi, tit. VIIII.*

LXXXVIII.

Vt Presbyter in conuiuio secundarum nuptiarnm non intersit. *Concilio Nouacæsariensi, tit. VII.*

LXXXIX.

Vt de oblatione Presbyteri coniugati nullus audeat non communicare. *Concilio Gangrensi, tit. IIII.*

XC.

Vt Presbyter inconsulto Episcopo, in quolibet loco agenda non audeat celebrare. *Concilio Carthaginensi, tit. VII.* *

Ità Codex Corbeiensis. Malè Trec. *Carth, tit. III.* * Est Carthaginense II. an. 390. sub Antistite Genethlio.

XCI.

Vt Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret: chrisma verò nunquàm conficiat. *Concilio Carthaginensi, tit. XLIII.*

Crescontus 93. 6. *Dionysius* 6. Carth. anni 397.

XCII.

Vt Presbyteri ciuitatis sine iussu Episcopi nihil iubeant, nec in vnaquâque parœciâ aliquid agant. *Concilio Anquiritano, tit. XIII.*

XCIII.

Vt Presbyteri abstinentes à carnibus, tangant eas: ita vt etiam olera quæ cum carnibus coquuntur comedant. *Concilio Anquiritano, tit. XIIII.*

XCIV.

Vt Presbyteris formatas dare non liceat. *Concilio Antiocheno, tit. VIII.*

XCV.

Vt Presbyteri rem Ecclesiæ sine conscientiâ Episcopi non vendant. *Concilio Anquiritano, tit. XV. Concilio Hipponiregiensi, tit. VIIII.*

Cresconius 252. 33. *Dionysius* 33.

XCVI.

Vt Presbyter qui reatum incurrerit, à sex vel à septem Episcopis audiatur. *Concilio Carthaginensi sub Antistite Genethlio, tit. VIII.* a

Crescon. 245. 12. & 20. *Dionysius* 12. & 20. a Trec. *tit. VIIII.*

XCVII.

Vt Presbyter qui immolauit idolis, & posteà pro fide conflixit, honore quidem non priuetur; tamen nec sacrificet, nec sermonem faciat. *

* *Hic deficit vtrumque exemplar. Sumptus est autem Canon ex Conc. Anquirit. tit. I.*

XCVIII.

Vt Presbyter si vxorem duxerit, deponatur: si autem fornicatus fuerit, etiàm pœnitentiam agere compellatur. *Concilio Nouacæsariensi, tit. I.*

XCIX.

Vt Presbyter, vel Diaconus, qui desertâ Ecclesiâ suâ ad aliam transierit, si post euocationem Episcopi sui reuersus non fuerit, deponatur. *Concilio Antiocheno, tit. III.*

C.

Vt Presbyter, vel Diaconus, si à proprio Episcopo exauctoratus, sancti ministerij quidpiam præsumpserit, spem restitutionis non habeat. *Concilio Antiocheno, tit. IIII.*

CI.

Vt Presbyter, vel Diaconus, qui se ab Ecclesiâ sequestrauerit, & in domo suâ altare erexerit, deponatur. *Concilio Antiocheno, tit. V. Concilio Carthaginensi, tit. VII.* *

Cresconius 33. 10. & 11. *Dionysius* 10. & 11.
* Est Carthaginense II. an. 390. sub Antistite Genethlio.

CII.

Vt liceat siue Presbyteris, siue Diaconibus, si iniustè excommunicati fuerint, finitimos Episcopos interpellare. *Concilio Sardicensi, tit. XVIII.*

CIII.

Vt Presbyteri alterius regionis, præsentibus Presbyteris non sacrificent. *Concilio Nouacæsariensi, tit. XII.*

CIV.

Vt Diaconi septem esse debeant. *Concilio Nouacæsariensi, tit. XIII.*

CV.

Vt Diaconi iudicio populi non eligantur. *Concilio Laodicensi, tit. XIII.*

CVI.

Vt Diaconi ante Presbyterum non communicent. *Concilio Nicæno, tit. XIIII.*

CVII.

Vt Diaconus præsente Presbytero non sedeat nisi iussus. *Concilio Laodicensi, tit. XVIIII.*

CVIII.

Vt subdiaconus panem non eroget, nec calicem benedicat. *Concilio Laodicensi, tit. XXIIII.*

CIX.

Vt Diaconus, vel quilibet clericus ad agapem vocatus, partem non tollat. *Concilio Laodicensi, tit. XXVI.*

CX.

Vt Diaconus aut clericus, magus & incantator non sit, neque phylacteria faciat. *Concilio Laodicensi, tit. XXXIIII.*

CXI.

Vt Diaconus vel etiàm laïcus sinè formatâ alicubi non proficiscantur. *Concilio Laodicensi, tit. XXXVIIII.*

CXII.

Vt Diaconi vel quilibet clerici, præter iussionem Episcopi ad peregrina non proficiscantur. *Concilio Laodicensi, tit. XL.*

Trec. XI. Corb. XX. emendandus vterque.

CXIII.

Vt Diaconi vel clerici spectaculis quæ in nuptiis exhibentur non intersint. *Concilio Laodicensi, tit. LII.*

CXIV.

Vt Diaconi, vel quilibet clerici, aut etiàm laïci Christiani, ex symbolis conuiuium non celebrent. *Concilio Laodicensi, tit. LIII.*

CXV.

Vt Diaconi, vel quicumque in sacerdotali ministerio constituti, vsuras & lucra, idest, sescupla non exigant. *Concilio Laodicensi, tit. V.*

CXVI.

Vt Diaconi qui immolauerunt, & posteà reluctati sunt, in honore quidem suo permaneant, sed ab omni altaris ministerio repellantur. *

* *Sumptus est canon ex Concilio Anquiritano, tit. 2.*

CXVII.

Vt Diaconus qui in corporale peccatum incidit, ab ordine ministerij abstineatur. *Concilio Nouacæsariensi, tit. VIIII.*

CXVIII.

Vt Diaconi, vel Presbyteri si *a* à ministerio remoti fuerint, non eis manus vel tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laïcis imponantur. *Concilio Carthaginensi, tit. XII.*

a Trec. *quē Cresconius* 27. 27. *Dionysius* 27.

CXIX.

Vt Diaconi non ordinentur qui procuratores, & actores, & tutores, & curatores pupillorum fuerunt, nisi post deposita vniuersa & reddita ratiocinia. *Concilio Carthàginensi, tit. VII.* *

* Cod. Trec. *tit. VIII.* Malè Est Carthaginense I. sub S. Grato.

CXX.

Vt Diaconis solis liceat ad altare ingredi, & communicare. *Concilio Laodicensi, tit. XVIII.*

Ità Corb. malè autem in Trec. *tit. XCIII.*

CXXI.

Vt ante viginti quinque annos nec clerici ordinentur, nec virgines consecrentur. *Concilio Carthaginensi, tit. VIIII.*

Cresconius 28. 16. *Dionysius* 16. Carth. anni 397.

CXXII.

Vt clerici cum mulieribus extraneis non habitent. *Concilio Nicæno, tit. III. Concilio Carthaginensi sub sancto Grato, tit. III. Concilio vniuersali Carthaginensi.* a

a Est Carth. III. anni 397. cap. 17.

CXXIII.

Vt nullus clericus fœneret. *Concilio Nicæno, tit. XIIII.* b *Concilio Carthaginensi sub sancto Grato, tit. XII.*

Cresconius 28. 16. *Dionysius* 16. *b* Legendum *tit. XIII.*

CXXIV.

Vt lectores orario non vtantur, siue legant, siue psallant. *Concilio Laodicensi, tit. XXII.*

Malè olim. *tit. XXVI.*

CXXV.

Vt clericis non liceat administrationem aut procurationem domorum suscipere. *Concilio Carthag. sub sancto Grato, tit. V.*

CXXVI.

Vt clericus, vel laicus non communicet in aliâ plebe. *Concilio Carthaginensi, sub sancto Grato, tit. VI.*

CXXVII.

Vt clerici sinè formatâ & conscientiâ Episcopi per alienas plebes non vagentur. *Concilio Marazanensi.*

CXXVIII.

Vt superbi clerici coerceantur. *Concilio Carthaginensi sub sancto Grato, tit. X.*

Cresc. 33. 10. & 11. *Dionysius* 10. & 11.

CXXIX.

Vt lectores, dum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri. *Concilio Carthaginensi, tit. XXVII.*

Cresconius 28. 16. Carth. anni 397.

CXXX.

Vt mulierem clericus non ducat vxorem. Et vt is qui laïcus viduam duxerit, non admittatur ad clerum. *Concilio Zellensi ex epistolâ Papæ Sirici.*

CXXXI.

Vt non liceat præter canonicos psaltas qui pulpitum ascen-

dunt & de codice legunt, alium quēlibet in Ecclesiâ psallere. *a*

CXXXII.

Vt clerici vel continentes, ad viduas, vel virgines sinè iussu vel permissu Episcopi vel Presbyteri non accedant. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXIII.* b

CXXXIII.

Vt clerici, apothecarij vel ratiocinatores non ordinentur. *Concilio Carthaginensi sub sancto Grato, tit. VIII.*

CXXXIV.

Vt clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitas coëgerit. *Concilio Laodicensi, tit. VII. item XXIIII. item XXV. Concilio Carthaginensi, tit. XXXV.*

CXXXV.

Vt clerici in alienâ ciuitate non immorentur, nisi causas eorum iustas Episcopus loci vel Presbyteri locorum peruiderint. *Concilio Carthaginensi, tit. XLIIII.*

CXXXVI.

Vt accusatus clericus intrà annum causam suam agere debeat. *Concilio Carthaginensi, tit. XIII.*

CXXXVII.

Vt clericus non fiat, cuius vxor cùm adhuc esset laïcus adulterata est. Et vt clericus vxorem adulteram deserat. *Concilio Nouacæsariensi, tit. VIII.*

CXXXVIII.

Vt abiectum clericum alia Ecclesia non admittat. *Concilio Zellensi ex epistolâ Papæ Sirici.*

CXXXIX.

Vt non liceat clericum à populo excommunicari, siue præsente siue absente Episcopo. *Concilio Septimunicensi.*

CXL.

Vt ministri non habeant licentiam in secretario ingredi. *Concilio Laodicensi, tit. XXI.*

CXLI.

Vt ministri orario non vtantur, nec relinquant ostia. *Concilio Laodicensi, tit. XXI. Item tit. XLI.*

CXLII.

Vt non exorcizent illi qui necdum ab Episcopo sunt pro-

a Est ex Concilio Laodicensi, tit. 15. *Cresconius* 255. 5. *Dionysius* 38.

b Malè Trec. *XXXIV.* Carth. anni 397.

Dionysius 40. Carth. anni 397.

Carth. III. anni 397. tit. 37.

Cresc. 30. 46. *Dionysius* 79. Carth. anni 401.

Lege *tit. XX.*

uecti. *Concilio Laodicensi*, *tit. XXV*.

CXLIII.

Vt bis in anno per singulas Prouincias Concilia fiant. *Concilio Nicæno*, *tit. V*. *Concilio Antiocheno*, *tit. XX*. *Concilio Carthaginensi*, *tit. III.* *

* Carthaginense indefinitum. Videtur tamen esse anni 397. *Cresconius* 272. 62. *Dionysius* 95.

CXLIV.

Vt Concilium vniuersale non fiat, nisi causa communis, idest, totius Africæ coegerit, *a* Vt Synodus plenaria tunc dicatur, cùm Episcopus Metropolitanus adfuerit. *Concilio Antiocheno*, *tit. XVI*.

a Ex Carthaginensi anni 407.

CXLV.

Vt hi qui se absciderunt, de clero eximantur. *Concilio Nicæno*, *tit. I*.

CXLVI.

Quæ sint pœnitentiæ tempora iis qui præuaricauerunt decernenda. *Concilio Nicæno*, *tit. VIIII*. *Concilio Anquiritano*, *tit. III. Item IIII. V. VI. VII. VIII. & VIIII.*

CXLVII.

Vt sponsatæ puellæ, si ab aliis raptæ fuerint, sponso priori reddantur. *Concilio Anquiritano*, *tit. XI*.

CXLVIII.

Quemadmodùm hi qui irrationabiliter vixerint suscipi debeant. *Concilio Anquiritano*, *tit. XVI*.

CXLIX.

Vt hi qui sicut muta animalia vixerunt, inter energumenos orent. *Concilio Anquiritano*, *tit. XVII*.

CL.

Vt quicumque virginitatem profitentes, propositum violant, digamorum constitutum impleant gradum. *Concilio Anquiritano*, *tit. XVIIII*.

CLI.

Vt qui adulterium commiserit, septem annos pœnitentiam agat. *Concilio Anquiritano*, *tit. XX*.

CLII.

Vt mulieres fornicantes quæ paruulos suos necant, aut aborsu, *b* decem annis pœnitentiam agant. *Concilio Anquiritano*, *tit. XXI*.

b Deest *excutiunt*, vel aliud vocabulum eiusdem potestatis.

CLIII.

Vt qui voluntariè homicidium fecerint, in nouissimo vitæ recon-

reconcilientur. *Concilio Anquiritano, tit. XXII.*

CLIV.

Vt qui casu homicidium fecerit, quinque annis pœnitentiam agat. *Concilio Anquiritano, tit. XXIII.*

CLV.

Vt qui ariolantur, vel in domo suâ huius artis alios introducunt, quinque annis pœnitentiam agant. *Concilio Anquiritano, tit. XXIIII.*

CLVI.

Vt mulier quæ duobus fratribus nupserit, in extremis suis reconcilietur. *Concilio Nouacæsariensi, tit. II.*

CLVII.

Vt quicumque concupiscentiam non consummat, per diuinam iudicetur gratiam liberatus. *Concilio Nouacæsariensi, tit. IIII.*

CLVIII.

Vt catechumeni peccantes, nisi se correxerint, abiiciantur. *Concilio Nouacæsariensi, tit. V.*

CLIX.

Vt qui manducantem carnes, ex fide condemnandum crediderit, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. II.*

CLX.

Vt qui domum Dei contemptibilem duxerit, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. V.*

CLXI.

Vt qui nuptias condemnat, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. VIIII. & X.*

CLXII.

Vt si qua mulier virilem habitum adsumpserit, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. XIII.*

CLXIII.

Vt hi qui vxores aut viros dimittunt, alteri non nubant: sed aut continentes maneant, aut sibi reconcilientur. *Concilio Carthaginensi, tit. VII.*

Dionysius 102. Codex Corbeiensis *tit.* XXVII. Carth. anni 407.

CLXIV.

Vt si qua mulier quasi religionis causâ virum dimiserit, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. XIIII.*

CLXV.

Vt quicumque continentiæ causâ die Dominico ieiunaue-

rit, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. XVIII.*

CLXVI.

Vt quicumque sanus corpore ieiunia communia dissoluerit, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. XX.* *

* Ità Corb. Trec. habet *tit. II.* Videtur legendum *tit. XIX.*

CLXVII.

Vt quicumque Martyrum memorias contempserit, anathema sit. *Concilio Gangrensi, tit. XXI.*

Lege *tit. XX.*

CLXVIII.

Vt quicumque non communicantes, nec orationem facientes, Scripturas tantùm diuinas in ecclesiâ audire voluerint, abiiciantur. *Concilio Antiocheno, tit. II.*

CLXIX.

Vt quicumque post diuersa peccata pœnitentiam fideliter gesserit, ad cõmunionem reuocetur. *Concilio Laodicensi, tit. II.*

CLXX.

Vt scenicis atque histrionibus reconciliatio non negetur. *Concilio Carthaginensi, tit. XLII.*

Dionysius 45. Carth. anni 397.

CLXXI.

Vt ad falsas memorias Martyrum nullus accedat. *Concilio Carthaginensi, tit. XVII.*

Cresconius 69. 50. *Dionysius* 83. Carth. anni 401.

CLXXII.

Vt hi qui nominantur Cathari, accedentes ad Ecclesiam, si ordinati sunt, sic maneant in clero. *Concilio Nicæno, tit. VII.*

CLXXIII.

Vt Pauliani baptizentur. * *Concilio Nicæno, tit. XV.*

* Corb. *rebaptizentur.*

CLXXIV.

Vt venientes à Nouatianis, vel Montensibus, per manus impositionẽ suscipiantur. *Concilio Zellensi ex epistolâ Papæ Sirici.*

CLXXV.

Vt non liceat hæreticum rebaptizari, baptizatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Concilio Carthaginensi sub sancto Grato, tit. I. item Carthaginensi, tit. XLVIII.*

Dionysius 48. Carth. anni 397.

CLXXVI.

Vt hæretici in hæresi permanentes domum Dei non ingrediantur. *Concilio Laodicensi tit. VI.*

CLXXVII.

Vt Nouatiani, vel etiàm Quartadecimani non recipiantur, nisi prius hæresim suam condemnauerint: ita vt symbolum fi-

dei doceãtur, & chrismate vngantur. *Concilio Laodicensi, tit. VII.*

CLXXVIII.

Vt quicumque conuertuntur ab hæresi, qui dicuntur secundùm Phrygas, baptizentur. *Concilio Laodicensi, tit. VIII.*

Corb. *tit. VII.* Trec. *tit. VIIII.*

CLXXIX.

Vt non liceat in hæreticorum cœmeteria ad orationem faciendam Catholicis introire. *Concilio Laodicensi, tit. VIIII.*

CLXXX.

Vt nullus ad Ecclesiam pertinens, filios suos hæreticorum nuptiis societ. *Concilio Laodicensi, tit. XXX.*

CLXXXI.

Vt Christiani non iudaizent, nec in sabbato vacent. *Concilio Laodicensi, tit. XXVIII.*

CLXXXII.

Vt nullus cum hæreticis connubia misceat. *Concilio Laodicensi, tit. XXX.*

Perperam legebatur *conuiuia.*

CLXXXIII.

Vt nullus cum hæreticis aut schismaticis oret, aut ad falsos martyres eat. *Concilio Laodicensi, tit. XXXII. Concilio Carthaginensi, tit. II.*

Cresconius 69. 50. *Dionysius* 83. Carth. anni 401.

CLXXXIV.

Vt nullus ad Angelos congregationem faciat. *Concilio Laodicensi, tit. XXXIII.*

CLXXXV.

Vt nullus à Iudæis vel hæreticis feriatica accipiat. *Concilio Laodicensi, tit. XXXV.*

CLXXXVI.

Vt nullus à Iudæis azyma accipiat. *Concilio Laodicensi, tit. XXXVI.*

CLXXXVII.

Vt nullus cum paganis festa celebret. *Concilio Laodicensi, tit. XXXVII.*

CLXXXVIII.

Vt nullus Christianus ballare vel cantare in nuptiis audeat. *Concilio Laodicensi, tit. XLI.*

Lege *tit. LI.*

CLXXXIX.

Vt Donatistarum clerici in suis honoribus suscipiantur. *Concilio Carthaginensi, tit. II.*

Cresconius 253. 35. *Dionysius* 68. Carth. anni 401.

CXC.

Cresconius 275. 66. Dionysius 117. & 99. Carth. anni 418. & 407.

Vt quæcumque ecclesiæ Donatistarum catholicæ factæ sunt, ad eam cathedram pertineant, ad quam catholica quæ iam ibi fuerat pertinebat. *Concilio Carthaginensi, tit X.*

CXCI.

Cresconius 279. 85. Dionysius 118. Carth. anni 418.

Vt quicumque Episcopus ex Donatistis conuersus fuerit, plebes quæ vtrasque ecclesias habent, cum Episcopo catholico æqualiter diuidant. *Concilio Carthaginensi, tit. XI.*

CXCII.

Vt hæreticorum benedictiones nullus accipiat. *Concilio Laodicensi, tit. XXXI.*

CXCIII.

Crescon. 253. 14. & 24. Dionysius 47. & 57. Carth. anni 401.

Vt qui paruuli apud Donatistas baptizantur, ab ordinatione non prohibeantur, si conuersi fuerint. *Concilio Carthaginensi, tit. I.*

CXCIV.

*Cresconius 205. 8. Dionysius 8. * Trec. tit. IV*

Vt qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem accusandi non habeat. *Concilio Carthaginensi sub sancto Genethlio, tit. VI. * Hoc & in Concilio Thenitano statutum est.*

CXCV.

Cresconius 205. 95. Dionysius 128 Carth. anni 419.

Vt excommunicatis, siue clericis, siue laïcis accusare non liceat. *Concilio Carthaginensi, tit. II.*

CXCVI.

Cresconius 205. 96. Dionysius 129. Carth. anni 419.

Vt omnes serui, vel proprij liberti, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt: histriones etiàm, hæretici, pagani, & Iudæi ad accusationem non admittantur. *Concilio Carthaginensi, tit. III.*

CXCVII.

Cresconius 205. 97. Dionysius 130. Carth. anni 419.

Vt quí vnum crimen non probauerit, ad aliud non admittatur. *Concilio Carthaginensi, tit. IIII.*

CXCVIII.

Cresconius 249. 30. Dionysius 30.

Vt accusator, si in loco vbi est ille qui accusatur, violentiam timuerit, locum sibi proximum eligat. *Concilio Hipponiregiensi, tit. V.*

CXCIX.

Vt baptizandi symbolum fidei discant. *Concilio Laodicensi, tit. XLIIII.*

CC.

Vt qui in ægritudine baptizantur, sani facti symbolum

doceantur. *Concilio Laodicensi, tit. XLV.*

CCI.

Vt baptizati, post Baptismum chrismate vngantur. *Concilio Laodicensi, tit. XLVI.*

CCII.

Vt ægrotantibus, quando ipsi loqui non possunt, si pro eis alij testimonium dixerint, Baptismum non negetur. *Concilio Carthaginensi, tit. XLI.*

Cresconius 66. 12. *Dionysius* 45. Carth. anni 397.

CCIII.

Vt quando de infantibus ignoratur vtrùm baptizati sint, sine vllâ dubitatione baptizentur. *Concilio Carthaginensi, tit. VII.*

Cresconius 62. 39. *Dionysius* 72. Carth. anni 401. vel anni 397.

CCIV.

Vt prægnantes mulieres baptizentur quando voluerint. *Concilio Nonacæsariensi, tit. VI.*

CCV.

Vt Christiani cum mulieribus lauacra non habeant. *Concilio Laodicensi, tit. XXVIIII.*

Malè olim. *tit. XXIIII.*

CCVI.

Vt post duas hebdomadas Quadragesimæ, ad Baptismum nullus suscipiatur. *Concilio Laodicensi, tit. XLII.*

Legendum *tit. XLIII.*

CCVII.

Vt in Quadragesimâ, sabbato tantùm & Dominico offeratur. *Concilio Laodicensi, tit. XLVII.*

CCVIII.

Vt in Quadragesimâ, quintâ feriâ vltimæ hebdomadæ, ieiunium non dissoluatur. *Concilio Laodicensi, tit. XLVIII.*

CCIX.

Vt in Quadragesimâ natalitia Martyrum non celebrentur. *Concilio Laodicensi, tit. XLVIIII.*

CCX.

Vt in Quadragesimâ nuptiæ non celebrentur. *Concilio Laodicensi, tit. L.*

CCXI.

Vt nullus peregrinus sine formatâ Episcopi accipiatur. *Concilio Antiocheno, tit. VII.*

CCXII.

Vt die quintæ feriæ, septimanæ sanctæ Paschæ, secundò offeratur. *Concilio Septimunicensi.*

Crescon. 5.4. *Dionysius* 37. Carth. anni 397.

CCXIII.

Vt in sacrificio, absque pane & vino nullus offerat. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXII.*

CCXIV.

Vt diebus Quinquagesimæ genua non flectantur. *Concilio Sardicensi, tit. I.*

CCXV.

Vt ante Pentecosten nullus audeat ieiunare. *Concilio Septimunicensi.*

CCXVI.

Vt non liceat in dominicis agapem facere, vel in ecclesiis: aut intùs accubitus sternere. *Concilio Laodicensi, tit. XXVII.*

CCXVII.

Lege *tit. I.*

Vt custodiatur fides Patrum trecentorum decem & octo. *Concilio Constantinopolitano, tit. II.*

CCXVIII.

Vt Conciliorum statuta priscorum ab omnibus obseruentur. *Concilio Zellensi.*

CCXIX.

Cresconius 276. 70. *Dionysius* 103. Carth. anni 397. & aliud anni 407.

Vt nullus in precibus, nisi ad Patrem dirigat orationem: & vt priùs eas cum instructioribus tractet. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXI item Concilio Carthaginensi, tit. VII.*

CCXX.

Vt vna sit in Sacramentis per omne Byzacium disciplina. *Concilio Maradianensi.*

CCXXI.

Vt mulieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur (apud nos autem viduæ seniores, vniuiræ, & matriculæ) in Ecclesiâ tanquam ordinatas constitui non liceat. *Concilio Laodicensi, tit. XI.*

CCXXII.

Corb. *tit. XLIV.* Lege *tit. XLII.*

Vt mulieres ad altare non ingrediantur. *Concilio Laodicensi, tit. XLIII.*

CCXXIII.

Vt sanctæ oblationes ad vices eulogiarum non dirigantur. *Concili Laodicensi, tit. XIIII.*

CCXXIV.

Vt sabbatis Euangelia legantur. *Concilio Laodicensi, tit. XVI.*

CCXXV.

Vt de diuersis versibus & sensibus libri, vnum canticum non connectatur. *Concilio Laodicensi, tit. XVII.*

CCXXVI.

Vt etiàm per sollemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum salis. *Concilio Carthaginensi, tit. XI.*

Carth. III. anni 397. tit. 5.

CCXXVII.

Vt corporibus defunctorum Eucharistia non detur. *Concilio Carthaginensi, tit. XII.*

Cresconius 247. 18. *Dionysius* 18. Carth. anni 397.

CCXXVIII.

Vt præter Scripturas canonicas nihil in ecclesiâ legatur. *Concilio Laodicensi, tit. LVII. Concilio Carthaginensi, tit. XLV.*

Cresconius 299. 24. *Dionysius* 24. Carth. anni 397.

CCXXIX.

Vt liceat Passiones Martyrum legere in natalibus eorum. *Concilio Carthaginensi, tit. XLVI.*

Dionysius 46. Carth. anni 397.

CCXXX.

Vt soli Ecclesiæ Carthaginis liceat alienum clericum ordinare. *Concilio Carthaginensi, tit. LIIII.*

Dionysius 55. Carth. anni 397.

CCXXXI.

Vt omnes Ecclesiæ ab Ecclesiâ Carthaginis diem Paschæ audiant tempore Concilij. *Concilio Carthaginensi, tit. V.*

Dionysius 51. Carth. anni 397.

CCXXXII.

Vt nullus ordinetur nisi probatus vel Episcoporum examine, vel populi testimonio. *Concilio Carthaginensi, tit. XXVIIII.*

Carth. III. anni 397. tit. 22.

FINIS.

CRISCONII EPISCOPI AFRICANI BREVIARIVM CANONICVM.

Adſcriptis à margine locis relatiuis Ferrandi ac Dionyſij, quoad Canones Africanos : necnon Pontificum Decretis iuxtà ordinem quo in Epiſtolis eorum decretalibus adnotata reperiuntur.

HIC. HABETVR. CONCORDIA. CANONVM. CONCILIORVM. INFRASCRIPTORVM. ET. PRÆSVLVM. ROMANORVM. ID. EST. CANONVM. APOSTOLORVM. NICÆNORVM. ANCYRANORVM. NOVÆCÆSARIENSIVM. GANGRENSIVM. ANTIOCHENSIVM. LAODICENSIVM. CALCHEDONENSIVM. SARDICENSIVM. CARTHAGINENSIVM. ITEM. PRÆSVLVM. SIRICII. INNOCENTII. ZOSIMI. CÆLESTINI. LEONIS. ET GELASII.

INCIPIT PRÆFATIO.

DOMINO veré ſancto, ſempérque beato Pontifici Liberino, Criſconius Chriſti famulorum exiguus. Veſtri ſacerdotij incomparabile decus, quo fidei puritate ac vitæ probitate admodùm reſplendetis, vos non deſinit præmonere, vtilitatibus dominici gregis, cu-

ius

ius gubernacula suscepistis, & sollicitiùs militare, & solertissimè prouidere. Ad cuius vestri expletionem officij, industriam nihilominùs vestrorum exquiritis subiectorum : quos ità necesse est vt spiritalis alimoniâ panis eum ipsum dominicum gregem largifluè nutriatis. Vnde peruidens mundanis ac diuinis legibus humanæ vitæ regimen consistere, & iuris quidem præcepta exorbitantium gressus frænis artioribus coërcere, ecclesiasticas verò sanctiones rectè viuendi terminum piis ac fidelibus animis præfixisse : illis floralibus subrelictis præcipis vt cuncta canonica constituta, quæ ab ipsis exordiis militiæ Christianæ tam Sancti Apostoli, quàm apostolici viri per successiones temporum protulere, vobis colligamus in vnum, eorúmque Concordiam facientes, ac titulorum prænotationem interponentes, ea lucidiùs declaremus. Quod opus, pro tantæ rei magnitudine, nostras excedere vires proculdubio intueris : à quo me cùm excusare sæpissimè voluissem, paternâ auctoritate institisti, subsidium nobis diuinum fidentissimè pollicens profuturum. Quo mihi suffugio interclusо, item proposui, hoc Canonum Breuiatum à viro reuerentissimo Ferrando Carthaginis Ecclesiæ Diacono iam fuisse digestum, & debere eum nostræ eruditioni sufficere ; ne aliud exquirendo, eius prudentiæ deprehendamur in aliquo derogare. Cui nostræ excusationi penitùs submouendæ itidem obiecisti, non ad illius sapientissimi viri reprehensionem hoc te exquirere velle, sed nostram potiùs scientiolam industriosiùs capere & elimare. Quibus peractis, iam præcauens Christo in vobis loquenti quamlibet excusationem obtendere, cœlesti auxilio præmunitus, obsequi malui imperatis, vestrisque votis, Deo fauente, libentissimè subseruire. Illâ maximè inuitatus ex parte, quòd antefatus venerabilis vir ad conuersationem memoriæ eorum hoc effecisse noscitur Breuiatum, qui illa ipsa iam benè cognita perceperant, quo per eum cùm voluerint, quæ cupiunt recordentur : indoctorum verò, quorum est maxima multitudo, in eodem opere studium probatur, vt ita dixerim, sequestrasse; dum eos ad inquisitionem earum rerum præmisit, quæ nec ab omnibus reperiuntur, nec repertæ sine fastidio perleguntur. Nulli siquidem dubium est, quàm molestissimè perferat lector, dum auidiùs cuiusque

rei cognitionem expectat; & ad librum præmittitur quem aut fortè non legit, aut vbi repetiat, non nouit. Quamobrem, antefati viri laude prælatâ, necessarium duxi profectui subseruiens paruulorum, iuxtà vestrum imperium, cuncta ecclesiastica, vt dictum est, constituta, quæ ad nostram notitiam peruenerunt, in hoc opere sub titulorum serie prænotare: & ea condiscere valentibus & volentibus dubitationis ambagem auferre; vt eorum plena instructio non ex difficultate scriptoris, sed ex desidiâ iam dependeat lectoris. Quod opus hæc etiam Deo præstante vtilitas consequetur, vt dum vnumquodque canonicum decreti, de quo quæstio fuerit pro tempore agitata, æquissimus iudex coram perspexerit multimodè esse digéstum; probabili examinatione condiscat, vtrum ex seueritate, an ex lenitate suum animum debeat moderari. Quam ei instructionem illa maximè consideratio exhibebit, si plurium & maximè auctoratorum ipse qui maluerit, constitutis fuerit præmonitus. Vnde quæso, vt in hac ipsâ Canonici Breuiarij repetitione, sicut eximius noster ille protestatus est doctor, Ignoscant scientes, ne offendantur nescientes: satiùs est enim offerre habenti, quàm non habentem differre. Vestram quinetiam deprecor sanctitatem, vt si in quo forsitan peruideris tuo desiderio minimè satisfactum, deuotionem potiùs adprobes, & genuinæ inscientiæ veniam dones. Ora pro me, meíque semper memento, Pontifex Deo digne.

Finit Præfatio.

Deinceps succedunt Capitula.

I.

Dionysius 13. & 16. Ferrandus 4. Dionysius 17. Ferrandus 5.

DE ordinatione Episcopi. *In Canonibus Apostolorum, tit. 1. Concilio Niceno, tit. IIII. Concilio Anthioceno, tit. XVIIII. Concilio Laodiceno, tit. XII. Concilio Carthaginensi, tit. XIII. Item Carthaginensi, tit. XVI.* Quòd si de ordinatione eius fuerit contradictum, quòd alij debeant adiici. *Concilio Carthaginensi, tit. XVII.*

II.

Siricius ep. 1. tit. 8. 9. 10.

De ordinatione Presbyteri, Diaconi, & cæterorum. *In*

Canonibus Apostolorum, *tit. II. Ex Decretis Papæ Siricij*, *tit. VIII. Ex Decretis Papæ Innocentij*, *tit. XXXII.* Item de eorum conuersatione qui ab infantiâ Deo se vouerunt. *Ex Decretis Papæ Siricij*, *tit. VIIII.* Item de grandæuis. *Ex Decretis Papæ Zosimi*, *tit. III. Ex Decretis Papæ Siricij*, *tit. X. Ex Decretis Papæ Cælestini*, *tit. XVI.*

Innocentius epist. 4. tit. 5. Zosimus ep. 1. tit. 3. Cælestinus ep. 2. tit. 3.

III.

De monachorum promotione. *Ex Decretis Papæ Siricij*, *tit. XIII. Ex Decretis Papæ Innocentij*, *tit. XVII. Ex Decretis Papæ Zosimi. tit. I. Ex Decretis Papæ Gelasij*, *tit. II. III. & XVI.*

Siricius ep. 1. tit. 13. Innocentius ep. 2. tit. 10. Zosimus ep. 1: tit. 1. Gelasius ep. 9. aliàs 1. tit. 2. *Priscis igitur.* tit. 3. *Si verò de laïcis.* t. 16. *Inliteratos.*

IIII.

Vt neophyti non ordinentur. *Ex Concilio Nicæno*, *tit. II. Concilio Laodicensi*, *tit. III. Concilio Sardicensi*, *tit. XIII. Ex Decretis Papæ Leonis*, *tit. XXXIII.*

Leo epist. 84: aliàs 82. tit. 3.

V.

Vt nihil aliud in sacrificio, præter id quod Dominus statuit, offeratur. *In Canonibus Apostolorum*, *tit. III. In Concilio Carthaginensi*, *tit. IIII.*

Dionysius 37. *Ferrandus* 213

VI.

Quæ species ad altare, non ad sacrificium sed ad benedictionem simplicem debeant offerri. *In Canonibus Apostolorum*, *tit. IIII.*

VII.

Vt ea quæ in ecclesiis offerri non possunt, ad domos Sacerdotum à fidelibus deferantur. *In Canonibus Apostolorum*, *tit. V.*

VIII.

Vt Episcopus aut Presbyter vxorem suam quam debet castè regere, non relinquat, *In Canonibus Apostolorum*, *tit. VI.*

VIIII.

Vt Sacerdotes & ministri altaris à sæcularibus curis se abstineant. *In Canonibus Apostolorum*, *tit. VII.*

X.

Quo tempore Pascha celebretur. *In Canonibus Apostolorum*, *tit. VIII. Concilio Antiocheno*, *tit. I.*

XI.

Quòd ministri altaris oblatione celebratâ debeant communicare. *In Canonibus Apostolorum*, *tit. VIIII.*

XII.

Quòd fideles laïci ingredientes ecclesiam communicare de-

beant. *In Canonibus Apostolorum, tit. X. Concilio Antiocheno tit. II.*

XIII.

Quòd cum excommunicatis non sit orandum. *In Canonibus Apostolorum, tit. II. Concilio Nicæno, tit. V. Concilio Antiocheno, tit. VI.*

XIIII.

Dionysius 9.

Quòd cum damnatis clericis non sit orandum. *In Canonibus Apostolorum, tit. XII. Concilio Antiocheno, tit. IIII. Concilio Carthaginensi, tit. VIIII.*

XV.

Vt nullus fidelium præter commendatitias suscipiatur epistolas. *In Canonibus Apostolorum, tit. XIII. Concilio Antiocheno, tit. VII. & VIII.*

XVI.

Vt ab Episcopis aliena parrochia non peruadatur. *In Canonibus Apostolorum, tit. XIIII. Concilio Antiocheno, tit. XXI. Concilio Calchedonensi, tit. V.*

XVII.

Dionysius 54. & 55. Ferrandus 27. Leo epist. 84. aliàs 82. tit. 8. Gelas. epist. 9. alias 1. tit. 23. *Quisquis propria.*

Vt clerici proprias Ecclesias non relinquant. *In Canonibus Apostolorum, tit. XV. Concilio Nicæno, tit. XV. & XVI. Concilio Calchedonensi, tit. XX. Concilio Antiocheno, tit. III. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXXVII. Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XXIII. Concilio Carthaginensi, tit. XXI. & XXII.*

XVIII.

Innocentius ep. 2. tit. 7. Leo epist. 84. aliàs 82. tit. 9.

Vt Episcopus qui clericos alterius susceperit, communione priuetur. *In Canonibus Apostolorum, tit. XVI. Concilio Sardicensi, tit. XVI. & XVII. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XIIII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXXVIIII.*

XVIIII.

Siricius ep. 1. tit. 11. Innoc. ep. 2. tit. 4. 5. 6. ep. 4. tit. 2. Leo ep. 1. t. 2.

Vt digami non admittantur ad clerum. *In Canonibus Apostolorum, tit. XVII. Concilio Laodiceno, tit. I. Ex Decretis Papæ Siricij, tit. XI. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XI. XII. & XIII. item tit. XXVIIII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. II.*

XX.

Innocentius ep. 4. tit. 3. ep. 22. tit. 1.

Quòd si quis viduam, vel eiectam, aut meretricem acceperit, non admittitur ad clerum. *In Canonibus Apostolorum, tit. XVIII. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXX. item cuius suprà, tit. LI.*

XXI.

Vt qui duas ſorores habuerit, non admittatur ad clerum. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XVIIII.*

XXII.

Clericum fideiuſſorem eſſe non oportere. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XX.*

XXIII.

Quòd hi qui non ſponte eunuchizati ſunt, ſuſcipiantur ad clerum. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXI. Concilio Nicæno, tit. I.*

XXIIII.

Vt is qui ſe eunuchizauit, clericus non fiat. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXII.*

XXV.

Vt clericus qui ſe eunuchizauit, abiiciatur à clero. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXIII. Ex Decretis Papæ Gelaſij, tit. XVII.*

Gelas. epiſt. 9. aliàs 1. tit. 17. *De his autem.*

XXVI.

Vt laïcus qui ſe eunuchizauit, tribus annis communione priuetur. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXIIII.*

XXVII.

Vt Epiſcopus, Presbyter, Diaconus ſi pro criminibus damnati fuerint, minimè communione priuentur. Similiter & reliqui Eccleſiæ miniſtri. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXV. & XXVI. Ex Decretis Papæ Siricij, tit. VII. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXI. & XXXIII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XVI. Ex Decretis Papæ Gelaſij, tit. XVIII. Concilio Carthaginenſi, tit. XXVII.*

Dionyſius 27. *Ferrandus* 118. Siricius ep. 1. tit. 7. Innoc. ep. 3. tit 1 ep. 5. Leo ep. 92. aliàs 90. tit. 2. Gelas. ep. 9. aliàs 1. tit. 18. *Comperimus.*

XXVIII.

Qui clerici debeant coniugibus ſociari. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXVII. Concilio Carthaginenſi, tit. XVI.* In quo item decretum eſt, vt nullus ex officio eccleſiaſtico conductor fiat, & ab vſuris abſtineant, & quo tempore ordinentur.

Dionyſius 16.

XXVIIII.

Quòd Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus fideles peccantes verberare non debeant. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXVIII.*

XXX.

Quòd officium priſtinum damnati pro criminibus vſurpare non debeant. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XXVIIII.* Item

Dionyſius 63. & 79. *Ferrandus* 136.

quòd clericis damnatis non liceat communicare. *Concilio vniuersali Carthaginensi, tit. XXVIIII.* Et quòd intrà annum causam suam peragant. *Concilio suprascripto, tit. XLVI.*

XXXI.

Gelas epist. 9. aliàs 1. tit. 24. *De Monachis.*

Quòd non debeant officia ecclesiastica pecuniis obtineri. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXX. Concilio Calchedonensi, tit. II. & ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XXIIII.*

XXXII.

Vt ecclesia sæculari potentiâ minimè peruadatur. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXI.*

XXXIII.

Dionysius 10. *&* 11. *Ferrandus* 181.

De Presbyteris qui contemptis Episcopis suis, seorsùm conuentus congregare tentauerint. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXII. Concilio Antiocheno, tit V. Concilio Carthaginensi, tit. X. & XI.*

XXXIIII.

Quòd clerici damnati non debeant ab aliis recipi. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXIII. Concilio Sardicensi, tit. XVIII. & XVIIII.*

XXXV.

Vt nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus sine commendatitiis suscipiantur epistolis. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXIIII. Concilio Laodiceno, tit. XLI. Concilio Calchedonensi, tit. XI.*

XXXVI.

Innoc. ep. 2. tit. 1.

De primatu Episcoporum. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXV. Concilio Antiocheno, tit. VIIII.* Et de priuilegiis quæ quibusdam ciuitatibus competunt. *Concilio Nicæno, tit. VI. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. VIIII.*

XXXVII.

Quòd non liceat Episcopo in alienâ prouinciâ clericos ordinare. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXVI. Concilio Antiocheno, tit. XIII. & XXII.*

XXXVIII.

De ordinatis Episcopis, nec receptis. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXVII. Concilio Ancyrano, tit. XVII. Concilio Antiocheno, tit. XVIII.*

XXXIIII.

Leo epist. 84. aliàs 82. t. 7. 10. & 11.

Vt bis in anno Concilia celebrentur. *In Canonibus Apostolo-*

rum, tit. XXXVIII. Concilio Nicæno, tit. V. Concilio Antiocheno, tit XX. Concilio Calchedonensi, tit. XVIIII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXXVII. Vt non ampliùs à statuto Concilij tempore quàm dies quindecim remorentur Episcopi. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XLI.*

XL.

Vt curam rerum ecclesiasticarum tantùm Episcopus habeat. *In Canonibus Apostolorum, tit. XXXVIIII. Concilio Antiocheno, tit. XXIIII.*

XLI.

De dignitate Pontificis, & quòd rerum suarum habeat potestatem. *In Canonibus Apostolorum, tit. XL.*

XLII.

Quòd Episcopus ecclesiasticarum rerum pro dispensatione pauperum habeat potestatem. *In Canonibus Apostolorum, tit. XLI. Concilio Antiocheno, tit. XXV.* Et vt quatuor tam de reditibus quàm de oblationibus fidelium fiant portiones; & vna sit Episcopi, alia clericorum, tertia pauperum, quarta verò fabricarũ ecclesiasticarum. *Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XXVII.*

Gelas. ep. 9. aliàs 1. t. 27. *Quatuor.*

XLIII.

Quòd Episcopus, Presbyter, & Diaconus, aleator & ebriosus non debeat esse. *In Canonibus Apostolorum, tit. XLII.* Similiter & clerici & laïci si permanserint in aleâ, communione priuentur. *Item in Canonibus Apostolorum, tit. XLIII.*

XLIIII.

Quòd Episcopus, Presbyter & Diaconus non debeant vsuras accipere. *In Canonibus Apostolorum, tit. XLIIII. Concilio Nicæno, tit. XVII. Concilio Laodiceno, tit. V. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. III. & IIII. Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XV.*

Leo epist. 1. tit. 3. & 4. Gelas ep. 9. aliàs 1. tit. 15. *Consequens.*

XLV.

Quòd non debeat Episcopus & Diaconus cum hæreticis orare. *In Canonibus Apostolorum, tit. XLV.*

XLVI.

Quòd non liceat Catholicis ad hæreticorum speluncas, causâ orationis accedere. *Concilio Laodicensi, tit. VIIII.*

XLVII.

Quòd non oporteat Catholicos cum hæreticis nuptiarum fœdera copulare. *Concilio Laodicensi, tit. X. item de hoc ipso tit.*

Dionysius 11; *Ferrandus* 39.

XXXI. Concilij Calchedonensis, tit. XIIII. Concilio Carthaginensi tit. XXI.

XLVIII.

Quòd non oporteat ab hæreticis eulogias accipere. *Concilio Laodicensi, tit. XXXII.*

XLVIIII.

Quòd non debeant hæreticorum baptiſmata comprobari. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XLVI.*

L.

Quòd Eccleſiæ Baptiſmate baptizatus, denuò baptizari non debeat: & non ità baptizatus, debeat baptizari. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XLVII.*

LI.

Quòd in nomine Trinitatis debeat baptizari. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. XLVIIII.*

LII.

Quòd non debeat vna merſio in Baptiſmate, quaſi in morte Domini prouenire. *In Canonibus Apoſtolorum, tit. L.*

LIII.

Siricius ep. 1. tit. 1. Innocentius ep. 18. tit. 3.

De Arrianis non rebaptizandis. *Ex Decretis Papæ Siricij, tit. I. Ex Decretis Papæ Innocentij tit. XLVII.*

LIIII.

De his qui dicuntur Cathari, id eſt mundi. *Concilio Niceno, tit. VIII.*

LV.

De his qui à Paulo Samoſateno ad Eccleſiam veniunt. *Concilio Nicæno, tit. XVIIII.*

LVI.

De aliis hæreticis qui ad Eccleſiam veniunt. *Concilio Laodiceno, tit. VII.*

LVII.

De his qui veniunt ab hæreſi Cataphrygarum. *Concilio ſuprascripto, tit. VII.*

LVIII.

Innocentius ep. 2. tit. 8.

De his qui veniunt à Nouatianis, vel Montenſibus. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XV.*

LVIIII.

Innocentius ep. 20. & 22.

De Bonoſiacis hæreticis, quòd Iudæis ſint comparandi. Et

de

de ſuſcipiendis clericis quos idem Bonoſus antequàm damnaretur, ordinauit. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XLVIIII. & L.*

LX.

Quòd non admittantur ad clerum ab hæreticis ordinati. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. LIII. LIIII. LV. LVI. & LVII.*

Innoc. ep. 22. tit. 3. 4. 5 6. 7.

LXI.

Quòd omnis cuiuſlibet ordinis clericus, qui catholicam deſerens, hæreticæ ſe communioni miſcuerit, ſi ad Eccleſiam reuerſus fuerit, in eo gradu quo fuerat, ſine promotione permaneat. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XIIII.*

Leo epiſt. 3.

LXII.

De his quibus dubium eſt, vtrùm Baptiſmum perceperint, neceſſe eſt vt renaſcantur. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXVIII. Concilio Carthaginenſi, tit. XXXVIIII.*

Leo epiſt. 92. aliàs 90. t. 15.

LXIII.

Quòd ij qui ſe baptizatos agnoſcunt, ſed in quâ fide, neſciunt, per manus impoſitionem ſuſcipiendi ſunt. *Ex Decretis Papæ Leonis. tit. XXVIIII.*

Leo epiſt. 92. aliàs 90. t. 16.

LXIIII.

De his qui non ſponte, ſed inuiti ad iterationem Baptiſmi compulſi ſunt. *Ex Decretis Papæ Leonis. tit. XLVII.*

Leo epiſt. 79. aliàs 77. t. 6.

LXV.

Vt hi qui ab hæreticis baptizati ſunt, ſolâ ſancti Spiritus inuocatione firmentur. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XLVIII.*

Leo epiſt. 79. aliàs 77. t. 7.

LXVI.

De his qui in ægritudine Baptiſma conſequuntur. *Concilio Nouacæſarienſi, tit. XII. Concilio Laodicenſi, tit. XLVII. Concilio Carthaginenſi, tit. XII.*

Dionyſius 45. *Ferrandus* 202.

LXVII.

De Chriſtianis qui ſabbatizare, vel iuxtà quendam modum iudaïzare noſcuntur. *Concilio Laodicenſi, tit. XXVIIII.*

LXVIII.

De ſchiſmaticis. *Concilio Laodiceno, tit. XXXIII.*

LXVIIII.

De Martyribus hæreticorũ. *Concilio Laodiceno, tit. XXXIIII. Concilio Carthaginenſi, tit. L.*

Dionyſius 83. *Ferrandus* 171.

LXX.

De his qui ab hæreticis, vel Iudæis festiuitatis eorum dona suscipiunt. *Concilio Laodicensi, tit. XXXVII.*

LXXI.

De Christianis qui Iudæorum azyma comederunt. *Concilio Laodicensi, tit. XXXVIII.*

LXXII.

De Christianis celebrantibus festa Gentilium. *Concilio Laodicensi, tit. XXXVIIII.*

LXXIII.

De hæreticis intrantibus in ecclesiam vel basilicas Martyrum. *Concilio Laodicensi, tit. VI.*

LXXIIII.

Leo epist. 79. aliàs 77. tit. 5.

Captiuis cibos immolatitios per necessitatem comedentibus pœnitentia concedenda. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XLVI.*

LXXV.

Dionysius 43. *Ferrandus* 49.

Qualiter debeant in Ecclesiâ suscipi pœnitentes. *Concilio Carthaginensi, tit. X.*

LXXVI.

De his qui ad ordinem presbyterij sine examinatione prouecti sunt. *Concilio Nicæno, tit. VIIII.* Quo tempore Presbyterum conueniat ordinari. *Concilio Nouacæsariensi, tit. XI.*

LXXVII.

De his qui in persecutionibus negauerunt, & postmodùm in clero promoti sunt. *Concilio Nicæno, tit. X.*

LXXVIII.

De laïcis qui negauerunt, & de his qui abrenunciauerunt, & iterùm ad sæculum sunt reuersi. *Concilio Nicæno, tit. XI. & XII.*

LXXVIIII.

De his qui communionem tempore mortis exposcunt. *Concilio Nicæno, tit. XIII.*

LXXX.

De Catechumenis lapsis. *Concilio suprascripto, tit. XIIII.*

LXXXI.

De Presbyteris qui immolauerunt tempore persecutionis. *Concilio Ancyrano, tit. I.*

LXXXII.

De Diaconis qui immolauerunt. *Concilio Ancyrano, tit. II.*

LXXXIII.

De his qui ex fugâ comprehensi sunt, & per vim immolarunt. *Concilio Ancyrano, tit. III.*

LXXXIIII.

De his qui diuersis causis gentilitatis ritu aliquid peregerunt. *Concilio suprascripto, tit. IIII. Ex Decretis Papæ Siricij, tit. III.*

Siricius ep. 1. tit. 3.

LXXXV.

De his qui timore ritus gentilium peregerunt. *Concilio Ancyrano, tit. V.*

LXXXVI.

De his qui in locis idolorum manducauerunt. *Concilio Ancyrano, tit. VI.*

LXXXVII.

De his qui frequenter idolis immolauerunt. *Concilio Ancyrano, tit. VII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXX.*

Leo epist. 92. aliàs 90. t. 17.

LXXXVIII.

De his qui & aliis sacrificandi causas adtulerunr. *Concilio Ancyrano, tit VIII.*

LXXXVIIII.

De his qui cùm essent Catechumeni, idolis immolauerunt. *Concilio Ancyrano, tit. XI.*

XC.

De his qui diuinationes expetunt. *Concilio Ancyrano, tit. XXIII.* Vel de his qui Angelos colunt. *Concilio Laodicensi, tit. XXXV.* Et vt clericus magus & incantator non sit, neque phylacteria faciat. *Concilio Laodicensi, tit XXXVI.*

XCI.

De his qui ad presbyterium vel diaconatum promouentur, & ante ordinationem peccatorum sibi sunt conscij. *Concilio Nouacæsariensi, tit. VIIII. & X.*

XCII.

De Diaconis qui tempore ordinationis de nuptiis attestati sunt. *Concilio Ancyrano, tit VIIII.*

XCIII.

Vt Presbyteri modum sibi debitum seruent; hoc est, non chrisma conficiant, non consignent, nec præsente quolibet Episcopo, nisi iubeantur ab ipso, vel orare, vel sedere præ-

Dionysius 6. & 7. Ferrandus 91. Gelas. ep. 9. aliàs 1. tit. 6. *Nec minùs.*

ſumant, nec acolythum vel ſubdiaconum faciant. *Ex Decretis Papæ Gelaſij, tit. VI. Concilio Carthaginenſi, tit. VI. & VII.*

XCIIII.

Gelaſ. epiſt. 9. aliàs 1. tit. 8. *Non in presbyterio.*

De priuilegiis Presbyterorum. *Concilio Nicæno, tit. XVIII. Concilio Laodicenſi, tit. XX. Ex Decretis Papæ Gelaſij, tit. VIII.*

XCV.

Gelaſius ep. 9. aliàs 1. tit. 7. *Diaconos.*

Vt Diaconi menſuram propriam, iuxtà Patrum ſtatuta cuſtodiant. *Ex Decretis Papæ Gelaſij, tit. VII.*

XCVI.

De Chorepiſcopo, ideſt, Vicario Epiſcopi, quæ ad eius officium pertineant. *Concilio Ancyrano, tit XII. Concilio Antiocheno, tit. X.*

XCVII.

Dionyſius 26. *Ferrandus* 47.

De rebus eccleſiaſticis eo tempore diſtractis, quo ipſæ Eccleſiæ viduantur Epiſcopis. *Concilio Ancyrano, tit. XIIII. Concilio Carthaginenſi, tit. XXVI.*

XCVIII.

De his qui eſum carnium in clero conſtituti diffugiunt. *Concilio Ancyrano, tit. XIII.*

XCVIIII.

De his qui fornicantur inrationabiliter, ideſt, cum pecoribus, aut cum maſculis. *Concilio Ancyrano, tit. XV. & XVI.*

C.

Siricius ep. 1. tit. 6.

De monachis & virginibus qui ſuam profeſſionem non cuſtodiunt. *Concilio Ancyrano, tit. XVIII. Concilio Calchedonenſi, tit. VII. & XVI. Ex Decretis Papæ Siricij, tit. VI.*

CI.

Innoc. ep. 2. tit. 12. & 13. Leo epiſt. 92. aliàs 90. tit. 12. & 13. Gelaſ. ep. 9. aliàs 1. t. 20. *Virginibus.*

Item de virginibus velatis vel non velatis, ſi deuiauerint. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XVIIII. & XX. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXVI. & XXVII. Ex Decretis Papæ Gelaſij, tit. XX.*

CII.

De his qui adulteras habent vxores, vel adulteri comprobantur. *Concilio Ancyrano, tit. XVIIII.*

CIII.

De his qui partus ſuos ex fornicatione diuerſis modis interimunt. *Concilio Ancyrano, tit. XX.*

CIIII.

De homicidiis, vel de his qui non ſponte homicidium com-

miserunt. *Concilio Ancyrano, tit. XXI. & XXII.*

CV.

De desponsatis puellis & ab aliis corruptis. *Concilio Ancyrano, tit. X. Ex Decretis Papæ Siricij, tit. IIII.*

Siric. epist. 1. tit. 4.

CVI.

De his qui virginum corruptionibus conscij sunt. *Concilio Ancyrano, tit. XXIIII.*

CVII.

Laïcum pellentem coniugem suam, communione priuandum. *In Canonibus Apostolorum, tit. XLVIII.*

CVIII.

De Presbyteris qui vxores acceperunt, vel fornicati sunt. *Concilio Nouacæsariensi, tit. I.*

CVIIII.

Quòd Sacerdotes & Leuitæ cum mulieribus coire non debeant. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XVI. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XVII. Concilio Carthaginensi, tit. XXV.*

Dionysius 25. *Ferrandus* 16. Innocentius epist. 2. tit. 9. Leo epist. 92. aliàs 90. t. 3.

CX.

Quæ mulieres cum Episcopo, Presbytero, Diacono debeant commorari. *Concilio Nicæno, tit. III. Ex Decretis Papæ Siricij, tit. XII.*

Siric. ep. 1. tit. 12.

CXI.

De Presbyteris qui habuerint coniugia. *Concilio Gangrensi, tit. IIII.*

CXII.

De his quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores acceperint vxores. *Concilio Nouacæsariensi, tit. II.*

CXIII.

De multinubis. *Concilio Nouacæsariensi, tit. III.*

CXIIII.

De his qui suam concupiscentiam adimplere à Deo non permittuntur. *Concilio Nouacæsariensi, tit. IIII.*

CXV.

De catechumenis peccatoribus. *Concilio Nouacæsariensi, tit. V.*

CXVI.

De catechumenâ prægnate. *Concilio Nouacæsariensi, tit. VI.*

CXVII.

Quòd non oporteat in bigami nuptiis orare * Presbyterum.

* Videtur legendum *conuiuari*.

Concilio supradicto, tit. VII.

CXVIII.

De his qui mulieribus adulteris iuncti sunt. *Concilio suprascripto, tit. VIII.*

CXVIIII.

Quòd Presbyteri plebis in ecclesiâ ciuitatis nec sacrificium offerre, nec ministrare debeant quæ oblata sunt. *Concilio suprascripto, tit. XIII.*

CXX.

Quòd in qualibet magnâ ciuitate septem tantùm Diacones esse debeant, iuxtà Apostolorum dispositionem. *Concilio suprascripto, tit. XIIII.*

CXXI.

De his qui nuptias execrantur. *Concilio Gangrensi, tit. I.*

CXXII.

De his qui abominantur eos qui carnibus vescuntur. *Concilio Gangrensi, tit. II.*

CXXIII.

De seruis qui iugum famulatus abiiciunt christianitatis obtentu. *Concilio suprascripto, tit. III.*

CXXIIII.

De his qui Ecclesiæ conuentus spernunt. *Concilio suprascripto, tit. V.*

CXXV.

De his qui ecclesiastica ministeria præter ecclesiam faciunt. *Concilio suprascripto, tit. VI.*

CXXVI.

De oblationibus fructuum quæ ministris Ecclesiæ conferuntur. *Concilio suprascripto, tit VII.*

CXXVII.

De his quæ in vsus pauperum conferuntur. *Concilio suprascripto, tit. VIII.*

CXXVIII.

De his qui non legitimè in virginitate persistunt. *Concilio suprascripto, tit. VIIII.*

CXXVIIII.

De his qui pro virginitate superbiunt. *Concilio suprascripto, tit. X.*

CXXX.

De his qui agapas, ideſt, paſtiones pauperum riſui ducunt. *Concilio ſupraſcripto, tit. XI.*

CXXXI.

De his qui palliis vtuntur, & idcircò ſuperbiunt. *Concilio ſupraſcripto, tit. XII. Ex Decretis Papæ Cæleſtini. tit. XIIII.*

Cæleſtinus ep. 2. tit. 1.

CXXXII.

De mulieribus quæ vtuntur virilibus indumentis. *Concilio Gangrenſi, tit. XIII.*

CXXXIII.

De his qui, velut peccatum, copulam deſerunt nuptiarum. *Concilio ſupraſcripto, tit. XIIII.*

CXXXIIII.

De his qui chriſtianitatis obtentu deſpiciunt filios. *Concilio ſupraſcripto, tit. XV.*

CXXXV.

De his qui parentes chriſtianitatis obtentu contemnunt. *Concilio ſupraſcripto, tit. XVI.*

CXXXVI.

De mulieribus quæ ſe attondent chriſtianitatis obtentu. *Concilio ſupraſcripto, tit. XVII.*

CXXXVII.

De his qui Dominico die ieiunant, tanquàm nihil præ cæteris differente. *Concilio ſupraſcripto, tit. XVIII.*

CXXXVIII.

De his qui die Dominico & diebus Pentecoſtes genua flectunt. *Concilio Nicæno, tit. XX.*

CXXXVIIII.

De his qui eccleſiaſtica ieiunia abſque neceſſitate diſſoluunt. *Concilio Gangrenſi, tit. XVIIII.*

CXL.

De his qui collectas, quæ fiunt in Martyrum commemorationibus, execrantur. *Concilio ſupraſcripto, tit. XX.*

CXLI.

De his qui in alienâ parrochiâ, præter conſcientiam ſuorum Epiſcoporum immorantur. *Concilio Antiocheno, tit. III.*

CXLII.

De Epiſcopis adeuntibus Imperatorē. *Conc. Antioch. tit. XI.*

Dionysius 104. Ferrandus 67. & 43.

CXLIII.

De damnatis Episcopis aut clericis adeuntibus Imperatorem. *Concilio Antiocheno, tit. XII. Concilio Carthag. tit. LXXI.*

CXLIIII.

Dionysius 19. & 20. Ferrandus 51. & 58.

De dissensione quæ super Episcoporum iudicatione contingit, vel cùm ab omnibus suâ prouinciâ Episcopus constanter excluditur. *Concilio Antiocheno, tit. XIIII. & XV. Concilio Carthaginensi, tit. XVIIII.* Vel quæ forma in accusatione Episcopi, Diaconi & cæterorum seruari debeat. *Concilio Carthaginensi, tit. XX.*

CXLV.

De vagantibus Episcopis, quòd alienam Ecclesiam peruadere non debeant. *Concilio Antiocheno, tit. XVI.*

CXLVI

Vt nullus ad episcopatum pro se constituat promouendum. *Concilio Antiocheno, tit. XXIII.*

CXLVII.

De Episcopis etiam laïcâ communione priuandis, qui ciuitates mutauerunt. *Concilio Sardicensi, tit. I.*

CXLVIII.

Item si per ambitionem sedem mutauerint, nec in exitu communionem, saltem laïcorum, consequantur. *Concilio Sardicensi, tit. II.*

CXLVIIII.

Vt inter discordes Episcopos, comprouinciales Antistites audiant. Quòd si damnatus appellauerit Romanum Pontificem, id obseruandum quod ipse censuerit. *Concilio Sardicensi, tit. III.*

CL.

Vt nullus accusati sedem vsurpet Episcopi. *Concilio Sardicensi, tit. IIII.*

CLI.

Quando quis debeat à vicinis prouinciis Episcopus ordinari. *Concilio Sardicensi, tit. V.*

CLII.

De non ordinandis Episcopis per vicos & modicas ciuitates. *Concilio Sardicensi, tit. VI.*

CLIII.

De prouinciali Synodo retractandâ per vicarios Episcopi

vrbis

vrbis Romæ, si ipse decreuerit. *Concilio Sardicensi, tit. VII.*

CLIIII.

Quando & in quibus causis Episcopi ad comitatum ire debent. *Concilio Sardicensi, tit. VIII. Concilio Carthaginensi, tit. XXIII. & XXVIII. Item Concilio vniuersali Carthaginensi, tit. LXXIII.*

Dionysius 23. 28. & 106.

CLV.

De Diaconis ad comitatum dirigendis. *Concilio Sardicensi, tit. VIIII.*

CLVI.

Quòd pro pupillis, & viduis, ac necessitatem patientibus ad comitatum eundum sit. *Concilio suprascripto, tit. X.*

CLVII.

Vt qui in canali sunt Episcopi, euntes ad comitatum sollicitè discutiant. *Concilio Sardicensi, tit. XI.*

CLVIII.

De his qui ignorant quid sit in Synodo constitutum. *Concilio suprascripto, tit. XII.*

CLVIIII.

Quamdiù Episcopus in aliâ ciuitate debeat remorari. *Concilio supradicto, tit. XIIII.* Qui verò persecutionis tempore in alienâ ciuitate remorari voluerint, non prohibeantur. *Concilio Sardicensi, tit. XXI.*

CLX.

Quòd non liceat Episcopo à suâ Ecclesiâ plùs tribus hebdomadibus abesse. *Concilio Sardicensi, tit. XI.*

CLXI.

De his qui pro diuersis erratis pœnitudinem feruentiùs gerunt. *Concilio Laodicensi, tit. II.*

CLXII.

De tempore ordinationis. *Concilio Laodicensi, tit. IIII.*

CLXIII.

Non congruere presbyteras in mulieribus ordinari. *Concilio suprascripto, tit. XI.*

CLXIIII.

Iudicio multitudinis ordinationem fieri non debere. *Concilio Laodicensi, tit. XIII. Ex Decretis Papæ Cælestini.* Quòd docendus sit populus non sequendus, *tit. XXII.* Et quòd non

Cælestinus ep. 3. tit. 2. & 3.

conueniat contemptis clericis Ecclesiarum, de laïcis Episcopum ordinari. *Ex Decretis Papæ eiusdem, tit. XXI.*

CLXV.

Ad alias parrochias eulogias quæ ablaræ sunt, minimè destinandas. *Concilio Laodicensi, tit. XIIII.*

CLXVI.

De his qui debeant in ambone, idest, in pulpito psallere. *Concilio Laodicensi, tit. XV.*

CLXVII.

De lectionibus quæ debeant Sabbato recenseri. *Concilio Laodicensi, tit. XVI.*

CLXVIII.

Quòd interstitium psalmorum debeat in congregationibus fieri. *Concilio suprascripto, tit. XVII*

CLXVIIII.

De precibus Nona & Vesperâ celebrandis. *Concilio Laodicensi, tit. XVIII.*

CLXX.

De precibus post sermones habitos ad plebem faciendis. *Concilio Laodicensi, tit. XVIIII.*

CLXXI.

Quòd subdiaconi à diaconío sint remoti. *Concilio suprascripto, tit. XXI.*

CLXXII.

Subdiacones cum orariis adsistere non licere. *Concilio suprascripto, tit. XXII.*

CLXXIII.

Lectores & cantores cum orariis agere suum officium non licere. *Concilio Laodicensi, tit. XXIII.*

CLXXIIII.

Quòd subdiaconi non debeant benedicere, nec benedictionem tribuere. *Concilio suprascripto, tit. XXV.*

CLXXV.

De exorcistis qui non sunt ab Episcopis ordinati. *Concilio supradicto, tit. XXVI.*

CLXXVI.

Quòd de conuiuiis quæ ex agape fi[illegible]n[illegible], partes accipi non debeant. *Concilio Laodiceno, tit. XXVII.*

CLXXVII.

In ecclesiis prandia fieri non debere præter necessitatem itineris. *Concilio suprascripto, tit. XXVIII. Concilio Carthaginensi, tit. VIIII.*

Dionysius 42. Ferrandus 71.

CLXXVIII.

De viris cum mulieribus lauacra celebrantibus. *Concilio Laodiceno, tit. XXX.*

CLXXVIIII.

Vt Episcopi ad Synodum inprætermissè occurrant. *Concilio Laodicensi, tit. XL. Concilio Antiocheno, tit. XVII.*

CLXXX.

Quòd præter iussionem Episcopi clericus non debeat proficisci. *Concilio Laodicensi, tit. XLI. & XLII.* Et vt subdiaconi ad ostia perseuerent. *Concilio suprascripto, tit. XLIII.*

CLXXXI.

Vt sacrarium mulieres non introeant. *Concilio Laodicensi, tit. XLIIII. Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XXVI.*

Gelas. epist. 9. aliàs 1. tit. 26. *Nihilominus.*

CLXXXII.

De his qui circà mediam septimanam ad Baptisma veniunt. *Concilio Laodicensi, tit. XLV.*

CLXXXIII.

De perceptione fidei, & redditione eorum qui baptizantur. *Concilio suprascripto, tit. XLVI.*

CLXXXIIII.

Vt post Baptisma, chrisma detur. *Concilio suprascripto, tit. XLVIII.*

CLXXXV.

Oblationes offerri in Quadragesimâ non oportere. *Concilio Laodiceno, tit. XLVIIII.*

CLXXXVI.

Non debere ieiunium solui in quintâ feriâ septimanæ maioris. *Concilio Laodiceno, tit. L.*

CLXXXVII.

Non debere in diebus ieiuniorum, commemorationes Martyrum fieri. *Concilio suprascripto, tit. LI.*

CLXXXVIII.

Vt natalitia vel nuptiæ in Quadragesimâ non fiant. *Concilio Laodicensi, tit. LII.*

CLXXXVIIII.

Vt in Christianorum non saltetur nuptiis. *Concilio suprascripto, tit. LIII.*

CXC.

Dionysius 15. Ferrandus 40.

Non licere clericis, ludicris spectaculis interesse. *Concilio suprascripto, tit. LIIII. Concilio Carthaginensi, tit. XV.*

CXCI.

Non licere Presbyteris introire ad altare, priusquàm egrediatur Episcopus. *Concilio Laodicensi, tit. LVI.*

CXCII.

Qui in agris vel possessionibus debeant ordinari. *Concilio Laodicensi, tit. LVII.*

CXCIII.

Oblationem offerri in domibus non oportere: vel quæ psallere in ecclesiâ conueniat. *Concilio Laodicensi, tit. LVIII. & LVIIII.*

CXCIIII.

Quòd non oporteat Episcopos, clericos, & monachos prædia aliena conducere. *Concilio Calchedonensi, tit. III.*

CXCV.

Leo epist. 1. tit. 1. Gelas. epist. 9. alias 1. tit. 14. *Generalis.*

De honore monachis competente: Et ne vllus eorum tentet ecclesiastica aut sæcularia inquietare negotia, nec alienum seruum, præter conscientiam domini sui, suscipere. *Concilio Calchedonensi, tit. IIII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. I. Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XIIII.*

CXCVI.

Quòd non oporteat absolutè quoslibet ordinari. *Concilio Calchedonensi, tit. VI.*

CXCVII.

De clericis qui sunt in pthochiis, monasteriis, atque martyriis, quæ sub potestate Episcoporum vniuscuiusque ciuitatis existunt. *Concilio Calchedonensi, tit. VIII.*

CXCVIII.

Quòd non oporteat clericos habentes aduersùs inuicem negotia, proprium Episcopum relinquere, & ad sæcularia iudicia properare. *Concilio Calchedonensi, tit. VIIII.*

CXCVIIII.

Quòd non liceat clerico in duarum ciuitatum ministrare

ecclesiis. *Concilio suprascripto, tit. X.*

CC.

Vt nequaquàm in duos Metropolitanos prouincia diuidatur. *Concilio suprascripto, tit. XII. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XLVI.*

Innocentius ep. 18. tit. 2.

CCI.

Quòd non oporteat peregrinos clericos sine commendatitiis ministrare. *Concilio Calchedonensi, tit. XIII.*

CCII.

De diaconissis mulieribus. *Concilio Calchedonensi, tit. XV.*

CCIII.

De parrochiis. *Concilio suprascripto, tit. XVII.*

CCIIII.

De coniurationibus vel conspirationibus. *Concilio suprascripto, tit. XVIII.*

CCV.

De Episcoporum aut clericorum accusatoribus, quid debeat obseruari. *Concilio Calchedonensi, tit. XXI. Concilio Carthaginensi, tit. VIII. XCV. & XCVI.* Et, vt qui vnum crimen non probauerit, ad aliud admitti non debeat. *Concilio suprascripto, tit. XCVII. & XCVIII.*

Dionysius 8. 128.129.130. 131. *Ferrandus* 194.195.196. 197.

CCVI.

Quòd non liceat clericis post mortem sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere. *Concilio Calchedonensi, tit XXII.*

CCVII.

Quòd non liceat clericis & monachis absque voluntate Episcopi ad vrbem regiam proficisci. *Concilio Calchedonensi, tit. XXIII.*

CCVIII.

Quòd non liceat monasteria quæ consecrata sunt, diuersoria sæcularia fieri. *Concilio suprascripto, tit. XXIIII.*

CCVIIII.

Quòd non oporteat ordinationes Episcoporum diù differri. *Concilio Calchedonensi, tit. XXV.*

CCX.

De dispensatoribus singularum Ecclesiarum. *Concilio suprascripto, tit. XXVI.*

CCXI.

De his qui raptum faciunt. *Concilio suprascripto, tit. XXVII.*

CCXII.

Vt præter Paſcha & Pentecoſten Baptiſma non celebretur. *Ex Decretis Papæ Siricij, tit. II. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. VII. VIII. VIIII. X. & XI. Ex Decretis Papæ Gelaſij, tit. X.*

Siric. ep. 1. t. 2. Leo ep. 4. t. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Gelaſ. ep. 9. aliàs 1. t. 10. *Baptizādi ſibi*

CCXIII.

De his qui pœnitentiam minimè ſeruauerunt. *Ex Decretis Papæ Siricij, tit. V. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. VII.*

Siric. ep. 1. t. 5. Innoc. ep. 1. tit. 7.

CCXIIII.

Quòd clericis non liceat pœnitentiam agere, & quòd poſt pœnitentiam nullus poſſit ad clerum admitti. *Ex Decretis Papæ Siricij, tit. XIIII. Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXXIIII.*

Siricius ep. 1. tit. 14. Innoc. ep. 6.

CCXV.

Vt ſi per ignorantiam, pœnitens, digamus, vel viduæ maritus clericus factus fuerit, iam non promoueatur. *Ex Decretis Papæ Siricij, tit. XV.*

Siricius ep. 1. tit. 15.

CCXVI.

De energumenis baptizatis. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. VI.*

Innocentius ep. 1. tit. 6.

CCXVII.

Quòd pro infirmis debeat Sacerdos orare, & iuxtà præceptum ſancti Iacobi, oleo perunguere. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. VIII.*

Innocentius ep. 1. tit. 8.

CCXVIII.

Vt extrà conſcientiam Metropolitani non ordinetur Epiſcopus. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. VIIII. Ex Decretis Papæ Cæleſtini, tit. XVII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXXII.*

Innocentius ep. 2. tit. 1. Cæleſtinus ep. 2. tit. 4. Leo epiſt. 84. aliàs 82. t. 2.

CCXVIIII.

Vt ex curialibus non fiat clericus. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XVIII.*

Innocentius epiſt. 2. tit. 11.

CCXX.

De vltimâ pœnitentiâ non negandâ. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXII. Ex Decretis Papæ Cæleſtini, tit. XV. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXI.*

Innocentius ep. 3. tit. 2. Cæleſtinus ep. 2. tit. 2. Leo ep. 92. aliàs 90. tit. 7.

CCXXI.

De adminiſtrationibus ſæcularium iudiciorum. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXIII.*

Innocentius ep. 3. tit. 3.

CCXXII.

Quòd pro coniugali fœdere, tam viro quàm fœminæ non

Innoc. ep. 3. tit. 4.

liceat in adulterium declinare, pro eo, quòd sibi in hoc ipso æquè debitores existũt. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXIIII.*

CCXXIII.

Quòd hi qui preces criminales dictant, sine crimine sint. *Ex Decretis eiusdem Papæ Innocentij, tit. XXV.*

Innocentius ep. 3. tit. 5.

CCXXIIII.

Quòd non liceat his, qui intercedente repudio à se segregati sunt, in aliam copulam pertransire. *Ex Decretis cuius suprà. tit. XXVI.*

Innocentius ep. 3. tit. 6.

CCXXV.

Quòd si quis partem sibi corporis volens amputauerit, clericus esse non possit: nolens autem possit. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXVIII.*

Innocentius ep. 4. tit. 1.

CCXXVI.

Si cuius vxor abducta in captiuitatem fuerit, & alteram maritus eius acceperit, reuertente primâ, secunda excludatur: quam dispositionem in muliere quoque, si alium virum, primo desistente, acceperit, conuenit obseruari. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. XXXVII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XLII. XLIII. XLIIII. & XLV.*

Innoc. ep. 9. Leo epist. 79. alias 77. t. 1. 2. 3. & 4.

CCXXVII.

De catechumeno, qui priusquàm baptizetur, vxorem amittit, & pòst aliam accepit, quòd clericus esse non possit. *Ex Decretis Papæ Innocentij, tit. LII.*

Innocentius ep. 22. tit. 2.

CCXXVIII.

Quòd nolentibus clericis vel populis non debeat Episcopus ordinari: & quòd ab illicitis sit ordinationibus abstinendum. *Ex Decretis Papæ Cælestini, tit XVIII. & XVIIII. Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XV. & XXXV.*

Cælestinus ep. 2. t. 5 & 6. Leo epist. 92. aliàs 90. t. 1. epist. 84. aliàs 82. tit. 5.

CCXXVIIII.

Quòd nulli Sacerdoti canones liceat ignorare. *Ex Decretis Papæ Cælestini, tit. XX.*

Cælestinus ep. 3. tit. 1.

CCXXX.

Quòd aliud sit vxor, aliud concubina: nec erret, quisquis filiam suam in matrimonio tradiderit, concubinam habenti. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XVIII.*

Leo epist. 92. aliàs 90. t. 4.

CCXXXI.

Quòd non sit coniugij duplicatio, cum ancillâ expulsâ,

Leo epist 92. aliàs 90. tit. 5.

vxor intromittatur. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XVIIII.*

CCXXXII.

Leo epist. 92. aliàs 90. tit. 6.

De communione priuatis, & ità defunctis. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XX.*

CCXXXIII.

Leo epist. 92. aliàs 90. tit. 8.

Quòd oporteat eum qui pro illicitis veniam postulat, etiam à licitis abstinere. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXII.*

CCXXXIIII.

Leo epist. 92. aliàs 90. tit. 9.

Quòd pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conueniat. *Ex Decretis eiusdem, tit XXIII.*

CCXXXV.

Leo epist. 92. aliàs 90. t. 10.

Quòd ad militiam sæcularem post pœnitentiam redire non debet. *tit. XXIIII. eiusdem.*

CCXXXVI.

Leo epist. 92. aliàs 90. t. 11.

Quòd adolescens, si vrgente quolibet mortis periculo pœnitentiam gesserit, & non se continuerit, vxoris debeat remedio sustentari. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXV.*

CCXXXVII.

Leo epist. 84. aliàs 82. tit. 4.

Quòd subdiaconis carnale connubium denegetur. *Ex Decretis Papæ Leonis, tit. XXXIIII.*

CCXXXVIII.

Gelas. epist. 9. aliàs 1. tit. 5. *Baptizandis.*

Vt nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. *Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. V.*

CCXXXVIIII.

Gelasius ep. 9. aliàs 1. tit. 11. *Ordinationes.*

Presbyterorum & Diaconorum ordinationes certis debere celebrari temporibus. *Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XI.*

CCXL.

Gelas. ep. 9. aliàs 1. tit. 12. *Deuotis.*

Vt constitutis diebus virgines sacræ velentur. *Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XII.*

CCXLI.

Gelas. ep. 9. aliàs 1. tit. 13. *Viduas.* & tit. 21. *Nam de viduis.*

Vt viduæ non velentur. *Ex Decretis Papæ Gelasij, tit. XIII. & XXI.*

CCXLII.

Gelas. ep. 9. aliàs 1. t. 19. *Vsque adeo.*

Quòd dæmoniis aliisque passionibus irretitis sacra mysteria tractare non liceat. *Ex Decretis cuius suprà, tit. XVIIII.*

CCXLIII.

Gelas. ep. 9. aliàs 1. tit. 22.

Quòd secunda coniugia sæcularibus non denegentur, quibus tamen pro hoc ipso, ad clerum minimè conuenit aspirare.

Ex

Ex Decretis Papæ Gelasij, *tit. XXII.*

Secundas nuptias.

CCXLIIII.

Vt ab Episcopis præceptione Papæ, nouæ basilicæ dedicentur. *Ex Decretis Papæ cuius suprà, tit. IIII.* Et nulla basilica sub defunctorum constructa nomine dedicetur. *Ex Decretis eiusdem, tit. XXV.*

Gelas. epist. 9: alias 1. tit. 4. *Basilicas.* & tit. 25. *De locorum.*

CCXLV.

Vt si quis Episcopus in crimine absque tempore Synodi detentus fuerit, à duodecim Episcopis audiatur, Presbyter verò à sex, Diaconus à tribus. *Concilio Carthaginensi, tit. XII. & XX.*

Dionysius 12. & 20. *Ferrandus* 51.

CCXLVI.

De diuersis ordinibus Ecclesiæ seruientibus. Vt si quis in causam incurrerit, & abnuerit ecclesiasticum iudicium, debeat periclitari. *Concilio suprascripto, tit. XV.*

Dionysius 15.

CCXLVII.

Vt clericus qui ordinatur, moneri debeat constituta paterna seruare; maximè verò, vt corporibus mortuorum Eucharistia & Baptisma non dentur. *Concilio Carthaginensi, tit. XVIII.*

Dionysius 18. *Ferrandus* 227.

CCXLVIII.

Vt Episcopi vel clerici, in eos qui Catholici non sunt, nihil conferant. *Concilio suprascripto, tit. XXII. & XLVIII.*

Dionysius 22. & 81. *Ferrandus* 32. & 33.

CCXLVIIII.

De accusato vel accusatore. *Concilio Carthaginensi, tit. XXX.*

Dionysius 30. *Ferrandus* 198.

CCL.

Quòd clerici qui Episcopis suis non obediunt vt promoueantur, nec illic manere debeant, vnde recedere noluerunt. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXI.*

Dionysius 31.

CCLI.

Vt si quis clericorum pauper promotus in ordine, aliquid posteà habuerit, Ecclesiæ potestati subiaceat. *Concilio suprascripto, tit. XXXII.*

Dionysius 32. *Ferrandus* 35.

CCLII.

Vt Presbyteri rem Ecclesiæ in quâ sunt constituti, non vendant: & nulli Episcopo liceat rem tituli matris Ecclesiæ vsurpare. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXIII.*

Dionysius 33. *Ferrandus* 38. 47. & 95.

CCLIII.

Vt paruuli qui apud Donatistas baptizantur, si conuersi fue-

Dionysius 47. 56. 57. & 68.

Ferrandus 189. & 193. rint, ab ordinationibus non prohibeantur. *Concilio Carthaginensi, tit. XIIII. XXIII. & XXIIII.* Item vt clerici Donatistarum in suis honoribus suscipiantur. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXV.*

CCLIIII.

Dionysius 35. Ferrandus 41. Vt Episcopi vel clerici filios suos non facilè emancipent. *Concilio suprascripto, tit. II.*

CCLV.

Dionysius 38. Ferrandus 132. Vt clerici vel continentes ad virgines & viduas non accedant. *Concilio suprascripto, tit. V.*

CCLVI.

Dionysius 39. Ferrandus 81. Vt Princeps Sacerdotum non appelletur Episcopus. *Concilio Carthaginensi, tit. VI.*

CCLVII.

Dionysius 41. Vt à ieiunis Sacerdotibus Deo sacrificia celebrentur. *Concilio Carthaginensi, tit. VIII.*

CCLVIII.

Dionysius 44. Ferrandus 48. De sollicitudine pro virginibus gerendâ. *Concilio suprascripto, tit. XI.*

CCLVIIII.

Dionysius 53. Ferrandus 13. Vt Episcopus non ordinetur in diœcesi quæ Episcopum nunquàm habuit, nisi cum voluntate Episcopi ad quem ipsa diœcesis pertinet. *Concilio Carthaginensi, tit. XX.*

CCLX.

Dionysius 56. Ferrandus 14. Vt qui Episcopi in diœcesibus fuerint ordinati, diœcesim sibi nullam vsurpent. *Concilio suprascripto, tit. XXIII.*

CCLXI.

Dionysius 58. De reliquiis idolorum vel templis ab Imperatoribus abolendis. *Concilio Carthaginensi, tit. XXV.*

CCLXII.

Dionysius 59. Vt clerici de iudicij sui cognitione non cogantur in publico dicere testimonium. *Concilio suprascripto, tit. XXVI.*

CCLXIII.

Dionysius 60. De paganorum conuiuiis auferendis. *Concilio Carthaginensi, tit. XXVII.*

CCLXIIII.

Dionysius 61. De spectaculis, vt in die Dominico vel cæteris Sanctorum sollemnitatibus minimè celebrentur. *Concilio Cartha-*

ginensi, tit. XXVIII.

CCLXV.

De histrionibus Christianis factis. *Concilio suprascripto, tit. XXX.* Dionysius 63.

CCLXVI.

De manumissionibus in ecclesiâ celebrandis. *Concilio Carthaginensi, tit. XXXI.* Dionysius 64.

CCLXVII.

Ne interuentor Episcopus cathedram vbi interuentor est, sedeat. *Concilio Carthaginensi, tit. XLI.* Dionysius 74. Ferrandus 22.

CCLXVIII.

De Episcopis qui ad Concilia non occurrerunt. *Concilio suprascripto, tit. XLIII.* Dionysius 76. Ferrandus 75.

CCLXVIIII.

Vt de alieno monasterio susceptos, nec Præpositos monasterij, nec clericos liceat ordinari. *Concilio Carthaginensi, tit. XLVII.* Dionysius 80. Ferrandus 28.

CCLXX.

Vt Episcopi qui ordinantur, ab ordinatoribus suis epistolas accipiant, quæ diem & Consulem præferant. *Concilio Carthaginensi, tit. LVI.* Dionysius 89. Ferrandus 10.

CCLXXI.

De his qui semel in ecclesiâ legerint, ab aliis non posse promoueri. *Concilio suprascripto, tit. LVII.* Dionysius 90.

CCLXXII.

Concilium vniuersale non nisi necessitate faciendum. *Concilio Carthaginensi, tit. LXII.* Dionysius 95. Ferrandus 144.

CCLXXIII.

Vt ab electis iudicibus prouocare non liceat. *Concilio Carthaginensi, tit. LXIII. & LXXXVIIII.* Dionysius 96, & 121. Ferrandus 64.

CCLXXIIII.

De plebibus quæ nunquàm Episcopos habuerunt. *Concilio suprascripto, tit. LXV.* Dionysius 98. Ferrandus 13.

CCLXXV.

De plebibus vel diœcesibus ex Donatistis conuersis. *Concilio suprascripto, tit. LXVI.* Dionysius 99. Ferrandus 190.

CCLXXVI.

De precibus ad altare dicẽdis. *tit. LXX. Concilij suprascripti.* Dionysius 103. Ferrandus 219.

CCLXXVII.

Dionysius 105

De his qui cùm in Africâ non communicant, voluerint trans mare subripere. *Concilio suprascripto, tit. LXXII.*

CCLXXVIII.

Dionysius 117
Ferrandus 190

De plebibus conuersis à Donatistis. *Concilio suprascripto, tit. LXXXIIII.*

CCLXXVIIII.

Dionysius 118
Ferrandus 191

De diœcesibus, qualiter eas diuidant inter se Episcopi tam Catholici, quàm qui ex Donati parte conuersi sunt. *Concilio suprascripto, tit. LXXXV.*

CCLXXX.

Dionysius 119

Vt si quam diœcesim Episcopus ab hæresi liberans, triennio possederit, nullus eam repetat. *Concilio suprascripto, tit. LXXXVI.*

CCLXXXI.

Dionysius 120
Ferrandus 25

De his qui in plebes, quas ad se putant pertinere, inconuentis his à quibus tenentur, irruerint. *Concilio suprascripto, tit. LXXXVII.*

CCLXXXII.

Dionysius 121

De his qui plebes ad se pertinentes negligunt. *Concilio suprascripto, tit. LXXXVIII.*

CCLXXXIII.

Dionysius 123

Vt si Episcopus negligat suam diœcesim, communione priuetur. *Concilio Carthaginensi, tit. XC.*

CCLXXXIIII.

Dionysius 124

De Episcopis qui Donatistas communicasse mentiti fuerint. *Concilio suprascripto, tit. XCI.*

CCLXXXV.

Dionysius 125

De Presbyteris & clericis, vt non appellentur nisi Africana Concilia. *tit. XCII. Concilij suprascripti.*

CCLXXXVI.

Dionysius 126

De virginibus etiam minoribus velandis. *tit. XCIII. Concilij suprascripti.*

CCLXXXVII.

Dionysius 132 & 133.
Ferrandus 73.

De Episcopo qui excommunicat eum quem sibi soli crimen dicit esse confessum. *Concilio Carthaginensi, tit. XCVIIII.* Vt non temerè quemquam communione priuet Episcopus. *tit. C. Concilij suprascripti.*

CCLXXXVIII.

Contrà impugnatores gratiæ Dei, & calumniatores Sancti Augustini. *Ex Decretis Papæ Cælestini, tit. I. & II.*

Cælestinus ep. 1. tit. 1. & 2.

CCLXXXVIIII.

Quòd Adam omnes homines læserit, & nec quemquam nisi Christi gratiâ posse saluari. *Ex Decretis Papæ Cælestini, tit. IIII.*

Cælestinus ep. 1. tit. 4.

CCXC.

Quòd nemo sit bonus suis viribus, nisi participatione eius qui solus est bonus. *tit. V. cuius suprà.*

Cælestinus ep. 1. tit. 5.

CCXCI.

Quòd nisi gratiâ Dei continuâ iuuemur, insidias diaboli superare non possumus. *Ex Decretis Papæ Cælestini, tit. VI.*

Cælestinus ep. 1. tit. 6.

CCXCII.

Quòd per Christum libero benè vtamur arbitrio. *Ex Decretis Papæ Cælestini, tit. VII.*

Cælestinus ep. 1. tit. 7.

CCXCIII.

Quòd omnia Sanctorum merita, dona sint Dei. *Ex Decretis eiusdem, tit. VIII.*

Cælestinus ep. 1. tit. 8.

CCXCIIII.

Quòd omnis sancta cogitatio & motus piæ voluntatis ex Deo sit. *tit. VIIII. cuius suprà.*

Cælestinus ep. 1. tit. 9.

CCXCV.

Quòd gratia Dei non solùm peccata dimittat, sed etiam adiuuet vt nec committantur; & lex impleatur, non, sicut ait Pelagius, facilè; quasi sine gratiâ Dei difficiliùs possit impleri. *tit. X. cuius suprà.*

Cælestinus ep. 1. tit. 10.

CCXCVI.

Quòd sedis apostolicæ omnes orationes Christi gratiâ resonent, quâ genus humanum ab æternâ damnatione reparatur. *Ex Decretis eiusdem Papæ Cælestini, tit. XI.*

Cælestinus ep. 1. tit. 11.

CCXCVII.

Quòd gratiam Dei etiam baptizandorum testetur instituta purgatio, cùm exorcismis & sufflationibus, spiritus ab eis abigantur immundi. *tit. XII. cuius suprà.*

Cælestinus ep. 1. tit. 12.

CCXCVIII.

Quòd profundiores quæstiones nec contemnendæ sint, nec penitùs astruendæ. *tit. XIII. cuius suprà.*

Cælestinus ep. 1. tit. 13.

CCXCVIIII.

Dionysius 24. *Ferrandus* 228.

Vt præter Scripturas canonicas nihil in ecclesiâ legatur. *Concilio Carthaginensi, tit. XXIIII.*

CCC.

Dionysius 36. *Ferrandus* 15.

Vt Episcopi & clerici non ordinentur, nisi omnes suos fecerint Christianos. *Concilio Carthaginensi, tit. III.*

FINIS.

FERRANDI DIACONI
AD
FVLGENTIVM EPISCOPVM
EPISTOLA.

De duabus quæstionibus super salute Æthiopis moribundi.

I. DOMINO beatissimo, & cum omni veneratione suspiciendo Patri Fulgentio Episcopo Ferrandus Diaconus in Domino salutem. Qui terrenis indigent facultatibus, nec diuturni operis continuato labore, vel honestæ artis industriâ, siue forsitan honestâ negotiatione pascuntur, solent ante diuitum fores postquàm verecundiam fames excluserit, suspirantes victum precibus quærere; virorum quoque nobilium clementissimas aures, etiam importunâ aliquando petitione pulsare. Norunt enim mendicantibus non prodesse silentia. Ego verò qui ingenij pauperis laboro penuriâ, neque multis oblatrantibus curis operari cibum sapientiæ quotidianâ diuinæ lectionis meditatione permittor; minùs etiam præualens meis, idest, disputationum, siue cogitationum mearum viribus inuestigare dubia, explanare obscura, diuidere ac definire contraria, pulso crebris gemitibus ad cœlestis patrisfamiliæ ianuam. Sed vbì rursùs indignum, cui tam citò aperiatur quod volo, memetipsum conuinco; tunc eos quos de intimis Regis cubiculi penetralibus accepisse dispensandam Domini mei pecuniam video, voce supplici deprecor, vt dignentur famem nostram

modicis saltem sumptibus consolari. Quorum quià vnus ex numero talentorum tibi creditorum multiplicare lucra desideras, & cœlestis scribæ pretiosissimam margaritam, quam distractis omnibus quæ habebas negotiator fidelissimus comparasti, generaliter acquirendam, possidendam, perfruendam, sine inuidiâ tabescente communicas: profer obsecro de thesauro tuo, dispensator egregie, noua simul & vetera, quibus indigentem locupletes, esurientem pascas, imperitum doceas, dubitanti quid sequatur ostendas.

II. Religiosi cuiusdam viri famulus ætate adolescens, colore Æthiops, ex vltimis credo barbaræ prouinciæ partibus, vbi sicco Solis ignei calore fuscantur adductus, salutaris lauacri necdum fuerat aspergine mundatus, aut micante Christi gratiâ dealbatus. Hic ergo dominorum fidelium diligentiâ, Sacramentis ecclesiasticis imbuendus, ad Ecclesiam traditur: fit ex more catechumenus: post aliquantum nihilominùs temporis propinquante sollemnitate paschali inter competentes offertur, scribitur, eruditur. Vniuersa quoque religionis catholicæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato sollemniter scrutinio, per exorcismum contrà diabolum vindicatur; cui se renunciare constanter, sicut hìc consuetudo poscebat, auditurus Symbolum profitetur. Ipsa insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clarâ voce pronuncians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Simúlque iam & quid crederet, & quid oraret intelligens, futuro Baptismati parabatur; cùm subitò violentis inuaditur febribus, & crescente lethali infirmitate turbatur. Persuasit dierum breuitas, vt ad fontem cum cæteris abluendus differretur, siue potiùs seruaretur. Et quid pluribus immorer? Hora exoptata cunctis aduenerat, in quâ populus acquisitionis, Redemptori suo per Baptismum consepultus, vitam veterem poneret, & nouam resurrectionis fidem innouatus assumeret. Tunc ille in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens Sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus apportatur, & pro eo nobis, quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit Baptismum, quem se accepisse, post paululum mortuus, in hac præsenti arbitror vitâ nesciuit.

III. Quæso,

III Quæso nunc, vtrùm nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Valdè enim timeo, ne propterea Dominus, cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegauerit, quòd eum beneficio secundæ natiuitatis iudicauit indignum. Quomodò namque potuerit ætas illa rationis capax alienâ confessione purgari, non video. Nónne solos paruulos ritè credimus offerentium fide saluari, quos originali tantùm nouimus iniquitate damnari? Id agente diuinâ iustitiâ miris modis, vt quodammodò vbi minimè propria, idest, actualis malitia reperitur, ritè nec propria voluntas requiratur: sed per abundantiam gratiæ detur aliis credentibus salus, quibus aliis peccantibus reatus adscriptus est. At hic proprio viuebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propriâ cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntariâ credulitate saluandus, quam in illo redemptionis loco confiteri nec voluit, nec valuit; qui nihil sentiens, velle omninò aliquid non valuit. An fortassis scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiàm nescienti? Sed hoc dicere dubito, ne quis mihi veraciter dicat; Ergo saluus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis peruenisset; quoniàm sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat.

Quæstio prior.

IV. Postremò, cur non etiàm mortuos baptizemus, quos sacro Baptismate repentina mors abstulit, sed eorum tamen voluntas, fidelisque deuotio nota omnibus fuit? Cui talia respondenti si consensum præbere tentauero, magna illicò sequitur absurditas; vt putetur illis tantùm mysteriis sufficientibus & salutem plenam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed renatum. Video in hoc articulo posse vsitatam Canonum proponi sententiam, quæ infirmos iubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub quâ definitione magìs arbitror, quid Ecclesia facere debeat imperatum, quàm quid ille percipiat indicatum. Videlicet vt minister verbi liber sit à culpâ negligentiæ, non vt ille ostendatur consors particépsque iustitiæ. Maximè, quià licèt multos in hac re moueri videam, sæpè tamen plùs ipse commoueor; hæsitans qualis debeat haberi sententia de his, qui etiamsi

legitimè sanâ mente baptizantur, præueniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem eius bibere non sinantur. Nota quippe sunt fidelibus Saluatoris verba dicentis; *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vnde petimus, vt velociori responsione nos instruas, vtrùm noceat, quantùm noceat, an omninò nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, sacro cibo potúque fraudetur: simul ad vtraque respondere dignatus, quæ præsumptione caritatis interroganda credimus, & quæ multis vtilissima fore suggerimus. Deus noster paternitatem vestram, ad ædificationem nostram custodire dignetur, Domine mi semper Pater.

Ioan. 6. 54.

QVÆSTIO POSTERIOR.

FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI EPISTOLA AD Ferrandum Diaconum.

De duabus quæstionibus super salute Æthiopis moribundi.

I. DOMINO venerabili, & in Christi caritate plurimùm desiderabili, sancto fratri, & Condiacono Ferrando, Fulgentius seruorum Christi famulus in Domino salutem. Gaudeo sancte frater, quòd in corde tuo flamma caritatis, quæ per Spiritum sanctum diffunditur, gratiâ subinde crescente nutritur: quæ facit in his quæ videntur plerisque dubia, manifestum aliquid de litteris agnoscere; ne dum ambiguitas habetur in ipso Sacramento salutis, putetur in vacuum credentibus dari gratia Saluatoris. Dicis itaque, quòd religiosi cuiusdam viri famulus, ætate adolescens, colore Æthiops, dominorum fidelium diligentiâ, Sacramentis ecclesiasticis imbuendus, fuerit ad Ecclesiam traditus, & ex more catechumenus factus. Post aliquantum nihilominùs tempus, propinquante sollemnitate paschali inter

competentes oblatus, scriptus, eruditus, vniuersa quoque religionis Christianæ veneranda mysteria cognoscens, atque percipiens, celebrato sollemni scrutinio, per exorcismum contrà diabolum fuerit vindicatus; cui se renunciare constanter, sicut Ecclesiæ Carthaginensis, in quâ iam Deo propitio Diaconus militas, consuetudo poscebat, auditurus Symbolum, fuerit professus. Iam insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi, clarâ voce pronuncians, piam regulam dominicæ orationis accepit. Qui simul iam, & quid crederet, & quid oraret intelligens, futuro Baptismati parabatur. Quem dicis violentis febribus inuasum, & crescente lethali infirmitate turbatum. Adiicis autem, quòd persuaserit dierum breuitas, vt ad fontem cum cæteris abluendus differretur, siue potiùs seruaretur. Dicis quoque aduenisse horam exoptatam cunctis, in quâ populus acquisitionis Redemptori suo per Baptismum consepultus, vitam veterem deponeret, & nouam resurrectionis fidem innouatus assumeret. Tunc ille, vt ais, in extremo halitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens Sacerdoti interroganti respondere, deferentium manibus apportatur, & pro eo vobis, quasi pro infante respondentibus, mente absentissimus accepit Baptismum; quem se accepisse, post paululùm mortuus, in hac præsenti, quantùm arbitraris, vitâ nesciuit.

II. Hac itaque narratione completâ, deinde quæris, vtrùm ei nihil ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuerit. Valdè enim te timere testaris, ne propterea Deus, cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegauerit, quòd eum beneficio secundæ natiuitatis iudicarit indignum. Dicis quoque te non videre, quomodò potuerit ætas illa rationis capax, alienâ confessione purgari, eo quòd solos paruulos rectè credamus offerentium fide saluari, quos originali tantùm nouimus iniquitate damnari: id agente diuinâ iustitiâ miris modis, vt quodammodò, vbi minimè propria, idest, actualis malitia reperitur, nec propria voluntas requiratur, sed per abundantiam gratiæ detur aliis credentibus salus, quibus aliis peccantibus reatus adscriptus est. Hic autem, vt asseris, proprio viuebat arbitrio: super illud quod de radice traxerat, multa sine dubio vitia propriâ cupiditate contraxerat, pluri-

morum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntariâ credulitate saluandus, quam in illo redemptionis loco confiteri nec voluit, nec valuit, qui nihil sentiens, velle omninò aliquid non valuit. His verbis tuis alia sub timore interrogationis opponis, dicens, an fortassìs scientis præterita confessio remissionem peccatorum meruit etiàm nescienti? Hoc, inquis, dicere dubito, ne quis mihi veraciter dicat; ergo saluus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis peruenisset: quoniàm, sicut asseris, expiationis meritum per mysteria transacta meruerat. Postremò, cur non etiàm mortuos baptizemus, quos sacro Baptismate repentina sæpe mors abstulit, sed eorum tamen voluntas, fidelísque deuotio nota omnibus fuit? Adiicis deinde, quòd si talia respondenti consensum præbere tentaueris, magna illicò sequeretur absurditas, vt putetur illis tantùm mysteriis sufficientibus, & salutem plenissimam conferentibus, aquam fontis æterni non renasciturum suscipere, sed renatum. Postremò, ne quid vigilantissimæ intelligentiæ tuæ, sollicitudiníque piissimæ minùs quæsitum putaretur, adiungis in hoc articulo posse vsitatam Canonum proponi sententiam; quæ infirmos iubet, si pro se respondere non valuerint, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub quâ definitione magìs arbitrari dicis te, quid Ecclesia facere debet imperatum, quàm quid ille percipiat indicatum. Videlicet, vt minister verbi liber sit à culpâ negligentiæ, non vt ille ostendatur consors particépsque iustitiæ. Maximè quià licèt multos ex hac re, sicut ais, moueri videas, sæpè tamen plùs ipse commouearis, hæsitans qualis debeat haberi sententia de his, qui etiamsi legitimè sanâ mente baptizantur, præueniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem eius bibere non sinuntur. Propter illa scilicet, quæ nota sunt fidelibus, Saluatoris verba, dicentis; *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Deinde petis, vt velociori responsione vos instruam, vtrùm noceat, quantùm noceat, an omninò nihil noceat, si quis baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis, sacro cibo potúque fraudetur. Quoniàm igitur semel ad vtraque nos respondere caritas imperat, dignum est, vt imperanti caritati caritas libenter obediat. Speramus autem, quo-

Ioan. 6. 54.

niàm ad persoluendum debitum caritatis, illius gratia adesse dignabitur, à quo ipsa caritas inspiratur.

III. Primitùs itaque meminisse nos oportet illius sententiæ, quam generaliter ad humani salutem generis promulgauit gratuita beneuolentia Saluatoris. Illam porrò nunc dico sententiam, quam ipse Dominus tantò tenaciùs voluit nostris mentibus inhærere, quantùm eam cunctis præceptis suis posteriore dignatus est tempore promulgare. Post resurrectionem siquidem, corpore ascensurus in cælum, sed cum suis in terrâ diuinitate mansurus, hæc inuenitur suis dixisse discipulis; *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Benè hîc Dominus eum qui crediderit & baptizatus fuerit, saluari prædixit: non credentem autem, damnandum sine dubitatione monstrauit. In non credente quippe nulla fuit futuri ratio facienda Baptismatis. Qui enim non crediderit, siue baptizetur, siue non baptizetur, sine dubitatione damnabitur. Hac autem sententiâ, quâ Dominus statuit, atque definiuit, omnem non credentem sempiternâ punitione damnandum, non solùm eos, quos huius vitæ finis à Sacramento Baptismatis inuenit alienos, verùm etiam omnes hæreticos diuinâ non dubium est definitione damnandos. Si enim fides, quam vnam esse Beatus Paulus diuino Spiritu repletus asseuerat, illa est vtique, quæ non ficta, sed vera; quià finis præcepti est caritas, de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ; quomodò credere dicitur, à quo fidei veritas non tenetur? Quidquid enim credentis animum continet, quod à fidei veritate cognoscitur alienum, necesse est, id esse mendacium. Odit autem Dominus omnes qui operantur iniquitatem, & perdet eos qui loquuntur mendacium. Propter quod & Sapientia in Prouerbiis dicit; *Quoniàm veritatem meditabuntur fauces meæ; abominata verò ante me labia mendacia.* Non ergo accipiunt in Baptismo salutem, qui non tenent in corde atque ore fidei veritatem. Ac per hoc, licèt formam pietatis habeant, quæ constat in Sacramento Baptismatis; abnegando tamen pietatis virtutem, nec vitam percipiunt, nec salutem. Quid autem talibus restat, nisi damnatio sempiterna, quam eis pariet fides non vera, sed ficta? In talibus quip-

Marc. 16. 15.

Ephes. 4. 5.

Prou. 8. 7.

Act. 15. 9. pe nec caritas est de corde puro; quià secundùm Beati Petri sententiam, fide Dominus suorum corda purificat: nec cordis puritas esse potest vbì fides non est: quià nec fides omninò dicenda est, vbì vera non est. Quoniàm igitur vbì est caritas de corde puro, ibi fides est non ficta, sed vera; cor autem non fictione fidei, sed veritate purgatur; manifestum est apud hæreticos, in quibus non est veritas, sed fictio fidei, caritatem de corde puro nullatenùs inueniri. Conscientiam verò bonam quomodò possunt habere, in quibus per incredulitatem habitat Princeps ille malitiæ? Isti ergo, nisi conuertantur, & fidei veritate saluentur, pro incredulitatis crimine damnabuntur: quià non illum dilexerunt, in quem non secundùm veritatem fidei crediderunt; nec in eis potuit esse conscientia bona, quos constat contrà fidem veram, vsque in finem vitæ mortiferam tenuisse perfidiam. Nec moueat aliquem, quòd licèt fictam, tamen Beatus Apostolus fidem nuncupauit: quià alio loco, sicut vnum Deum, sic vnam prædicauit & fidem. Illud enim Beatus Apostolus non secundùm rei veritatem, sed secundùm opinionem fidelium posuit. Nam & illud quod à Pseudoapostolis prædicabatur, idem Apostolus, & Euangelium nuncupat, & Euangelium non esse confirmat. Quod in epistolâ

Gal. 1. 6. eius, quæ scripta est ad Galatas, continetur his verbis; *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vocauit vos in gratiâ Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud* Quomodò ergo aliud Euangelium, si non est aliud; nisi aliud secudùm perfidorum errorem, non autem aliud secundùm fidei veritatem? Sic & fides à perfidis secundùm propriam opinionem fingitur, à quibus vera fides, quam Spiritus sanctus tribuit, non habetur. Falsi quoque nominis scientiam, idem Beatus demonstrat

Tim. 6. 20. Apostolus, dicens; *O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Sicut autem illa quæ falso nomine scientia nuncupatur, scientia non est: ità & fides, quam non Spiritus diuinitùs infundit, sed humanus sibi spiritus fingit, vtique fides non est. Ac per hoc, secundùm illorum opinionem fides dicitur, quæ tamen fides esse nullatenùs inuenitur. Nam & Deos inuenimus in sanctis eloquiis appellari, quos tamen non esse Deos ipsa prorsùs elo-

Psalm. 95. 5. quia diuina testantur. Dicitur quippe in Psalmis; *Omnes Dij*

gentium dæmonia. Hieremias quoque ait; *Dij qui non fecerunt cælum & terram, pereant de sub cælo.* Qui tamen alio loco ipsos, quos Deos nuncupat, ostendit non esse Deos. Ait enim; *Circuite insulam Cethim, & videte; & in Cedar mittite, & intelligite vehementer, & videte si facta non sunt talia. Si mutauit gens Deos suos, & isti non sunt Dij.* Inuenimus autem Dei nomen in Scripturis sanctis, quantùm nobis nunc occurrit, modis quatuor. Dicitur enim Deus secundùm veritatem naturæ, quomodò sola sancta Trinitas est vnus, verus, & incommutabilis Deus, qui ait; *Videte quoniàm ego sum Deus, & non est alius præter me,* & de quo Dauid dicit; *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum?* Hic est vnus, & solus Deus, qui solus naturaliter Deus est. Ab hoc vno vero Deo quidam, vt essent Dij, non naturaliter habuerunt, sed dono gratiæ perceperunt. De talibus diis fuit Moyses, cui ille vnus verus Deus ait; *Ecce dedi te deum Pharaoni.* De talibus sunt etiàm illi, de quibus dicitur, *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* Isti ergo dij eam gratiam acceperunt, vt dij essent, quam acceperunt, vt filij Dei fierent. Dicit autem Euangelista, quià *quotquot acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Ipsis item dicitur, *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* Duo ergo isti modi in nominando laudabiles. Vnus, quo naturaliter vocatur verus Deus: alter quem per gratiam quibus voluit largitus est Deus; qui tamen ab inuicem magnâ differentiâ distinguuntur. Ille quippè modus, quo in Dei nomine veritas naturalis ostenditur, sic vnum Deum ipsa naturalis nominis veritate demonstrat, vt Deos in se nunquàm vocari permittat. Hinc est, quòd sicut solus Pater, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus veraciter Deus dicitur: ità simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non tres Dij, sed vnus Deus veraciter nominatur. Hoc habet illa Trinitas vnus Deus, vt tres quidem personæ sint, sed tres Dij non sint: quià illa Trinitas vnus verus est Deus. Ideò Dei Filius, non solùm secundùm veram diuinitatem, quam habet de naturâ Patris, sed etiàm secundùm carnem, quàm veram naturaliter habet de corpore genitricis, Deus verus & creditur, & prædicatur à nobis. Quo-

Hier. 10. 11.
Hier. 2. 10.
Deut. 32. 39.
Psalm. 17. 32.
Exod. 7. 1.
Psal. 81. 6.
Ioan. 1. 12.
Psal. 81. 6.

niàm æterna diuinitas Filij cum plenâ humanitate suâ, & eadem plena humanitas Filij cum æternâ diuinitate suâ, vna est in Trinitate persona: & ipse totus in diuinitate, atque humanitate suâ vnigenitus Filius cum Patre, & Spiritu sancto vnus est Deus. Alter verò modus quià non est naturæ, sed gratiæ, ideò sine aliquâ fidei prauitate nomen deorum in se recipit: quià solam continet adoptiuorum multitudinem; quibus, vt filij Dei fierent summa Trinitas vnus verus Deus tribuit potestatem.

IV. In illo ergo modo claritas naturalis agnoscitur, in isto autem gratiæ largitas inuenitur. Duo verò residui modi, quibus Deus, aut aliqua res, aut persona nominatur, magìs inueniuntur digni vituperatione, quàm laude. Et ideò in vtroque manifesta inuenitur culpa, quià nulli eorum vel natura potest inesse, vel gratia. Vnus quippe est secundùm affectum prauæ cupiditatis, alter secundùm opinionem erroris. Nam carnali cupiditati deditus animus, hoc sibi Deum facit esse quod diligit præ omnibus. Hinc est quòd Beatus Apostolus, quorumdam terrena sapientium ventrem Deum esse, sine dubitatione pronunciat, dicens; *Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* (Phil. 3. 19.) Hìc existimo Apostolum, terrena sapere, pro terrena diligere posuisse. Talem sensum illo etiam loco arbitror contineri, vbi memoratus Apostolus dicit; *Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt, quærite, vbì Christus est in dexterâ Dei sedens, quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.* (Colos. 3. 1.) Ostendens namque quòd ea quæ sunt super terram sapere non deberent, paulò pòst addidit; *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam quæ est simulacrorum seruitus.* (Ibid. v. 5.) Cùm ergo mortificari præcipit membra nostra quæ sunt super terram, concupiscentiam vtique in nobis mortificari rerum imperat terrenarum. Propter quod alio loco dicitur; *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* (Gal. 5. 24.) Quibus etiàm vult & nos mortuos æstimemus, dicens; *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu.* (Rom. 6. 11.) Illi quippe rei viuit quisque quam diligit; & illi se exhibet mortuum, cuius in se mortificauit affectum. Terrena ergo sapiunt,

qui

qui terrena diligunt: & Deum ſibi ventrem faciunt, qui gulæ delectationibus illecebroſam ſui cordis mancipant ſeruitutem. Opinio verò humani erroris dupliciter ſibi Dei nomen mendaciter in ſuum finxit exitium. Quæ gemina erroris opinio non minùs ſibi hæreticos vendicat, quàm paganos; dum & iſtos, & illos eo ſibi ſubiicit, quo ſimul omnes diuerſis vinculis multimodæ falſitatis adſtringit. Pagani quippe, relicto vero Deo, falſorum Deorum ſuperſtitioni deſeruiunt: hæretici autem de vero Deo falſa opinantes, veritati ſanctæ religionis obſiſtunt. Manifeſtum eſt igitur, hæreticos vinculo mortiferi erroris obſtringi, nec debere dici fideles, quos Eccleſia inimicos patitur pertinaces: quandoquidem infidelitatis reatus ſit, vel falſa de vero Deo credere; vel falſum Deum, ſub nomine veri Dei adorare.

V. Quoniàm ergo de illâ Domini ſententiâ ſumpſimus diſputationis exordium, quæ ſtatuit, quia omnis qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluabitur; illum puerum ſaluatum eſſe credamus, in quo nihil defuiſſe eorum, quæ ab Baptiſmatis officium, atque effectum pertinent, inuenimus. Officium quippe ſecundæ natiuitatis, in fide, & confeſſione; effectus autem in regeneratione cōſiſtit. *Quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Credunt ergo, vt filij Dei fiant; quoniàm ad hoc accipiunt gratiam fidei, vt credentes accipiant gratiam Sacramenti. Dignum namque eſt, vt dum corde creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fiat ad ſalutem. Manifeſtum eſt autem, quòd ſicut officium credulitatis, & confeſſionis pertinet ad catechumenum, ſic effectus Baptiſmatis pertinet ad miniſtrum: & dum ab illo per veram fidem confeſſio promitur; ſubſequenter eſt, vt iſto tingente ſalutaris myſterij gratia peragatur. Quam regulam in Actibus Apoſtolorum Sancti Philippi videmus opere cuſtoditam; qui cùm admoneretur à Spiritu ſancto, vt prædicaret Eunucho Dominum Ieſum Chriſtum, ſimúlque ad quandam aquam veniſſet; Eunucho poſtulante, & dicente; *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* ille priùs elicuit confeſſionis officium, cui rectè ſancti Baptiſmatis miniſtraret effectum. Ideò reſpondit Eunucho; *Si credis ex toto corde, licèt.* Et quià præceſſit Eunuchi confeſſio, ſubſequenter etiàm in eo per Phi-

Ioan. 1. 12.

Act. 8. 36.

v. 37.

lippi ministerium effectus sanctæ regenerationis impletur. Quâ ergo iustitiâ ille qui credulitatis, & confessionis persoluit officium, non consequeretur sanctæ regenerationis effectum? Nam si ordo attendatur operis & mercedis, opus est in fide & confessione, merces in Baptismo. Ideò enim quisque dignus Baptismate iudicatur, quando præcedit fidei, confessionísque meritum; cui tamquàm in mercedem, sancti Baptismatis debeat tribui Sacramentum. Dignus est autem operarius mercede suâ. Non ergo Baptismatis mercede fraudari debuit, qui opus credulitatis & confessionis, diuinitùs datâ cordis & oris deuotione persoluit. Non hoc vtique fuit horâ Baptismatis interrogandus, quod est anteà in Symboli pronunciatione confessus. Nihil itaque illi ad æternam beatitudinem consequendam vox ablata nocuit, qui quamdiù potuit, in ipsâ fidei confessione permansit. Ablata non est, nec mutata: nec abolitum est quod dixit, quando dicere non potuit; quia quamdiù sentire potuit, sententiam non mutauit. Sed timeo, inquis, ne propterea Dominus, cui omnia possibilia sunt, facultatem loquendi denegauerit, quòd eum beneficio secundæ natiuitatis iudicauit indignum. Immò magìs ibì agnoscamus Dominum nostrum non fuisse oblitum misericordiæ suæ, in quo etsi vocem abstulit, vitam tamen non ademit; vt quod præbuit credere, confiteríque, acciperet viuens. Sed dubitatur, quomodò potuerit ætas illa rationis capax alienâ confessione purgari. Immo suâ inuenitur confessione purgata, cui tunc aliorum confessio subsecuta prodesse non posset, si propria minimè præcessisset. Secundò itaque illi aliorum confessio sine dubio profuit, quando non nolentem præuenit, cùm deficienti subsecuta subuenit; & quod in illo voluntas illuminata credendo & confitendo cœpit, hoc pro illo caritas fraterna perfecit.

Matth.10.32. VI. Legimus itaque Dominum dixisse; *Qui me confessus fuerit coràm hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis.* Isti autem, quamdiù loquendi facultas fuit, confessio illa non defuit. Quis ergo dicere audebit confessionem illam salutis indignam, quam videt non voluntatis peruersitate reiectam, sed infirmitatis necessitate comprehensam? Debilitata est enim lingua, non conscientia deprauata: dicit

autem Apostolus; *Habentes autem eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est; Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus; propter quod & loquimur.* Ille itaque, qui Spiritu fidei accepto credidit, & locutus est; quoniàm ipso Spiritu, quem acceperat vt crederet, tunc carere poterat si negaret; quando non negauit, profectò non caruit. Ipso ergo Spiritu quo locutus est credens, redemptus est tacens; quoniàm ipso Spiritu natiuitas secunda perficitur, quo secunda credulitas datur. Proinde quando non defuit sano credendi & confitendi voluntas, non obfuit infirmo tacendi necessitas.

2. Cor. 4. 13.

VII. Est autem verum, quia solùm paruulos ritè credimus offerentium fide saluari, quos originali tantùm nouimus iniquitate damnari; id agente diuinâ iustitiâ miris modis, vt quodammodò vbì minimè propria, id est actualis malitia reperitur, nec voluntas propria requiratur: sed per abundantiam gratiæ detur aliis credentibus salus, quibus aliis peccantibus reatus adscriptus est. Addis autem, quià hic proprio viuebat arbitrio: super illud quod radice traxerat, multa sine dubio vitia propriâ cupiditate contraxerat, plurimorum peccatorum vinculis obligatus, & non nisi voluntariâ credulitate saluandus, cùm in illo redemptionis loco confiteri, nec voluit, nec valuit, quia nihil sentiens velle aliquid omninò non valuit. Hæc nempe, carissime frater, verba sunt tua, quæ in illâ, quàm destinasti, continentur epistolâ. Proinde originalis peccati primitùs est qualitas attendenda: quod vtique ab aliis admissum, in alios est generationis vitio propagatum. In cuius abolitione si quando illa ætas est, cui propria non possit inesse confesio; aliis credentibus & confitentibus datur paruulis salus, quibus aliis peccantibus est reatus adscriptus. Quocircà quoniàm in ætatibus iam ratione vtentibus propria confesio quæritur; illâ scilicet ratione, quoniàm & viuunt, & intelligunt, habentes ex vitâ peccatum originis, & ex intelligentiâ peccatum propriæ actionis: ideò istum rectè dicimus sine dubitatione saluatum, quià & intelligens credidit, & quod credidit propriâ confesione firmauit: & deinde, quamuis iam non intelligens, tamen adhuc viuens, Sacramentum sanctæ regenerationis accepit. Nam per sancti Baptismatis Sacramentum, illa vita est peccati originalis nexibus absoluta, quæ fuerat

eiuſdem peccati vinculis obligata. Et quià tanta eſt virtus ſancti Baptiſmatis, vt vbì vitam inuenerit, in quâ illud originalis peccati vinculum ſoluat, omnia quæ ſuperadiecta repererit, ſecundæ natiuitatis beneficio diluat, iuxtà illud quod Apoſtolus ait; *Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem*: dignè illum credimus eſſe ſaluatum, cui & ante Baptiſma credulitas, & intelligentiæ confeſſio non defuit; & in horâ Baptiſmi, vita quamuis in infirmo & febricitante permanſit. Vita igitur, quæ contraxit originale peccatum, quià quando potuit, teſtimonium ſuæ conſcientiæ atque intelligentiæ dedit; etiàm quando confiteri non potuit, illius confeſſionis merito remiſſionem peccati originalis accepit. Maximè conſecratione vnitatis Eccleſiæ ſuffragante, quâ factum eſt, vt confeſſionem tempore præterito redditam, quià non potuit in horâ Baptiſmi reddere propter infirmitatem corporis, adiutorio fraternæ redderet caritatis: vt eorum membrorum verbo fuiſſet adiutus, quorum fuit conſortio deputandus. Illo autem originali peccato dimiſſo, cuncta peccata, quæ propriâ voluntate contraxerat, dimiſſa fuiſſe nemo fidelium dubitat. Præterita igitur ſcientis confeſſio * remiſſionem peccatorum meruit etiàm neſcienti quid diceret, nullatenùs dubitemus.

Rom. 5. 16.

* Hìc deeſt *quòd*, vel *quia*.

VIII. Neque enim ab hac ſententiâ noſtrum animum reuocare debet vlla ſuſpicio, ne quis dicat quòd ille ſaluus eſſet, ſi nec ad ipſam tinctionem corporis perueniſſet; cùm vtique non dicamus, illum ſine Baptiſmi Sacramento ſolâ confeſſione potuiſſe ſaluari. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Illum vtique adoleſcentem, quià crediſſe, & confeſſum fuiſſe nouimus, ideò per Sacramentum Baptiſmatis ſaluum fuiſſe firmamus. Qui ſi non baptizaretur, non ſolùm neſciens, ſed etiàm ſciens nullatenùs ſaluaretur. Via enim ſalutis fuit in confeſſione, ſalus in Baptiſmate. Nam in illâ ætate, non ſolùm ei confeſſio ſine Baptiſmate nihil prodeſſet, ſed nec ipſum Baptiſma non credenti neque confitenti vllatenùs proficeret ad ſalutem. Ideò ergo illi Deus confeſſionem prodeſſe voluit, quià eum vſque ad ſanctam regenerationem in hac vitâ ſeruauit. Donum itaque ſanctæ regenerationis ſicut ille, quià voluit, petiuit; ſic Deus, quià voluit, dedit.

IX. Mortuos autem propterea non baptizamus, quià omne peccatum siue originale, siue actuale, quià simul est animæ carníque commune; nihil eorum dimittitur, si à suâ carne anima separetur. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Anima itaque sine carne nullâ ratione saluatur, quæ peccauit in corpore, nec credidit cùm esset in corpore. Ac per hoc, malum recipit quod gessit in corpore, non bonum, quod in corpore constituta non gessit. Caro quoque sine animâ non potest baptizari, quia nec remissionem peccatorum accipere. Nam res quæ non viuit, sicut peccare, ità pœnitentiam peccati habere non potest. Quomodò Sacramentum remissionis dari potest, vbì vita non est; aut quemadmodùm caro baptizetur in remissionem peccatorum, vbì anima non est, cum quâ simul adhæret peccati consortium? Igitur etsi fuit cuiusquam viuentis voluntas, fidelísque deuotio; qui tamen defunctus est sine Baptismatis Sacramento, ideò mortuus baptizari non potuit, quià ab illo corpore anima, cuius fuit voluntas fidelis, deuotióque, discessit. Propterea iste igitur, de quo nunc agitur, dignè baptizatus est, quià anima eius, cuius voluntas fidelis, & deuotio nota omnibus fuit, vsque ad horam sancti Baptismatis in suâ carne permansit. Illa igitur mysteria, quæ ante Baptisma in Ecclesiâ geruntur, concipi spiritualem hominem faciunt, non renasci. Hinc est quòd perueniet ad salutem, si quem secunda natiuitas educet in lucem. Ad quam lucem illis homo mysteriis præparatur; sed Baptismatis Sacramento perducitur. Hoc est, quod superiùs dixi, in illis mysteriis esse salutis officium, in Baptismate salutis effectum; quem vtique non infirmitatis incursio, sed sola sibi potest negare mutatio voluntatis.

2. Cor. 5. 10.

X. Proinde firmissimè tenenda est illa canonum sententia paternorum, quæ infirmos iubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari. Viderunt enim sancti Patres, ream non esse voluntatem, quæ impedita cognoscitur, non mutata. Nec debere denegari Sacramentum Baptismatis, vbì firmitas cognoscitur voluntatis. Hoc autem statuentes sancti Patres, & quid Ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat indicarunt.

Neque enim hoc Ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Nam cùm Ecclesiam Dei columnam & firmamentum veritatis esse testatur Apostolus, si aliquam in mysteriis fidei habet partem vbì non sit veritas firma, non est in omnibus mysteriis columna & firmamentum veritatis. Quæcumque enim firmitas Sacramentis eius adimitur, ipsi Ecclesiæ necesse est auferatur. Non ergo columna & firmamentum veritatis veraciter vocatur Ecclesia, si in ipso principali humanæ salutis mysterio inuenitur infirma. Sed quià veraciter columna & firmamentum veritatis ab Apostolo nuncupatur; quidquid secundùm ipsius Ecclesiæ constituta, in sanctis mysteriis redemptionis & reconciliationis humanæ, intrà eam datur & accipitur, firmâ veritate datur, firmâ veritate percipitur. Vt autem sanctæ matris Ecclesiæ generalia constituta, id est, ea quæ concordissima cunctorum firmat assensio Pontificum, nullatenùs repellamus, in Prouerbiis ità præcipitur; *Audi fili leges patris tui, & ne repellas instituta matris tuæ.* Quis ergo vtilitatis æstimet vacuum, quod diuinitùs audit nullatenùs repellendum? Si ergo qui sic baptizatur, non saluatur, nullus reatus est si hoc negligatur: nec minister verbi, si hoc non fecerit, tenebitur culpâ negligentiæ, si ille in quo hoc fit, particeps non potest esse iustitiæ. Ibì ergo quisque arguitur negligentiæ reus, vbì operis non desperatur effectus. Et sicut ille dignè arguitur negligentiæ, qui quod vtile est non operatur, ità illius qui superfluis laborem rebus impendit, rectè ipse labor irritus atque inutilis improbatur. Quod etsi in hac parte irritus labor impenditur, irrita erit Pauli Apostoli sine dubitatione sententia, quâ dixit; *Quià vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*: cùm proculdubio de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei, sicut eiusdem epistolæ locus indicat, loqueretur. Præmiserat enim; *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Dominus incrementum dedit.* Quid autem fuit plantare Pauli, & Apollo rigare, nisi quòd Paulus plantabat euangelizando verbum salutis, Apollo autem rigabat ministrando Sacramentum Baptismatis? Cùm ergo dixisset Apostolus; *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus;* vt ostenderet illius plantationis & rigationis firmam manere mer-

1. Tim. 3. 15.

Prou. 1. 8.

1. Cor. 3. 8.

Ibidem v. 6.

Ibidem v. 7.

cedem, continuò subdidit; *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Ostendens autem laborem diuini operis inanem esse non posse, alio loco eiusdem epistolæ sic loquitur; *Itaque, fratres dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Illud est autem opus Dei, quod sic impenditur vnicuique viuenti, vt eius qui accipit aut animæ prodesse posit, aut corpori. Et illa quidem quæ prosunt animæ, necesse est vt etiàm corpori prosint: non autem omnia quæ corpori prosunt, ad vtilitatem pertinent animarum: sicut est cibus, potus, vestimentum, & hospitium, quæ inueniuntur non accipienti animæ prodesse, sed danti. Sacramentum verò Baptismatis ad hoc homini datur, vt anima cum carne saluetur. Quod profectò inaniter minister dat, si non ad hoc dat, vt ille qui baptizatur, donum æternæ salutis accipiat. Inaniter enim Sacramentum redemptionis datur, si non redimitur cui datur. Sed si attendamus verbum vnum epistolæ tuæ, nulla huius dubitatio remanebit. Dixisti enim, propterea hoc paternis canonibus definitum, vt minister verbi liber sit à culpâ negligentiæ. Quomodò autem in hac negligentiâ culpam minister incurrit, si in diligentiâ non aliquid proficit? Non enim inaniter negligentiæ contrahit culpam, nisi quià hoc non fecit quod facere debuit: illud autem facere propterea deberet, quod prodesse poterat si fecisset. Ideò autem negligentiæ culpam contraxit, quià obfuit non faciendo, quod prodesset proculdubio, si fecisset. Proinde ideò debet secũdùm paternos canones infirmus ille, cuius voluntati non deest attestatio proximorũ, sine dubio baptizari, vt & minister verbi liber sit à culpâ negligentiæ, & ille fiat consors particépsque iustitiæ.

1. Cor. 15. 58.

XI. Nullus autem debet moueri fidelium in illis, qui etsi legitimè sanâ mente baptizantur, præueniente velociùs morte, carnem Domini manducare, & sanguinem bibere non sinuntur: propter illam videlicet sententiam Saluatoris, quâ dixit; *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod quisquis non solùm secundùm veritatis mysteria, sed secundùm mysterij veritatem considerare poterit, in ipso lauacro sanctæ regenerationis hoc fieri prouidebit. Quid enim agitur Sacramento sancti Baptis-

Ioan. 6. 54.

matis, nisi vt credentes membra Domini nostri Iesu Christi fiant, & ad compagem corporis eius ecclesiasticâ vnitate pertineant? Ipsis enim dicit Beatus Apostolus; *Vos estis corpus Christi, membra de membro.* Quos ostendit non solùm ipsius sacrificij participes, sed ipsum sanctum sacrificium esse, dum eos iubet viuam hostiam seipsos Deo humiliter exhibere, dicens; *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Quod etiàm Sanctus Petrus similiter docens, ait; *Et vos tanquàm lapides viui ædificati in domos spiritales, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Vnde Beatus Paulus cùm quodam loco dixisset; *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panes quos frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* vt nos esse ipsum verum panem, verúmque corpus ostenderet, continuò subiunxit; *quoniàm vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Vnde alio loco dicit; *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vnâ spe vocationis vestræ.* Et iterum; *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum & concretum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.* Nam & carnem Domini nos esse confirmans, ait; *Nemo enim vmquàm carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quoniàm membra sumus corporis eius, & de ossibus eius.* Quocircà quoniàm vnus panis & vnum corpus multi sumus, tunc incipit vnusquisque particeps esse illius vnius panis, quando cœperit membrum esse illius vnius corporis; quod in singulis membris, quando in Baptismo capiti Christo subiungitur, tunc iam Deo viua hostia veraciter immolatur. Illo enim natiuitatis munere sic fit sacrificium, sicut fit & templum. Quod Beatus Apostolus docens, ait; *Nescitis, quià templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Qui ergò membrum corporis Christi fit, quomodò non accipit quod ipse fit? quando vtique illius fit verum corporis membrum, cuius corporis est in sacrificio Sacramentum. Hoc ergo fit ille regeneratione sancti Baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus altaris. Quod

1. Cor. 12. 27.
Rom. 12. 1.
1. Pet. 2. 5.
1. Cor. 10. 16.
Ibid. v. 17.
Ephes. 4. 4.
Ibid. v. 15.
Ephes. 5. 29.
1. Cor. 3. 16.

etiàm ſanctos Patres indubitanter crediδiſſe ac docuiſſe cognoſcimus. Beatus quoque Auguſtinus de hac re ſermonem fecit admodùm luculentum, & aptum ædificationi atque inſtructioni fidelium: quem ſermonem totum epiſtolæ malui ſubiungere, quià nec eſt prolixus, & in ipſâ breuitate, magnæ inſtructionis ac ſuauitatis eſt plenus.

SERMO BEATI AVGVSTINI Epiſcopi, ante Altare, ad infantes, de Sacramento.

XII. HOc quod videtis in altare Dei, etiàm tranſactâ nocte vidiſtis, ſed quid eſſet, quid ſibi vellet, quàm magnæ rei ſacramentum contineret, nondum audiſtis. Quod ergo videtis, panis eſt & calix: quod vobis etiàm oculi veſtri renunciant. Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda; panis eſt corpus Chriſti, calix ſanguis Chriſti. Breuiter quidem hoc dictum eſt, quod fidei fortè ſufficiat: ſed fides inſtructionem deſiderat. Dicit enim Propheta, *Niſi credideritis, non intelligetis.* Poteſtis ergo modò dicere mihi; Præcepiſti vt credamus; expone vt intelligamus. Poteſt enim in animo cuiuſquam cogitatio talis oboriri. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nouimus vndè acceperit carnem. De virgine Mariâ. Infans lactatus eſt, nutritus eſt, creuit, ad iuuenalem ętatem perductus eſt, à Iudæis perſecutionem paſſus eſt, ligno ſuſpenſus eſt, in ligno interfectus eſt, de ligno depoſitus eſt, ſepultus eſt, tertiâ die reſurrexit, quo die voluit in cælum aſcendit. Illuc leuauit corpus ſuum, vndè eſt venturus vt iudicet viuos & mortuos. Ibì eſt modò ſedens ad dexteram Patris. Quomodò eſt panis corpus eius; & calix, vel quod habet calix, quomodò eſt ſanguis eius? Iſta, fratres, ideò dicuntur ſacramenta, quià in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritalem. Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, Apoſtolum audi dicentem fidelibus; *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra.* Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſteriũ veſtrũ in menſâ Domini poſitũ eſt: myſteriũ Domini accipitis. Ad id quod eſtis, Amen reſpondetis,

Iſai. 7. 9.

1. Cor. 12. 27.

& respondendo subscribitis. Audis ergo, Corpus Christi, & respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, vt verum sit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hìc de nostro afferamus, ipsum Apostolũ item audiamus. Cùm ergo de isto Sacramento loqueretur, ait; *Vnus panis, vnum corpus multi sumus.* Intelligite, & gaudete. Vnitas, pietas, veritas, caritas, vnus panis, vnum corpus multi sumus. Recolite enim quià panis non fit de vno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini: quando baptizati estis, quasi conspersi estis: quando Spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. Iam de calice quid intelligeremus, etiàm non dictum satìs ostendit. Sicut enim vt sit species visibilis panis, multa grana in vnum consperguntur; tanquàm illud fiat quod de fidelibus ait Scriptura sancta; *Erat illis anima & cor vnum in Deum:* sic & de vino fratres, recolite, vnde sit vnum. Grana multa pendent ad botrum; sed liquor granorum in vnitatem confunditur. Ità Dominus Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit: mysterium pacis & vnitatis nostræ in suâ mensâ consecrauit. Qui accipit mysterium vnitatis, & non seruat * vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contrà se.

1. Cor. 10. 17.

Act. 4. 32.

* al. *tenet.*

XIII. Arbitror, sancte frater, disputationem nostram, præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenùs ambigendum, tunc vnumquemque fidelium Corporis Sanguinísque dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illo panis, calicísve consortio; etiamsi antequàm panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippè illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc quod illud Sacramentum significat, inuenitur. Ora pro nobis semper vegetatus fortis in Christo, sancte & venerabilis frater.

FINIS.

EPISTOLA
FERRANDI DIACONI
AD
FVLGENTIVM EPISCOPVM.

De quinque Quæstionibus.

DOMINO beatissimo, & colendo cum omni veneratione, sancto Patri Fulgentio, Ferrandus Diaconus in Domino salutem. Sæpè multa volui affectu interrogare discendi: sed absentem magistrum frequentibus epistolis compellare, portitorum raritas ex itineris longinquitate prohibuit. Vnde nunc beneficio præsentis occasionis admonitus, in vnum congessi quæ potui, & responsione vestrâ meliùs dilatanda breuiter quæro: rogans, obsecránsque per Christum, à quo intùs audis quod doceas foris, vt veraciter dicas mihi.

I. Vtrùm Trinitas inseparabilis propter vnam eandémque naturam, operationem, atque voluntatem, dici debeat separabiles habere personas: an etiàm in personis sit omninò inseparabilis prædicanda.

II. Vel, vtrùm Deus Dei Filius sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus, ità eius diuinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam: quamuìs siue Deus, siue diuinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis, atque passibilis, secundùm quam Deus, aut diuinitas pati potuit, quod in suâ naturâ non potuit.

III. Tertiò adhùc requiro, vtrùm anima Christi susceptricis

deitatis plenam habeat omninò notitiam: & quemadmodùm se inuicem norunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; ità idem Filius semeptipsum per id quod homo est, in eo quod Deus, nouerit; ex vtrâque, atque in vtrâque substantiâ totum capiens Patrem. An fortassè sicut oculis corporalibus Deum spiritum minimè videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitùs commutata; sic rationalis animæ quamuis pio intellectu, & corde mundissimo, non videri, neque comprehendi omnem diuinitatis essentiam; ne quælibet creatura inueniatur capere creatorem.

IV. Patere me, obsecro, iterum quærere: volo enim simul plura proponere, quià non est, vbì singillatim de singulis percontemur. Vnum regnum Patris, & Filij, & Spiritus sancti credimus & fatemur; simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus Sacerdotum, *Per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti*, per vniuersas penè Africæ regiones catholica dicere consueuit Ecclesia? Tanquàm solus Filius cum Patre possideat regnum; in vnitate, scilicet, Spiritus sancti; vt regnantes adunare, non simul regnare Spiritus sanctus intimetur. Responde ad hæc, rogo, celeriter, & inculto eloquio de rebus incognitis consulentem, suauissimo melle cœlestis pasce sermonis.

Luc. 22. 17. & seq.

V. Illud etiàm diligenti expositione dilucidans; quid sit quòd Lucas Euangelista cœnam Domini narraturus, priùs eum dicit calicem accepisse, & discipulis diuidendum inter se continuò tradidisse; & tunc deinde accepto pane dixisse; *Hoc est corpus meum*. Et accepto similiter postquàm cœnauit calice tunc dixisse; *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur*. Numquid vnus calix secundò est datus, an alius priùs, alius posteà? Et si ità est; ad cuius rei pertinet sacramentum ille, de quo maximè cæteri, qui scripserunt euangelica, tacuerunt? Noli quæso differre responsum, nec paratum animum longâ expectatione suspendas. Occupationum quippe vestrarum debemus mereri vel partem.

Rogo etiàm, vt librum de regulâ veræ fidei relegendum nobis iubeas destinare: & epistolam ad Iohannem Tarrensem Episcopum, vbì de malefico quodam iudici non tradendo

memini plenissimè disputatum. Codices duos suscepi, & infanti Hermiæ proprium reddidi. Iube etiàm epistolam de oratione, quam ad me hìc positum mandare dignatus es, iterum huc scriptam dirigere. Dum enim pro splendore sui à multis petitur ad legendum, faciente nostrâ obliuione, apud quem remanserit, ignoramus. Sanctos Presbyteros, Diacones, beatámque congregationem supplex saluto. Deus noster paternitatem tuam ad ædificationem nostram conseruare dignetur incolumem. Domine Pater.

Est epistola IV. Fulgentij de oratione ad Probam.

FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI LIBER AD FERRANDVM Carthaginiensem Diaconum.

De quinque Quæstionibus.

I. EPISTOLA tua, sancte frater, & Condiacone Ferrande, lætificauit cordis mei simul, & excitauit affectum; vt & certus de tuâ salute gauderem, & intentus quod quæris, inquirerem; ab illo vtique, cui & debetur gratiarum actio, & à quo est vera salubrium rerum expectanda, ac postulanda cognitio: vt idem qui prospero auditu gaudium donat, etiàm infusione gratiæ spiritalis intelligentiam tribuat: & sicut ipse ad inquirendum se accendit studium, ità pulsantibus ad se largiatur ingressum. Tunc enim in gaudium Domini nostri poterimus intrare, si nos hìc dignatus fuerit in illud magnum pietatis sacramentum dono gratiæ spiritalis inducere, & ad deuitandum viæ huius defectum, qui nobis subrepit frequenter infirmis, panes nobis ipse tribuat intelligentiæ spiritalis: nec nos permittat veternosæ corruptioni exterioris hominis subiici, sed ad studium sanctæ cogitationis, & operis interio-

rem nostrum de die in diem faciat cœlesti lumine renouari. Dicta tuæ igitur epistolæ iam ponamus; vt quod Dominus donauerit, quæstionibus singulis respondere possimus.

II. Exigis namque, vt veraciter dicam tibi, vtrùm Trinitas inseparabilis propter vnam eandémque naturam, operationem, ac voluntatem, dici debeat separabiles habere personas, an etiàm in personis sit omninò inseparabilis prædicanda. Hæc esse verba primæ quæstionis proculdubiò recognoscis.

RESPONSIO AD PRIMAM QVÆSTIONEM

Vbi nobis illud est principaliter intuendum; quià Trinitas inseparabilis dici non debet, si possunt illæ tres personæ aliquatenùs separari. Hoc enim verè inseparabile dicitur, quod nullatenùs separationem potest recipere. Nam quod non separatur, sed separari potest, inseparabile non est. Quòd si quisquam separari posse putat in Trinitate personas, non Trinitas est inseparabilis dicenda, sed vnitas. In personis quippe Trinitas constat, vnitas in naturâ. Sed nescio vtrùm nostra possit adsertio veritate fulciri, quandò sic inseparabilem naturam dicimus, vt eiusdem naturæ personas separabiles adseramus. Cùm vtique vna natura, quæ non potest in personis diuidi, ipsâ inseparabilitate suâ, nec ipsas ostendat separari posse personas. Nam separationem naturæ absque separatione personæ, vt non longiùs eamus, in ipsis hominibus inuenimus. Carnem quippe humanam nemo dubitat ad naturam hominis pertinere; cuius tamen potest fieri separatio, si quodlibet membrum præcidatur à corpore: quæ tamen præcisio non in se potest separationem habere personæ. Neque enim cùm manus, aut pes à corpore præciditur, cum eodem membro etiàm persona hominis separatur; quamuìs fiat quædam naturæ separatio, cuius pars præcisa inuenitur in membro. Sed sicut ille homo si viuit postquàm membro caruerit, naturalis definitionis plenitudine non carebit; quâ dicitur animal rationale, mortale: sic habens naturæ definitionem veram, necesse est vt propriam quoque habeat cum naturâ personam, quamuìs partem naturæ, id est, partem carnis à se habeat separatam. Cùm verò separantur homines personis, naturâ quoque sine dubio separantur. Quoniàm non separatur persona, cùm manus, aut pes separatur à corpore. Separatur autem in personarum se-

paratione natura, cùm homo separatur ab homine. Inseparabilis igitur naturæ vnitas non potest separabiles habere personas.

III. Proinde considerare debemus, illam Trinitatis vnam eandémque naturam ità totum implere, vt non sit aliquid vbì non sit. Indè est enim quòd & vbique tota est, & loco nullatenùs continetur; tota scilicet in spiritibus, & corporibus singulis, & tota simul in omnibus creaturis. Nunc enim non de gratiâ loquimur, quâ se Deus gratuito munere misericordiæ suæ saluandis hominibus præbet; sed de naturâ, quâ Deus omnia quæ fecit, & implet, & continet; secundùm quam dicit; *Cœlum, & terram ego impleo*: & secundùm quam ipsi Deo Beatus Dauid dicit; *Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tuâ quò fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: & si descendero ad infernum, ades.* Et de Christo, qui est sapientia Dei, dicitur; *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* De Spiritu quoque sancto Scriptura diuinitùs inspirata sic loquitur; *Quià Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Inuenitur autem hìc vocem cordis significasse, non corporis; vocem scilicet non corporeæ locutionis, sed intimæ cogitationis. Vocem illam, quam solus Deus audit clamantem, quandò in occulto solus aspicit cogitantem. Ideò sequitur dicens; *Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere: sed nec præteriet illum corripiens iudicium suum.* Ostendens autem vbì sit hæc iniqua locutio; vt agnoscatur conscientiæ magìs esse quàm linguæ, hoc sancta Scriptura subsequenter aperuit, dicens; *In cogitationibus enim impÿ interrogatio erit.* Hæc ideò dixi propter quod de sancto Spiritu dicitur, quià *quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Omnia quippe continens non est minor Patre, vel Filio Spiritus sanctus: & habens intimæ cogitationis scientiam, Deus verus agnoscitur qui occultorum cognitor inuenitur. Scientia verò quæ comprehendit occulta, sine dubio continet & futura: quod summo ac vero Deo vera fides adsignat; Sanctâ Susannâ Deum verum taliter inuocante; *Deus qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequàm fiant.* Trinitas itaque, id est, Deus vnus, verus, & bonus, æternus, incommutabilis, & immensus, vbique totus est secundùm immensitatem atque omnipotentiam

Hier. 23. 24.
Psal. 138. 7.
Sap. 8. 1.
Sap. 1. 7.
Ibid. v. 8.
Ibid. v. 9.
Daniel. 13. 42.

naturalem; quamuis non in omnibus habitet secundùm gratiæ largitatem.

Ierem. 23. 23. IV. Hinc est quòd cùm Deus per Hieremiam dicat; *Ego sum Deus approximans, & non Deus de longinquo;* memoratus tamen Propheta eidem Deo dicit de quibusdam; *Iuxtà est ori eorum, & longè à renibus eorum.* *Ierem. 12. 2.* Deus ergo bonis & naturâ propinquat & gratiâ; naturâ, quâ creat; gratiâ, quâ saluat: naturâ, quâ facit esse homines; gratiâ, quâ iustificat peccatores: naturâ, quâ eos facit ex hominibus nasci; gratiâ, quâ dat eis potestatem filios Dei fieri: naturâ, quâ facit vt viuant; gratiâ, quâ facit vt sobriè, & iustè, & piè viuant: naturâ, quâ eos facit in hoc mundo paruo tempore viuere; gratiâ, quâ eos facit in cœlo sinè fine regnare. In malis verò solâ est Deus immensitate atque omnipotentiâ naturali; quâ eos facit esse, viuere, atque sentire: rationales esse, liberum quoque habere voluntatis arbitrium; sed liberum, non liberatum. Liberum enim arbitrium manet etiàm nunc in hominibus per naturam, quod in quibus voluerit Deus, dignatur liberare per gratiam. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venundatus est sub peccato, ideò mala cœpit esse libertas hominis, quià ipsi libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis: & sic in eodem hominis arbitrio cœpit esse mala libertas: vt ipsa illi, & omnibus deinde per concubitum nascituris fieret inimica captiuitas. Deus ergo, sicut suprà diximus, per immensitatem naturæ suæ, totam creaturam suam & continet & implet: ac per hoc, totum implet Pater, totum Filius, totum Spiritus sanctus; quià & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus naturaliter vnus est Deus. Non sic est autem vna natura Patris, & Filij, & Spiritus sancti, idest, trium illarum personarum, sicut est humana natura trium quorumlibet hominum; quorum sic est vna natura, vt eorum tamen & animæ separentur & corpora: cúmque sit in tribus hominibus vnitas naturalis: nullius tamen est cum duobus caro, animáve communis. Hinc est quòd separari ab inuicem creaturæ quælibet consubstantiales possunt: quià singulæ earum totæ vbique esse non possunt: nam & cùm in illis fit per gratiam fidei, vt multitudinis credentium sit cor & anima vna: possunt tamen in personis separari locorum situ, licet cordis non separentur affectu: possunt & aliquæ infide-

les.

les ex fidelibus fieri, & ab illius vnius animæ societate disiungi. Natura verò Trinitatis, quæ sola est vbique tota, sicut vbique suum habet & vnum & totum, sic separationem non potest recipere personarum.

V. Nominantur quidem illæ personæ aliquandò singulæ; sed ità se voluit ipsa Trinitas inseparabilem ostendere in personis, vt nullum ibì nomen sit quo sic vocetur quælibet vna persona, vt non aut tribus naturali vnitate conueniat, aut alteram ad alteram referri, etiàm ipso nomine singularitatis ostendat. Nam de illis vocabulis, quibus ad se propria dicuntur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; in quibus scilicèt non singularitas cuiusque personæ, sed communio monstratur vnius essentiæ; non est aliquod nomen quod sic Patri conuenire possit, aut Filio, vt Spiritui sancto conuenire non possit. Dicitur enim Pater naturaliter Deus; sed naturaliter est Deus & Filius, naturaliter est Deus & Spiritus sanctus; nec tamen tres Dij, sed vnus naturaliter Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Omnipotens est Pater; sed omnipotens est Filius, omnipotens est Spiritus sanctus; nec tamen tres Dij omnipotentes; sed vnus Deus omnipotens est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: Æternus est sine initio Pater, æternus est sine initio Filius, æternus est sine initio Spiritus sanctus; nec tamen tres Dij æterni, sed vnus Deus æternus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Immensus est Pater, sed immensus est Filius, & immensus est & Spiritus sanctus; nec tamen tres Dij immensi; sed vnus Deus immensus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Vbì ergo sic est nomen quodlibet vnum, vt simul & tribus & singulis indifferenter possit conuenire personis; & ità singulare in naturâ est, vt in personis esse plurale non possit; quomodò separabiles esse personas dicimus, quandò pluralem numerum in nomine recipi non videmus? Quicquid enim singulariter tantùm secundùm naturam dicitur, necesse est vt in personis quoque inseparabiliter intimetur: & ostendit ipsa veritas personas non posse diuidi, vbì quodlibet nomen, quod tamen ad se, non ad alteram vnaquæque persona dicitur, sicut singulariter in vnâ dicitur, sic etiàm in tribus singulariter nominatur. Nam in vnâ personâ dicitur vnus angelus, dicitur vnus homo: sed si tres personæ fuerint angelorum, aut homi-

num; nec vnus angelus, nec vnus homo poterit nominari: quià in illis tribus personis, quæ in naturâ vel angelicâ, vel humanâ reperiuntur, non vnus angelus, aut vnus homo, sed sinè dubio tres angeli, vel tres homines necesse est nuncupentur: cæterùm nec vnus angelus, nec vnus homo dici potest ille vel angelicarum, vel humanarum pluralitas personarum: Quià verò tres illæ personæ vel angelorum, vel hominum separari possunt, ideò ipsæ tres personæ non recipiunt simul vnum naturæ singulare vocabulum; sed vel tres angeli, vel tres homines sine dubio nominantur.

VI. Non autem ignoramus per gratiam Dei fieri, vt plures homines possint aliquo singulari nomine nuncupari: sicut est illud quod suprà iam posuimus; *Multitudinis autem credentium erat cor, & anima vna*: quæ tamen sic dicitur anima vna, vt dicantur & animæ; fidelium scilicet, non impiorum. Fidelibus enim discipulis Dominus loquebatur, quibus ait; *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras*, Fidelibus etiàm Beatus Petrus dicit; *Credentes autem exultate lætitiâ inenarrabili, & honorificatâ; recipientes finem fidei vestræ, salutem animarum.* Dicitur etiàm in libro Sapientiæ; *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Scimus etiàm Thessalonicensibus Beatum dixisse Apostolum, quorum electionem sciebat à Deo; *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia; & integer spiritus vester & anima, & corpus sine querelâ in die Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Sed etiàm in hymno trium puerorum nihilominùs legitur; *Benedicite spiritus, & animæ iustorum Domino.* Scimus per gratiam Dei & sanctam Ecclesiam vnam virginem nuncupari: dicente Apostolo; *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo:* Sed in ipsâ vnâ virgine, plurali numero etiàm virgines nuncupantur: legimus etiàm; *Afferentur Regi virgines post eam.* Nec illud est dubium, vnam esse Ecclesiam quæ per totum est orbem diffusa terrarum, quæ ab Apostolo appellatur *Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis*; quæ tamen sic vna, sic est & Ecclesia, vt in eâ plures appellentur Ecclesiæ. Ipse enim Beatus Apostolus dicit: *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudææ, quæ erant in Christo.* Sed & fratrem se dicit Corinthiis destinasse, *cuius laus est in euangelio per omnes Ecclesias.* Ecclesiis quoque Galatiæ se scripsisse

Act. 4. 32.
Luc. 21. 19.
1. Pet. 1. 8.
Sap. 3. 1.
1. Thess. 5. 23.
Dan. 3. 86.
2. Cor. 11. 2.
Psal. 44. 15.
1. Tim. 3. 15.
Gal. 1. 22.
2. Cor. 8. 18.

in eiusdem epistolæ demonstrauit exordio. Fideles quoque suos vnum lumen esse Dominus noster ostendens, ait discipulis suis; *Vos estis lumen mundi*: & tamen Dei filios lumina Beatus Iacobus appellare non dubitat, dicens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*. In his itaque omnibus & singulare inuenimus vocabulum, & plurale: ideò autem plurale, quià omnes creaturas separabiles esse ipsa qualitas naturalis ostendit: ideò verò singulare, quià vt sit vna anima, vnus spiritus, vna virgo, vna Ecclesia, vnum lumen, hoc illa vna Trinitas per suam gratiam fecit; quæ tam in naturâ, quàm in personis sic est inseparabilis, vt quicquid ibì tam de vnâ, quàm de tribus personis singulariter dicitur, pluraliter non dicatur. Non itaque possunt Patris, & Filij, & Spiritus sancti separari personæ, quibus vnum nomen naturale sic conuenit, vt in tribus personis plurale esse non possit: excepto enim hoc ipso, quo personæ dicuntur, nullum nomen aliud in Patre, & Filio, & Spiritu sancto potest inueniri, quod non singulariter tantùmodò nominetur. Vix autem hoc vnum reperire potuit humani sermonis inopia, vt saltem tres diceret esse personas; ne si vel hoc non diceretur, Trinitas esse nullatenùs crederetur, & in illâ omnimodâ taciturnitate, fidei periculum nasceretur.

Matth. 5. 14.
Iacob. 1. 17.

VII. Quocircà, secundùm veritatem fidei Christianæ dicimus, vnum Deum esse naturaliter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Necesse est autem vt sicut Trinitatem dicimus vnum Deum, ità dicamus vnum omniptentem, vnum æternum, vnum immensum, vnum magnum, vnum altissimum. Et quicquid in quantùm Deus hominibus dedit, non solùm in singulis personis, sed etiàm simul in tribus ad seipsum singulariter nominatur. Ne verò ex hoc quòd Pater vnius est personæ vocabulum, Filius quoque vna tantùm dicitur in Trinitate persona: similiter & cùm Spiritus sanctus propriè dicitur, vnius personæ singularitas intimatur; quisquam velit istas tres separabiles adserere, & adfirmare personas: in quo vnicuique personæ sic vnum ex his tribus nominibus conuenit, vt commune tribus personis esse non possit.

Quiſquis hoc tentat obijcere, ſi ſic ſentit vt loquitur, & hoc tenet conſcientia quod indicat lingua, minùs adtendit, hæc nomina eſſe ſine dubio relatiua. In quolibet autem relatiuo nomine, ſic certum eſt vnam in ſeipſâ ſignificari perſonam, vt hinc referatur ad alteram: & non ſolùm in his quæ eadem ſunt, ſicut dicitur frater ad fratrem, amicus ad amicum, vicinus ad vicinum; ſed etiàm in his quæ diuerſa ſunt, ſicut dicitur pater ad filium, filius ad patrem, genitor ad genitum, vel genitus ad genitorem; ex quolibet horum nomine geminam intelligi ſolere perſonam. Neque enim in his nominibus ſic vna perſona ſingulariter dicitur, vt non ad alteram ipſo ſuo nomine referatur: relatiuo enim vocabulo ſic perſona quælibet dicitur in ſe, vt non dicatur ad ſe. Ad agnoſcendum itaque inſeparabilitatis indicium ità ſe illa vna, veráque diuinitas in ſingulis perſonis voluit * incommunicabiliter nominari: vt vna tamen perſona ſine alterâ non poſſet intelligi. Nam cùm Pater ad Filium, vel Filius referatur ad Patrem; licèt ſingula ſingulis tantùm poſſint nomina conuenire perſonis, & communionem illorum duorum nominum omninò recuſet proprietas perſonarum; non tamen Pater ſine Filio cognoſcitur, nec ſine Patre Filius inuenitur. Relatio quippè illa vocabuli perſonalis perſonas ſeparari vetat: quas etiàm dum non ſimul nominat, ſimul inſinuat. Nemo autem audire poteſt vnumquodque iſtorum nominum, in quo non intelligere cogatur & alterum: quod nobis Beatus Iohannes inſinuat, dicens: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Quod vtique propterea dixit, quià inſeparabiliter Pater referatur ad Filium, & inſeparabiliter Filius referatur ad Patrem. Non ergo ſeparatur perſona Patris à perſonâ Filij, quotiens aut Pater tantùm nominatur, aut Filius: quandoquidem Pater non dicitur niſi referatur ad Filium, nec Filius dicitur niſi referatur ad Patrem: in Patris enim nomine ità genitor agnoſcitur, vt ex hoc & ille qui eſt genitus intimetur: & appellatio geniti, ammonet perſonam genitoris agnoſci. Hinc eſt quòd ſicut ab eo qui confitetur Filium, Pater habetur: ſic ab eo qui Filium negauerit, non habetur.

* Codex Thuanus *incommutabiliter.*

1. *Ioan.* 2. 23.

VIII. Quiſquis ergo ſeparabiles dicit eſſe perſonas Patris, & Filij, oſtendat in quolibet eorum aliquod vocabulum per-

ſonale, quòd ità vnius perſonæ ſit, vt ad alteram referri non poſſit. Sed quià hoc nullatenùs inuenitur, hoc ſinè dubio ad veram pertinet fidem: vt tres illas vnius atque inſeparabilis naturæ perſonas ſicut non confundimus, ità ſeparare nullatenùs audeamus. Quandoquidem ità nobis hoc dignata eſt ipſa Trinitas euidenter oſtendere: vt etiàm in his nominibus, quibus voluit ſingillatim perſonas agnoſci, vnam ſine alterâ non permittat intelligi. Nam excepto quòd ad ſe relatiuè dicuntur Pater & Filius, vbì inſeparabiliter neceſſe eſt referatur alter ad alterum: cùm iſta nomina ſint vtique perſonarum, non minùs omnis contradictio deficit in illo perſonali nomine Spiritus ſancti; qui non aliud perſonaliter vocatur cùm dicitur Spiritus ſanctus, quàm hoc quod naturaliter & Pater vocatur & Filius. Nam & Pater naturaliter ſpiritus eſt, & Filius naturaliter ſpiritus eſt: & Pater naturaliter ſanctus eſt, & Filius naturaliter ſanctus eſt. Quomodò ergo poteſt perſona Spiritus ſancti à perſonâ Patris, aut Filij aliquatenùs ſeparari: cùm hoc habeat Spiritus ſanctus in ipſo perſonali nomine, quod cum Patre & Filio vnitate naturali cognoſcitur habere commune? Hoc enim nomine non ad ſolum Patrem, ſicut Filius: nec ad ſolum Patrem, ſicut Filius: nec ad ſolum Filium, ſicut Pater: ſed ſimul & ad Patrem, & ad Filium refertur, quandò & Patris & Filij Spiritus nuncupatur. Nam & cùm ipſe Spiritus ſanctus dicitur donum, ad donatorem inſeparabiliter refertur. Hanc inſeparabilitatem perſonarum ſciens Beatus Dauid, dicebat Deo: *Quò ibo à Spiritu tuo, & à facie tuâ quò fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Quod vtique non diceret, ſi perſonam Spiritus ſancti à perſonâ Patris ſeparabilem ſciret. Propterea autem ſe nec ab Spiritu Dei abire, nec ab ipſo Deo fugere quoquàm poſſe dicebat: quià nouerat, inſeparabiliter & Deum eſſe in Spiritu ſuo, & Spiritum Dei eſſe in Deo: non ſicut eſt in Deo creatura, ſed ſicut ſpiritus eius, qui non alterius naturæ eſt, quàm eſt ipſe Deus in quo eſt. Quod illo loco Sanctus oſtendit Apoſtolus, vbì cùm dixiſſet: *Nobis enim reuelauit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiàm profunda Dei;* continuò humani ſpiritus induxit exemplum, dicens: *Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?*

Pſal. 138. 7.

1. Cor. 2. 10.

v. 11.

Ità ea quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei. Sicut ergo spiritus hominis, qui in ipso est, ideò scit quæ sunt hominis, quià eiusdem naturæ est cuius est homo in quo est (vbi magìs interiorem hominem accipiendum existimo); ità & quæ Dei sunt ideò nemo cognouit nisi Spiritus Dei, quià sic in Deo est per vnitatem naturæ, vt non sit aliquid in Deo, quod non possit Spiritus eius naturali vnitate cognoscere.

IX. Istam quippè plenitudinem cognitionis sola possidet vnitas naturalis; per quam sic est in Deo Spiritus eius, vt vnus cum illo sit naturaliter Deus. Qui tamen sic in Deo est, & vnus cum illo Deus est, vt non cum eo vnam personam habeat, sicut habet cum homine spiritus qui in homine est. Sed illud cognitionis exemplum pro vnitate naturali, quæ nullam in Patre, & Filio, & Spiritu sancto differentiam cognitionis esse permittit, Beatum Apostolum posuisse certissimum est; quià vna illa natura inseparabilis, totum quicquid in se naturaliter est, non diuersum sed vnum, & totum sicut in tribus sic in singulis constat esse personis. Vbì ad demonstrandam propriam Spiritus sancti personam, verè in eiusdem doctrinâ Spiritus apostolica vigilauit auctoritas, vt diceret; *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*: quod dici de spiritu hominis nullatenùs potest, qui sic esse in homine dicitur, vt esse ex homine non dicatur. Spiritus autem sanctus in Deo est vnitate naturæ, ex Deo est etiàm proprietate personæ. Per illam ergo vnitatem naturæ, per quam ea quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi Spiritus Dei, etiàm illud intelligitur quod Filius dicit: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Per eandem naturæ inseparabilis vnitatem, & se in Patre, & in se Patrem Filius esse testatur. Nam cùm discipulis dixisset: *Si me cognouissetis, & Patrem meum vtique cognouissetis*: Philippus verò cum Patrem sibi postularet ostendi, sic Dominus ipse respondit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui me vidit, vidit & Patrem. Quomodò tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis quià ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, non à me ipso loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quià ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credi-*

1. Cor. 2. 12.

Matth. 11.27.

v. 9.

te. Ex eo igitur quòd inſeparabiles ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, conſequens eſt, vt inſeparabiliter operentur. Quòd ſi Trinitas illa ſeparabiles poſſet habere perſonas: eſſent & aliqua ſeparata opera Trinitatis. Nam ſi adtendamus illud quod Scriptura ſancta dicit de ſapientiâ; *Splendor eſt enim lucis æternæ*, ſicut ſplendorem luci videmus inſeparabiliter inhærere, ſic agnoſcamus Filium à Patre ſeparari non poſſe. Ipſum enim apoſtolica prædicat auctoritas *ſplendorem gloriæ, & figuram ſubſtantiæ Dei*; quod ſequens Beatus Ambroſius in hymno matutino, ſplendorem paternæ gloriæ Filium eſſe pronunciat.

Sap. 7. 26.

Heb. 1. 3.

X. Illo quoque exemplo inſeparabiles perſonas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti cõuenit vt credamus, quòd ipſe vnigenitus Deus ſic in vnitate perſonæ ſuæ naturam diuinam, humanámque coniunxit, atque vniuit, vt à ſe omninò non poſſint ſeparari. In vnâ enim perſonâ vnigeniti Dei, *qui tanquàm ſponſus proceſsit de thalamo ſuo*, inſeparabilis permanet vtriuſque naturæ vnitio. Nec ideò debet aliquis æſtimare vtramque ab inuicem diuelli potuiſſe naturam; quià per ſuſceptionem mortis, & caro exanimis in ſepulcro iacuit, & anima in infernum carne moriente deſcendit: quandoquidem etiàm cùm interueniente morte anima diſceſſiſſet à carne, inſeparabilis in Chriſto vtraque natura permanſit, quià nec in inferno animam ſuam, nec in ſepulcro carnem ſuam diuinitas immenſa deſeruit. In tantùm autem inſeparabilis eſt in Chriſto vtraque natura, vt ex hoc Eutyches in errorem caderet; & vnam videns in Chriſto perſonam, vnam quoque in eo naturam impiè prædicaret; volens confundere quod vidit ſeparari non poſſe. Sic autem iſte in duabus naturis quas inſeparabiliter vnius eſſe perſonæ cognouit crimen impietatis incurrit; ſicut Sabellius in tribus perſonis, propter vnitatem naturæ, cæcitate mortiferæ infidelitatis errauit; non intelligens, perſonas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſinè confuſione ſubſiſtere, quas audiebat vnitate naturali prorsùs inſeparabiles permanere. Sed vtrumque Trinitas inſeparabilis vicit, vtrumque vnitas inconfuſa contriuit, vterque à vuluâ Eccleſiæ matris alienatus abſceſſit, vterque à ventre piiſſimæ genitricis errauit, & ſemetipſum,

ſuóſque complices baratro impietatis immerſit. Vera quippè in Trinitate Deo non ſolùm naturæ vnitas, verùm etiàm inconfuſa atque inſeparabilis manet perſonarum proprietas: & nihilominùs in vnâ Christi perſonâ, duarum permanet inconfuſibilis atque inſeparabilis plena veritas naturarum.

XI. Quòd ſi in Chriſto propter vnitatem perſonæ, inſeparabilis inuenitur vnitio diuinæ, humanæque naturæ: cùm vtrique naturæ nec ſine initio æternitas, nec ſine mutabilitate ſimplicitas, nec ſine termino immenſitas inuenitur naturaliter eſſe communis: quià in vno eodémque Chriſto & vera eſt diuina natura, quâ naturaliter eſt ſine initio Deus natus de Patre, & vera humana natura, quâ naturaliter eſt in plenitudine temporum Deus homo creatus ex virgine: in illâ coæternus Patri: in iſtâ, poſterior matre: ſecundùm diuinam ſemper vbique totus, nec vmquàm vel vſquàm loco concluſus: ſecundùm humanam, certo die de cœlo ad iudicandos viuos, mortuóſque venturus. Quanta inſeparabilitas credenda eſt illis tribus ineſſe perſonis, quarum eſt & vnitas, & æternitas, & ſimplicitas, & immenſitas naturalis? Hanc Beatus Ambroſius veraciter prædicat & confirmat in libro primo de Spiritu ſancto, hæc dicens: *Quis igitur audeat dicere, diſcretum à Deo Patre, & Chriſto eſſe Spiritum ſanctum, cùm per ipſum ad imaginem & ſimilitudinem Dei eſſe mereamur?* Alio quoque loco dicit: *Quis autem poteſt à Patre, & Filio Spiritum ſanctum ſeparare, cùm vel appellare Patrem & Filium ſinè Spiritu ſancto non queamus? nemo enim dicit Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. Ergo ſi appellare Dominum Ieſum ſinè Spiritu ſancto vtique non poſſumus, poſſumus ſinè Spiritu prædicare?* Iſta trium inſeparabilitas perſonarum à Beato quoque Auguſtino indubitanter adſeritur. In libro primo de Trinitate cùm ſolum dixiſſet Filium de virgine Mariâ natum: ſolúmque Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſuper IESVM baptiſatum, & die Pentecoſtes linguis diuiſis velut ignem ſuper diſcipulos aduenisse: ſoliúſque Patris fuiſſe vocem, dicentis, *Tu es Filius meus*, quandò Filius baptizatus eſt à Iohanne: & quandò ſe nouit vox, dicens, *Et clarificaui, & iterum clarificabo*: Oſtendens tamen inſeparabiles eſſe, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, iſtam ſententiam intulit, dicens: *Quamuis Pater, & Filius & Spiritus ſanctus ſicut inſeparabiles*

Cap. VI.

Lib. I. de Spiritu ſancto, cap. X.

Cap. IV.

Marc. 1. 11. Luc. 3. 22. Ioan. 12. 28.

biles sunt, sic inseparabiliter operentur. Cernis nempe quomodò Beatus Augustinus nullam hìc separabilium personarum suspicionem relinquit; quandò Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sicut inseparabiles sunt, sic inseparabiliter adserit operari. Quam sententiam tali conclusione confirmans, ait; *Hæc & mea fides est, quandò hæc est catholica fides.*

Cap. VIII.

XII. Item alio eiusdem libri loco dicit: *Denique propter ipsam inseparabilitatem sufficienter aliquandò nominatur vel Pater solus, vel Filius solus, adimpleturus nos lætitiâ cum vultu suo, nec inde separatur vtriusque Spiritus, id est, Patris, & Filij Spiritus. Qui Spiritus propriè dicitur* Spiritus veritatis, quem hic mundus accipere non potest. *Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate Deo, ad cuius imaginem facti sumus. Propter hoc aliquando ità loquitur de Spiritu sancto, tanquàm solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram: & ideò solus sufficit, quià separari à Patre & Filio non potest; sicut Pater solus sufficit, quià separari à Filio & Spiritu sancto non potest; & Filius ideò sufficit solus, quià separari à Patre & Spiritu sancto non potest.* Hæc est Beati Augustini secundùm catholicæ fidei veritatem, de Patris, & Filij, & Spiritus sancti inseparabilitate sententia: quam ne quisquam secundùm solam naturam, & non etiàm secundùm personas acciperet, planiùs hoc & manifestiùs pauló pòst in eodem libro curauit ostendere, dicens; *Sed propter insinuationem Trinitatis, personis etiàm singulis nominatis dicuntur quædam separatim, non tamen alijs separatis intelliguntur; propter eiusdem Trinitatis vnitatem, vnámque substantiam atque deitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Alio quoque memorari libri loco plenissimè hoc inculcans, cùm de Filio dixisset: *Ex hoc enim rogat, quo minor est Patre; quo verò æqualis, exaudit cum Patre;* inseparabilitatem personarum ostendens, ait; *Vndè se ab eo quod dixit;* Ipse enim Pater amat vos, *vtique ipse non separat; sed secundùm ea facit intelligi, quæ suprà commemoraui, satísque insinuaui, plerumque ità nominari vnamquamque in Trinitate personam, vt & aliæ illic intelligantur. Sic itaque dictum est;* Ipse enim Pater amat vos, *vt consequenter intelligatur & Filius, & Spiritus sanctus.* Item post aliquanta idem Sanctus Augustinus sic ait; *Iam enim ostendimus in hac Trinitate per multos locutionum diuinarum modos, etiàm de singulis dici quod omnium est, propter inse-*

Ioan. 14. 17.

Cap. IX. ad finem.

Sub finem Cap. X.

Ioan. 16. 27.

Cap. XII. ante medium.

parabilem operationem vnius eiuſdémque ſubſtantiæ. In quinto decimo verò libro de Trinitate, cùm de hac imagine quæ in nobis eſt, aliquas lineas præberet ad intelligentiam Trinitatis, inter alia ſic ait; *Verùm in illa ſummâ Trinitate quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta eſt inſeparabilitas; vt cùm Trinitas hominum non poſsit dici vnus homo, illa vnus Deus & dicatur & ſit; nec in vno Deo ſit illa Trinitas, ſed vnus Deus. Nec rursùs quemadmodùm iſta imago, quæ eſt homo, habens illa tria vna perſona eſt: ità eſt & illa Trinitas; ſed tres perſonæ ſunt, Pater Filij, & Filius Patris, & Spiritus Patris & Filij.* Item poſt aliqua ſic ait; *Non tamen ſicut in iſtâ imagine Trinitatis, non hæc tria vnus homo, ſed vnius hominis ſunt; ità in ipsâ ſummâ Trinitate, cuius hæc imago eſt, vnius Dei ſunt illa tria; ſed vnus Deus eſt: & tres ſunt illæ, non vna perſona.* Hæc dicens Beatus Auguſtinus, & inſeparabilitatem earumdem trium perſonarum, reuelatione ipſius Trinitatis intelligens, cum admiratione ſequitur, dicens: *Quod ſanè mirabiliter ineffabile eſt, vel ineffabiliter mirabile: cùm ſit vna perſona hæc imago Trinitatis, ipſa verò ſumma Trinitas tres perſonæ ſint, inſeparabilior eſt illa Trinitas perſonarum trium, quàm hæc vnius.*

Cap. XXIII.

Ibidem.

Ibidem.

XIII. Iſta, ſicut non dubito, quæ de primo atque nouiſſimo libro de Trinitate verba Beati Auguſtini poſuimus, omninò ſufficiunt: præſertim ingenio atque ſtudio tuo, quo eius dicta ſic acutiſſimè ac frequentiſſimè legis, vt in eis plurima poſſis ſimilia reperire, quæ non ſolùm in naturâ, ſed etiàm in perſonis inſeparabilitatem ſanctæ Trinitatis oſtendunt. Dicuntur ergo ſingillatim tres illæ perſonæ, vt agnoſcantur, non vt ſeparentur: in quibus ſic nulla eſt ſeparatio, ſicut in eis nulla poteſt ineſſe confuſio. Neque enim tres illæ perſonæ, quià non poſſunt confundi, propctereà debent ſeparabiles æſtimari: cùm omninò inſeparabiles inueniantur, & in eo quod ſunt, & in eo quod faciunt. Nec quiſquam ſeparabiles audeat illas tres perſonas aſſerere, cùm nullam ante aliam, nullam poſt aliam, nullam ſine aliâ vel exiſtentem, vel operantem valeat inuenire. Vbì ſicut naturaliter nulla poteſt eſſe ſeparabilitas operis, ità naturaliter manet incommutabilis vnitas voluntatis. Attendamus autem quonam modo fuerit vel homo, vel angelus ſeparatus à Deo, vt poſſi-

mus indubitanter inseparabilem intelligere Trinitatem. Nempe Scriptura sancta dicit: *quià peruersæ cogitationes separant à Deo, & quià in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: & quià Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Nam & Esaias Propheta testatur, *iniquitates inter Deum & homines separare.* Sancta autem Trinitas ipse est Deus fidelis, in quo non est iniquitas. *Venit autem Filius Dei, vt peccata tolleret: & peccatum in eo non est: & peccatum est iniquitas.* Tollens autem iniquitatem, tribuit caritatem. Abstulit ergo per quod à Deo separabamur, & donauit per quod sanctæ Trinitati inseparabiliter iungeremur. Ideò confidenter clamat Apostolus: *quià neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Si ergo Trinitas infusâ caritate, inseparabiliter sibi facit adhærere animas nostras, quià *qui adhæret Deo, vnus spiritus est*: quomodò ipsa Trinitas separabiles potest habere personas, cùm ipsa Trinitas vnus sit Deus: ac per hoc vna sit caritas, quià Deus caritas est? Caritas autem diuisionem nunquàm recipit, quæ de multis cordibus, multísque animabus in seipsâ vnum cor, vnámque animam facit.

Sap. 1. 3.

Esai. 59. 2.

Ioan. 3. 5.

Rom. 8. 38.

1. Cor. 6. 17.

XIV. Secunda deinde interrogatio tua hoc inuenitur tenore subiuncta: Vtrùm Dei Filius, sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus: ità eius diuinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam: quamuìs siue Deus, siue diuinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis atque passibilis, secundùm quam Deus aut diuinitas potuit, quod in suâ naturâ non potuit.

His tuis verbis breuiter respondeo, quicquid horum dicatur, nihil præiudicare fidei, quâ veraciter Ecclesia catholica credit, & prædicat diuinitatem Filij Dei impassibilem, atque incommutabilem naturaliter permanere. Beatus quippè Apostolus ait: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Ecce *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*, dicis

RESPONSIO AD SECVNDAM QVÆSTIONEM.

1. Cor. 1. 23.

Apostolus *crucifixum.* Alio autem loco simul virtutem, diuinitatémque coniugens ait; *Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Si ergo virtus Christi secundùm carnem crucifixa dicitur, cur eodem modo etiàm crucifixa secundùm carnem diuinitas non dicatur? Quandò enim additur; *Secundùm carnem,* ostenditur vtique non eius diuinitatem passioni subiacuisse, sed carnem. Quod etiàm apostolicâ videmus auctoritate monstratum. Nam cùm Beatus Paulus Apostolus dixerit, *Christum crucifixum, Dei virtutem, & Dei sapientiam,* ne ipsa virtus & sapientia putaretur naturaliter esse passibilis, curauit alio loco crucifixæ virtutis & sapientię salubriter aperire mysterium, dicens de Christo: *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Scimus autem Christum Dei Filium prophetico eloquio Deum fortem veraciter nominari; Esaiâ dicente; *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humeros eius: & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Nonne istius Dei fortis vno loco Apostolus sempiternam virtutem diuinitatémque commendat? Neque enim vera fides ità sempiternam virtutem ac diuinitatem Patris prædicat, vt Filij, aut Spiritus sancti sempiternam virtutem diuinitatémque non credat: cùm vna sit naturaliter sempiterna virtus ac diuinitas Patris & Filij & Spiritus sancti. Deus ergo fortis Christus. Ideò autem veraciter Deus, quià diuinitas: sicut ideò veraciter fortis, quià virtus. Vera itaque fides, quæ Christum Deum fortem veraciter credit, & prædicat; & Christum crucifixum Dei virtutem, Deique sapientiam nouit ab Apostolo prædicari; sicut secundùm carnem, crucifixam virtutem fiducialiter nouit & dicit; ità secundùm carnem, crucifixam diuinitatem confiteri non ambigit: Christus enim Deus fortis, sic est Deus, vt ipse sit diuinitas sua; quemadmodùm sic est fortis, vt ipse sit virtus sua.

Rom. 1. 20.

2. Cor. 13. 4.

Esaiæ 9. 6.

XV. Nosti hoc quod dico, in libris de Trinitate à Beato Augustino plenissimè disputatum; in quibus ostendit vnamquamque in Trinitate personam, in his dumtaxàt nominibus, quibus ad se non translatè, sed propriè dicitur, ipsam sibi esse quod habere naturaliter prædicatur. Dicimus enim siue Patrem, siue Filium, siue Spiritum sanctum, esse Deum viuum,

magnum, ſapientem, fortem, bonum. In his omnibus, quæ ad ſe vnaquæque dicitur in Trinitate perſona; quià Deus diuinitate Deus eſt, magnus magnitudine magnus eſt, ſapiens ſapientiâ ſapiens eſt, fortis virtute fortis eſt, bonus bonitate bonus eſt. Sic eſt vtique Deus, vt ipſe ſit diuinitas ſua; ſic eſt magnus, vt ipſe ſit magnitudo ſua; ſic eſt ſapiens, vt ipſe ſit ſapientia ſua; ſic eſt fortis, vt ipſe ſit virtus ſua; ſic etiàm bonus, vt ipſe ſit bonitas ſua. Quod cùm in ſuprà memoratis libris idem Sanctus Auguſtinus frequenter inſinuet, quendam locum de libro eius quinto huic opuſculo inſerere curaui. Cùm enim de Deo & de eius magnitudine loqueretur, inter alia ſic ait: *Eâ igitur magnitudine magnus eſt, quâ ipſe eſt eadem magnitudo. Et ideò ſicut non dicimus tres eſſentias, ſic nec tres magnitudines: hoc eſt enim Deo eſſe, quod eſt magnum eſſe. Eâdem causâ nec magnos tres dicimus, ſed vnum magnum; quià non participatione magnitudinis Deus magnus eſt, ſed ſeipſo magno magnus eſt; quià ipſe ſua eſt magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentiâ Dei dictum ſit, omnibúſque omninò prædicamentis, quæ de Deo poſſunt pronunciari; quod ad ſeipſum dicitur, non tranſlatè ac per ſimilitudinem, ſed propriè; ſi tamen de illo propriè aliquid ore hominis dici poteſt* In libro quoque octauo eandem promens de illâ naturali Trinitatis ſimplicitate ſententiam, inter alia ſic ait: *Sic Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus: & bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus ſanctus: & omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus: nec tamen tres Dij, aut tres boni, aut tres omnipotentes, ſed vnus Deus, bonus, & omnipotens, ipſa Trinitas: & quicquid aliud non ad inuicem relatiuè, ſed ad ſe ſinguli dicuntur: hoc enim ſecundùm eſſentiam dicuntur, quià hoc eſt ibi eſſe quod magnum eſſe, quod bonum, quod ſapientem eſſe, & quicquid aliud ad ſe vnaquæque ibi perſona, vel ipſa Trinitas dicitur.*

Lib. V. de Trinitate, cap. X.

In præfatione.

XVI. Claret nempe ex his Beati Auguſtini verbis, hoc eſſe catholicæ veritatis, vt cùm in Deo diuinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem, & quælibet alia in his quæ ad ſe propriè dicitur nominamus; non iſtis diuerſis nominibus quædam diuerſa, (ſicut in homine qui ſubiacet qualitati), ſed vnum illud quod eſt eſſentia vel natura certiſſimè nouerimus. Inde eſt enim quòd Beatus Auguſtinus dicit in libro quinto de

Trinitate, intelligendum *sine qualitate bonum, sine quantitate magnum:* quià incommutabilitas simplicis atque omnipotentis essentiæ, nullis potest accidentibus subiacere: vbì eadem est diuinitas, quæ æternitas, & maiestas: eadem magnitudo, quæ virtus, & bonitas. Ex hac ergo regulâ veritatis quicquid de maiestate, de æternitate, de virtute Christi secundùm carnẽ veraciter dici cognoscimus, de diuinitate quoque eius dici veraciter non negemus. Ipse quippè Beatus Augustinus in primo libro de Trinitate, ostendens Deum Filium secundùm diuinitatem hoc habere quod est, & hoc esse quod habet, ità loquitur. *Non enim sicut creatura, ità Deus Filius, ante incarnationem, & ante assumptam creaturam vnigenitus, per quem facta sunt omnia, aliud est, & aliud habet: sed hoc ipsũ est, quod est id quod habet. Quod illo loco manifestiùs dicitur si quis ad capiendum sit idoneus vbi ait:* Sicut habet Pater vitam in semetipso, ità dedit Filio vitam habere in semetipso. *Neque enim iam existenti & vitam non habenti dedit, vt haberet vitam in semetipso, cum eo ipso quòd est, vita sit. Hoc est ergo:* dedit Filio habere vitam in semetipso: *genuit Filium incommutabilem vitam, quod est vita æterna.* Idem Beatus Augustinus in expositione Euãgelij secundùm Iohannem, cùm de ipso Domini sermone tractaret, sic ait: *Filius autem Dei non quasi primò fuerit sine vitâ, & accepit vitam: si enim sic illam acciperet, non eam haberet in semetipso. Quid est enim in semetipso? vt ipse vita ipsa esset.* Et paulò pòst, hæc in eodem sermone confirmat, dicens: *Ait enim Apostolus:* Fuistis enim aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Cùm dixisset,* nunc autem lux, *addidit,* in Domino. *In te ergo tenebræ, lux in Domino. Lux quare? quià participatione lucis illius, lux es. Si autem à luce, quâ illuminaris, recesseris, ad tenebras tuas redis. Non sic Christus, non sic Verbum Dei; sed quomodò?* Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: *vt non participatione viuat, sed incommutabiliter viuat, & omninò ipse vita sit.* Et paulò pòst idem sanctus Doctor, egregius Augustinus ait: *Quod dicitur,* dedit Filio, *tale est, ac si diceretur, genuit Filium: generando enim dedit. Quomodò dedit vt esset, sic dedit vt vita esset, & sic dedit vt in semetipso vita esset. Quid est, in semetipso vita esset? non aliundè vitâ indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ, vndè credentes alij viue-*

Cap. XII. post medium.

Ioan. 5. 26.

Tract. XXII. post medium.

Ephes. 5. 8.

Ioan. 5. 26.

rent, dum viuerent.

XVII. Ex his igitur verbis præclari Antiſtitis Auguſtini, remotis docemur ambagibus, ſaluâ incommutabilitate, æternitate, atque impaſſibilitate diuinitatis Filij Dei, quicquid de eius maieſtate, æternitate, ac virtute ſecundùm ſuſceptionem carnis dicitur, incongruum non eſſe: ſi eodem modo ſecundùm carnem de eius diuinitate dicatur. Quod ergo à Dei Filio ſuſceptum eſt, ab eius diuinitate, ab eius maieſtate, ab eius virtute, ab eius æternitate probatur eſſe ſuſceptum. Quod vt ſanctorum Patrum veridica demonſtret aſſertio, primùm beatiſſimi Papæ Leonis apoſtolicæ ſedis glorioſi Pontificis proferimus epiſtolam, quam ſcribens ad Flauianum Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum, in eo quòd veram de Incarnatione Domini expreſſit mirabiliter fidem, omnem hæreticæ prauitatis deſtruxit errorem. In illâ namque epiſtolâ idem glorioſus Antiſtes non minùs apoſtolicæ fidei veritate præditus, quàm apoſtolicæ ſedis dignitate præcellens, hæc dicit: *Saluâ igitur proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam coëunte perſonam, ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad reſoluendum noſtræ conditionis debitum natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſsibili: vt (quod noſtris remediis congruebat)* vnus atque idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, *& mori poſſet ex vno, & mori non poſſet ex altero.* Adhuc ſequitur memoratus apoſtolicæ ſedis Antiſtes, & dicit: *In integrâ ergo veri hominis, perfectâque naturâ verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit.* Cernis nempe quemadmodùm ille apoſtolicus Doctor, quâ fide dicit, Deum ea quæ in nobis ab initio condidit, reparanda ſuſcepiſſe; eâdem fide dicat humilitatem à maieſtate, infirmitatem à virtute, mortalitatem ab æternitate ſuſceptam. Cùm verò maieſtas, virtus, atque æternitas Filij Dei dicitur, non aliud quàm eius diuinitas intimatur. Non ergò dubitemus quòd diuinitas Chriſti ſuſceperit, quicquid Chriſti maieſtas, Chriſti virtus, æternitáſque ſuſcepit. Hinc eſt quòd in eâdem epiſtola non diſſimilis denuò ſententia continetur: cùm idem beatiſſimus Romanæ Præſul Ec-

Epiſtola eſt, vt nunc ſunt digeſtæ, decima.

Cap. III.

1. Tim. 2. 5.

clesiæ, sicut Deum & hominem, ità diuinitatem & humanitatem manifestissimâ prædicatione confirmat. In eâdem quippè epistolâ dicit; *Aßumpta est de matre Domini natura, non culpa in Domino Iesu Christo ex vtero virginis genito, quià natiuitas est mirabilis, ideò nostræ est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, & nullum est in hac vnitate mendacium; dum inuicem sunt & humilitas hominis & altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ità homo non consumitur dignitate.*

Eodem Cap. IV.

Alio quoque loco idem beatissimus Papa Leo diuinitatem carnis tectam velamine profitetur, dicens: *Iam cùm ad præcursoris sui Ioannis Baptismum venit, ne lateret quòd carnis velamine diuinitas tegeretur, vox Patris de cælo intonans dixit*: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Vbi continuò diuinitatem illam confidenter Deum nũcupat: & illam carnem, hominem indubitanter appellat, dicens: *Quem itaque sicut hominem, diaboli tentat astutia, eidem sicut Deo angelica famulantur obsequia.* Item alio eiusdem epistolæ loco dicit: *Quamuis enim in Domino Iesu Christo, Dei & hominis vna persona sit: aliud tamen est vndè in vtroque communis est contumelia, aliud vndè communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre diuinitas.* Cuius sententiæ firmitatem sensibus cunctorum fidelium sic insinuat atque inculcat, vt in hac fide vitam, profectúmque constare testetur catholicæ Ecclesiæ dicens, quià catholica Ecclesia hac fide viuit ac proficit, vt nec sinè verâ credatur humanitate diuinitas.

Matth. 3, 17.

Ibidem.

Cap. V.

XVIII. Hoc etiàm beatæ memoriæ Papa Gelasius seruato tenore doctrinæ, per viam veræ fidei atque apostolicæ confessionis, paribus incedit omninò vestigiis. In eo quippè libro, quem memoratus venerabilis conscripsit Antistes aduersùs eos, qui in Domino Iesu Christo duarum naturarum nolunt indiuisam credere veritatem, sed eas vnius naturæ professione confundunt: ipso tenore prædicationis apostolicæ custodito, duas naturas in Christo inconfusas atque inseparabiles esse confirmat, dicens: *Has easdem necessarium est proferri* * *sub vnâ eadémque personâ sic indiscretas atque inseparabiles illâ vnitione constare, vt permaneant esse quod sunt.* Et paulò pòst: *Numquid cùm tantummodò Deus dicitur, homo denegatur: Numquid cùm humanitas dicitur, deitas inde remouetur? Numquid cùm*

* Codex Thuanus profiteri.

Filius

Filius Dei consequenter aduertitur? Numquid cùm Verbum dicitur, non simul intelligitur & caro quod factum est? Numquid cùm caro eius corpúsque depromitur, non etiàm diuinitas indubitanter ostenditur? Item alio eiusdem libri loco, de his qui vnam tantùm in Christo naturam nituntur adserere, sic loquitur: *Nam & cùm dicunt vnam fuisse naturam incarnatam, volentes hoc modo velut ostendere singularem, nullatenùs euadunt significationem duarum. Dum enim dicitur vnam diuinitatis naturam fuisse incarnatam: remotis ambiguitatibus, altera erit quæ incarnata est, altera quâ incarnata perhibetur: quoniàm non eadem erit natura deitatis quæ incarnata est, quæ est natura carnis quâ incarnata firmatur: neque seipsâ natura deitatis incarnata est, sed naturâ carnis incarnata cognoscitur. Sicut neque seipsâ natura carnis extitit deitate sublimis: quià & non aliundè diuinitas, quàm de vtero Virginis matris incarnata processit: & caro non nisi in iisdem visceribus, sancto Spiritu superueniente, & altissimi obumbrante virtute, est vnita deitati.* Item paulò pòst ait: *Quærant ergo isti quà suæ dementiæ foueas, quibus circumdantur euadant: & palàm se aut illorum esse de numero fateantur, qui verum Christi corpus impugnant: aut negare non audeant, non nisi hac ratione verum esse, sinè quâ verum esse non possit: sicut & cùm eundem Deum dicimus, vel secundùm Deum loqui aut facere prædicamus, aliter verum esse non possit, nisi veram illic diuinitatem, & in suæ proprietate substantiæ permanentem deitatis fateamur esse naturam.*

XIX. Sanctus quoque Ambrosius in libro primo de fide, vno eodémque loco sicut Christum Deum & hominem, sic in eo diuinitatem profitetur & carnem, dicens; *Vnum Deum Prophetæ dicunt, Apostoli audiunt: vnum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus, & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt: auro Regem fatentes, & Deum thure venerantes. Thesaurus enim regni aurum: sacrificium Dei, thus: myrrha est sepulturæ. Quid igitur voluerunt sibi mystica munera inter abiecta præsepia; nisi vt intelligamus in Christo differentiam diuinitatis & carnis? Vt homo nascitur, vt Deus adoratur. Iacet in pannis, sed fulget in stellis. Cunæ nascentem indicant, stellæ dominantem. Caro est quæ inuoluitur, diuinitas cui ab Angelis ministratur. Ità nec dignitas naturalis maiestatis amittitur, & adsumptæ carnis veritas comprobatur.* Hæc omnia quæ superiùs posita sunt hac Beatus Ambrosius,

Cap. III.

conclusione firmauit, dicens: *Hæc est fides nostra. Sic se Deus agnosci voluit ab hominibus.* Nempe Beatus Ambrosius superiorem disputationem ac definitionem concludens ità, vt hanc esse diceret fidem nostram; euidentissimè docuit, vt sicut Deum hominémque dicimus, sic diuinitatem & carnem nullatenùs dubitemus. In secundo quoque eiusdem operis libro hæc ait; *Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones*, quoniàm regnum Dei, *sicut scriptum est*, non in persuasione verbi est, sed in ostensione spiritus & virtutis. Sequitur adhuc idem Sanctus Ambrosius dicens: *Seruemus distinctionem diuinitatis, & carnis: vnus in vtroque loquitur Dei Filius, quià in eodem vtraque natura est.* Et infrà; *Hic est qui descendit, hic est quem Pater sanctificauit & misit hunc mundum. Et ipsa littera nos docet, sanctificatione non diuinitatem eguisse, sed carnem.* Beatus quoque Augustinus in libro de fide, spe & caritate, quem nosti à multis Enchiridion nuncupari, sic dicit: *Quis enim hoc solum congruentibus explicet verbis, quòd Verbum caro factum est vt habitaret in nobis: vt crederemus in Dei Patris omnipotentis vnicum Filium, natum de Spiritu sancto & virgine Mariâ? Ità quippè Verbum caro factum est, à diuinitate carne susceptâ, non in carnem diuinitate mutatâ.* Ecce Beatus Augustinus ostendit diuinitatem susceptricem carnis, quam nihilominùs susceptricem testatur & mortis. In libro enim de præsentiâ Dei sic dicit: *Per caput nostrum reconciliamur Deo, quià in illo est diuinitas vnigeniti facta particeps mortalitatis nostræ, vt & nos participes eius immortalitatis essemus.* Vbì continuò magnitudinem huius sacramenti commendans, hæc verba subiunxit: *Hoc sacramentum longè est à cordibus sapientium superborum; & ideò non Christianorum, ac per hoc nec vera sapientium.*

Ibidem. — *Cap. IV.* — *1. Cor. 2. 4.* — *Ibidem.* — *Enchirid. Cap. XXXIV.* — *Est epist. LVII. ad Dardanum, ante medium.* — *Ibidem.*

XX. His omnibus sanctorum Patrum sententiis ostenditur, quod dicitur de vnigenito Deo, etiàm de eius diuinitate non incongruè prædicari. Scimus autem in hac adsertione catholicæ veritatis, aut hæreticos peruersitati deditos, aut catholicos minùs mysterio rectæ credulitatis instructos; cùm audiunt, quod de Deo Filio dicitur, de eius quoque diuinitate dici; & tamen vnam à nobis Patris & Filij & Spiritus sancti diuinitatem nouerunt nihilominùs prædicari; aliquatenùs permouendos; quòd communio diuinitatis, communionem faciat humanæ susceptionis; ac perinde ex carnis communione pu-

tetur in Patre & Filio & Spiritu sancto communio humanæ natiuitatis, passionis, & mortis. Vt ergo nec illi malignè insidientur, nec isti forsitàn incautè fallantur, debent vtrique cogitare, sic à nobis vnam Trinitatis prædicari substantiam, vt non tamen dicamus vnam eiusdem Trinitatis esse personam. Vndè sic totum, quod est ipsa natura, commune tribus inuenitur esse personis, vt aliquid tamen inueniatur, quo proprio vnaquæque persona noscatur, quod tamen nec inueniatur separabile, nec possit esse commune. Nam proprium Patris dicimus esse, quòd genuit: proprium Filij dicimus esse, quòd solus de solo Patre natus sit: proprium etiàm Spiritus sancti, quòd de Patre Filióque procedit. In his verò propriis nulla est naturæ separatio, sed quædam personalis agnitio. Cùm enim propria solius sit generatio Patris, non ab eâ tamen separatus est Filius, quia generante Patre natus est Filius. Et cùm propria sit natiuitas Filij, non tamen est à Patre gignente separabilis; quià natiuitas Filij naturaliter vera non esset, nisi de Patre genitus extitisset. Quamuìs itaque nascente Filio Pater genuerit, & gignente Patre Filius natus sit; non tamen aut cum Patre genuit Filius, aut cum Filio natus est Pater; licèt de naturâ Patris natus sit Filius, & naturam Filij de seipso genuerit Pater. Quià sic est personarum illa proprietas inseparabilis, vt tamen nec generatio, nec natiuitas duarum personarum possit esse cōmunis. Quamuìs nisi duæ personæ Patris & Filij naturaliter essent, nec vna gignere, nec gigni altera potuisset. Quòd si hoc in Deo Patre & Deo Filio hæretici recusare contendunt, humanæ generationis perspicuo aut instruātur aut confundantur exēplo. Nempe homo pater hominem filiū tempore præcedit, quià ipse quoque esse temporaliter cœpit; de quo filius non vtique temporaliter nasceretur, nisi patris natura temporis initio subderetur. Vndè liquidò apparet ideò Deum Filiū de Deo Patre sinè initio natū, quià ille Pater de se Filium genuit, qui sic esse non cœpit; sicut esse non desinit: & tamen cùm homo pater natiuitatem filij præcessisse naturaliter agnoscatur, in eâdem generatione Filij nec Filius à Patre, nec Pater à Filio separatur, quià Patre gignēte Filius gignitur. Et cùm generatio illa causa sit natiuitatis, nec à generatione possit separari natiuitas; sic illa generatio à natiuitate non separatur, vt in vnâ eadémque naturâ vnus generet, altérque nascatur.

XXI. Sic ergo eſt illa generatio atque natiuitas naturaliter inſeparabilis, vt nec generandi nec naſcendi communio ſimul ambabus poſſit ineſſe perſonis. Quià hoc habet proprietas perſonarum, vt nec Filius ſeipſum cum Patre gignat de quo gignitur, nec Pater cum Filio de ſe naſcente naſcatur. Permanet ergo in vnitate naturæ inconfuſa veritas perſonarum, in quibus eſt aliquid aliud, quod non commune reperiatur eſſe ſed proprium. Deus itaque vnigenitus, qui cum Patre & Spiritu ſancto ſic habet vnam eandémque naturam, vt tamen perſonam non communem habeat omninò, ſed propriam; ideò acceptionem formæ ſeruilis communem cum Patre & Spiritu ſancto non habuit; quià non in vnitate naturæ, ſed in vnitate perſonæ ſuæ ſolius, veritatem ac plenitudinem formæ ſeruilis accepit. Qui enim verus & plenus eſt Deus, idem verus & plenus factus eſt homo, quandò ab vnigenito Deo in vnitatē perſonæ accepta eſt ſine peccato anima rationalis & caro. Natura itaque humana ſic ab vnigenito Deo accepta eſt, vt diuinitatis atque humanitatis perſona vna tantùm exiſteret, non natura. Proinde non eſt quidem ſeparatus Filius à Patre & Spiritu ſancto, quandò plenam ſuſcepit humanitatis noſtræ naturam; ſed non ſimul cum Patre & Spiritu ſancto eandem naturam accepit; quià non vna in eo facta eſt natura diuinitatis & carnis, vt ex hoc totius crederetur incarnatio Trinitatis; ſed perſona eſt in Chriſto vna, quàm inuenitur vnigenitus Deus inſeparabilem quidem à Patre & Spiritu ſancto habere, ſed vnam tamen cum Patre & Spiritu ſancto non habere. Propriam ergo Chriſtus habet humanitatem ſuam, cum quâ diuinitas eius non vnam naturam, ſed vnam inuenitur habere perſonam. Quæ perſona vnigeniti Dei quià neque Patris eſt, neque Spiritus ſancti, ideò forma ſeruilis à ſolo Filio accepta rectè creditur; quià diuinitatis eius & carnis perſona vna eſt, non natura. In Chriſto enim non eſt altera diuinitatis & altera humanitatis, ſed vna eſt naturæ vtriuſque perſona. Quocircà quià inſeparabilis eſt operatio Trinitatis, ſeruilem formam quam vnigenitus Deus accepit, tota Trinitas fecit; quam tamen certum eſt à totâ Trinitate factam, ſed ad ſolam Filij Dei pertinere perſonam. Neque enim ſicut eſt in eâ totius Trinitatis vna operatio, ſic in eâ Trinitatis inuenitur communis ac-

ceptio. Etenim proprietas personalis, (quià non ipse Pater est qui Filius, nec Spiritus sanctus est ipse qui Pater aut Filius) ostendit aliquid à Patre & Filio & Spiritu sancto factum, quod tamen à solo Filio inueniatur acceptum.

XXII. Cuius exemplum rei in creaturis non potest inueniri; quià exceptâ Trinitate, quæ vnus est naturaliter verus Deus, nulla natura est, quæ in se tres inseparabiles possit habere personas. Quià verò in vnoquoque homine inuenimus carnem non hoc esse quod animam, nec vtramque vnius esse naturæ, quamuìs ex vtrâque perficiatur & constet humana natura; quæ tamen in vnoquoque homine vnam inueniuntur habere personam. Proinde in istis duabus naturis quas vnam personam habere cognoscimus, simile aliquid inquiramus; vt cùm hîc inuenerimus aliquid fieri animæ carnísque communi opere (quod tamen aut ad solius animæ, aut ad solius carnis inueniatur pertinere substantiam) inde coniiciamus, & quantùm ipsa tribuit Trinitas intelligamus, potuisse aliquid ab eisdem tribus personis vno simul opere fieri, quod sic tota quidem Trinitas inseparabiliter faceret, vt ad vnam ex Trinitate personam illud quod factum est pertineret. Nempe quandò cibos sumimus, carni vtique & non animæ prouidemus; & in ipsâ tamen acceptione ciborum quâ sola caro pascitur, anima cum carne pariter operatur; quià caro sine animâ, sicut non viuit, ità nec comedit. Ecce, vt sola caro accipiat cibum, simul & carnis & animæ vnum inuenitur officium: quod proprietate naturali caro accipit sola, per vnitatem personæ simul cum carne operatur & anima. Communis est itaque operatio, sed non est communis acceptio: nec comedentem carnem anima in opere deserit: quæ tamen sic operationis suæ cum carne miscet officium, vt eâdem communione operis sola caro accipiat vitale subsidium. Tale aliquid inuenitur in eâdem vnitate personæ ipsa quoque hominis sibi anima vindicare, si quandò intentionem cordis officio diuinæ deputat lectionis: quâ proculdubio non exterior, sed interior homo pascitur, & plerumque ieiunante carne magìs anima saginatur. Nonne vt anima capiat ex lectione cibum, etiàm corporalium membrorum admiscet officium? Legere quippè non potest nisi per oculos corporis;

quod tamen cùm oculis corporis legit, oculis cordis intelligit: ac per hoc cum carne simul operatur, vndè sola pascatur, & sola in se accipit quod non sola facit. Ecce duæ naturæ propter vnam personam inseparabiliter operantur, sed propter suas propietates vna plerumque accipit quod non sola facit, immò quod sine alterâ nullatenùs facit. Et quamuis hoc ad integram cognitionis lineam omninò sufficiat, vt ex eo quòd hìc in duabus naturis, & vnâ personâ videmus, ad illarum in vnâ naturâ trium personarum intelligentiam, quantùm ipsa Trinitas dignatur tribuere, conscendamus: tamen etiàm in ipso Redemptore nostro huius rei manifesta nobis atque indubitata probetur agnitio. Qui vtique sic in vnitate personæ suæ naturam vtramque coniunxit insolubiliter & vniuit, vt in vnâ personâ vnigeniti Dei, nec diuinitas ab humanitate suâ, nec humanitas à suâ possit diuinitate seiungi. Indissolubilis quippè facta est Verbi & carnis vnitio, quandò Verbum factum est caro: in quo sic mansit personalis vnitas, vt tamen naturalis nec diuidi possit, nec confundi proprietas. Proinde sic in vno Christo communia naturæ vtriusque inueniuntur officia, vt cùm non diuidatur in virtutibus, atque infirmitatibus Christus; sit tamen aliquid quod in vno naturæ vtriusque opere non sit naturæ vtriusque commune.

XXIII. Nam vt de illo ineffabili conceptu partúque nunc taceam, quo sic æternus temporaliter conceptus & natus est Deus, vt tamen in ipsâ communione conceptus partúsque virginei, solius esset proprium naturaliter carnis initialiter de carne genitricis existere, in membra formari, & vsque ad maturitatem partus processu temporis operísque perduci, deinde decidentibus ac succedentibus ætatibus crescere, & ad perfectum iuuentutis modum suo tempore peruenire; quid dicemus de illis deinceps operibus & passionibus, cùm in illo esset quidem inseparabilis naturaliter vera caro, vera rationalis anima, veráque diuinitas? Verumtamen sic ea quæ naturalis veritas abnuit, aut pati dignaretur, aut facere, vt & totus Christus in passione vel opere permansisset inseparabilis, & quod personalis vnitas commune diuinitatis atque humanitatis ostenderet, hoc tamen in se idem Christus naturæ vniuscu-

iusque proprium naturali veritate monstraret. Suscipiens quippè nostræ infirmitatis esuriem, illam famem suam totus operatus est Christus; & vt cibum sumeret, totus Christus similiter fecit: naturaliter tamen sicut sola caro esuriem pertulit, ità sola cibum opere totius Christi comedentis accepit. Fatigatus ab itinere Iesus sedit super puteum. Illam verò fatigationem diuinitas sentire non potuit: sed neque secundùm animam vllatenùs eam fatigationem sensisse dicendus est Christus. Illud ergo quod sedit, ad solam refectionem pertinuit carnis naturaliter fatigatæ: in quâ tamen refectione communis fuit operatio deitatis, & animæ. In ipso deinde tempore passionis & mortis, quis in vno eodémque Christo in ipsâ communione operum non videat inseparabiliter manere propria naturarum? Tristis fuit anima eius vsque ad mortem. Sed neque diuinitas incommutabilis receptrix potest esse tristitiæ, nec caro tristitiam potest aliquando sentire. Tristitia itaque solius est animæ rationalis, quæ nec diuinitati potest naturaliter inesse, nec carni; personaliter tamen totus Christus dignatus est in se tristitiam operari: in se quippè suas passiones inuenitur operatus, qui nihil habuit quod pateretur inuitus. Vt ergo tristaretur, totus Christus fecit; sed illam tristitiam in se sola naturaliter anima rationalis accepit. Iam verò cùm Christus vno eodémque tempore & in sepulcro iacuit, & in infernum descendit, quis non inseparabile naturæ vtriusque opus videat? & quis in ipso vno, atque inseparabili opere propria carnis, & animæ, ac diuinitatis non euidenter agnoscat? Vt enim secundùm carnem in sepulcro iaceret, totus Christus fecit; sed sepulturæ capax sola caro naturaliter fuit. In infernum quoque vt secundùm animam Christus descenderet, naturæ vtriusque, idest, diuinæ, atque humanæ vnum fuit opus; sed solius animæ naturalis fuit ille descensus. Sicut eodem tempore totus in cœlo & in terrâ non cessabat Christus operari; sed solius diuinitatis fuit, & loco non contineri, & quæ ad gubernationem vniuersitatis pertineant, cum Patre naturaliter & æqualiter operari. Inde est, quòd in omnibus illis operibus passionis & mortis, auctoritas apostolica quod totus in se operatus est Christus, sic vni personæ operantis adsignat, vt quid cuius

Ioan. 4. 6.

Matth. 26 38.

naturæ sit indubitanter ostendat. Nam & Apostolus Paulus de vno eodémque Christo dicit: *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*. Et Beatus Petrus propheticum sic protulit de Psalmis eloquium, vt Christi animam, quam in infernum nouerat descendisse, ipsam diceret in inferno non derelictam. Sic enim de Beato Dauid idem Petrus Apostolus loquitur: *Propheta igitur cùm esset, & sciret, quià iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi, quià neque derelicta est anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*. Hæc itaque omnia totus Christus secundùm vnam personam fecit, & sic vnum naturæ vtriusque opus agnoscitur, vt tamen quid cui naturæ deputari debeat, non negetur. His ergo vnusquisque instruatur exemplis, vt quod hìc in naturarum consideratione cognoscit, hoc illic in personis intelligat: nec dubitet humanam Christi naturam totius Trinitatis opere factam, sed ad solam vnigeniti Dei pertinere personam.

1. Cor. 13. 4.

Act. 2. 30.

XXIV. Tertia est inquisitio tua, vtrùm anima Christi, susceptricis deitatis plenam habeat omninò notitiam: & quemadmodùm se inuicem norunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; ità idem Filius seipsum per id quod homo est, in eo quod Deus, nouerit; ex vtrâque, atque in vtrâque substantiâ totum capiens Patrem. An fortè sicut oculis corporalibus Deum spiritum minimè videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitùs commutata: sic rationalis animæ quamuìs pio intellectu, & corde mundissimo non videri, neque comprehendi omnem diuinitatis essentiam, ne quælibet creatura inueniatur capere creatorem.

RESPONSIO AD TERTIAM QVÆSTIONEM.

Hæc in tuis litteris verba, frater carissime, cùm legissem, magìs me fateor angustiis coarctatum, quià compellimur dicere, quod sufficienter, ac dignè non possumus cogitare. Nã considerata creatoris creaturæque distinctio, incomprehensibilem monstrat, atque inexplicabilem intellectui creaturæ magnitudinem creatoris: quippè cùm pax Dei exuperet omnem intellectum, & ille qui ascendit super Cherubin, volet super pennas ventorum. Nosti autem, Cherubin interpretari plenitudinem scientiæ. Quid est ergo super Cherubin ascendere, nisi omnem scientiæ plenitudinem incomprehensibili altitu-

altitudine superare? Sed hæc confidenter, atque indubitanter dicimus de sanctis Angelis, atque hominibus sanctis: quorum quilibet sic diuinæ adoptionis gratuito munere deus dicitur, vt tamen Deus angelorum vel hominum nullâ ratione dicatur. Cùm autem de animâ Christi loquimur, de illo loquimur rationali spiritu, ad quem non solùm Deus per gratiam venit, sed quem ipsa diuinitas in vnitate personæ suscepit. Anima quippè illa cum Verbo vnus est Christus, anima illa cum Verbo vnus est vnigenitus Deus. Et quià vnigenitus Deus æqualis est Patri, nec potest totum nosse Filium qui totum non nouerit Patrem, caueamus, ne cùm anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi vni Christo ex aliquâ parte, non solùm Patris, sed etiàm sui, & Spiritus sancti cognitio denegetur: Perquàm verò durum est, & à sanitate fidei penitùs alienum, vt dicamus, animam Christi non plenam suæ deitatis habere notitiam, cum quâ naturaliter vnam creditur habere personam.

XXV. Quòd si sic crediderimus, necesse est vt illa frustretur prædicatio Iohannis Baptistæ, quâ Christo singularem, ac sine mensurâ tribuit Spiritus largitatem, dicens: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*: cùm & maiores nostri in nobis mensuram largitatis accipiant, in Christo autem plenitudinem manere sancti Spiritus fateantur. Beatus namque Ambrosius in libro primo de Spiritu sancto, inter alia sic ait; *De Spiritu meo*, inquit, *effundam. Non Spiritum, ait, sed de Spiritu: neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantùm accipimus, quantùm de suo arbiter nostri, pro suâ voluntate diuiserit.* Ostendens ergo nos Sanctus Ambrosius non plenitudinem, sed de plenitudine Spiritus accipere, vt ostenderet Christum omnem plenitudinem Spiritus accepisse, paulò post hæc dicit; *De Spiritu sancto Pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit, sed quod effudit, omnibus abundauit. Super nos ergo effusum est de Spiritu Sancto. At verò super Dominum Iesum, cùm in formâ esset hominis, manebat Spiritus; sicut scriptum est*: Suprà quem videris Spiritum descendentem de cœlo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. *Circà nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum Spiritus plenitudo.* Nempe Beatus Ambrosius euidenter atque indubi-

Ioan. 3. 34. *Cap. VI.* *Act. 2. 17.* *Ibidem.* *Ioan. 1. 33.*

tanter ostendit, animæ Christi plenã totius diuinitatis inesse notitiam, cùm dicit, quià circà nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum Spiritus plenitudo. Hoc autem vt diceret, illum sermonem Beati Iohannis adtendit, quo ait, cùm de ipso Filio loqueretur: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Quod Beatus quoque Augustinus eâdem sancti Spiritus illuminatione percipiens, atque intelligens, in solâ personâ Christi accipi debere confirmat. Nã cùm eundem locum Euangelij explanasset, ipso sermone Iohannis Baptistæ proposito, quo ait; *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum,* idem Beatus Augustinus ità subiecit; *Quid est hoc :* Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum? *Inuenimus, quià ad mensuram dat Deus Spiritum. Audi Apostolum dicentem;* Secundùm mensuram donationis Christi. *Hominibus ad mensuram dat, vnico Filio non dat ad mensuram.* Item in eâdem homiliâ dicit; *Sic sunt etiàm diuersa dona fidelium, tanquàm membris ad mensuram cuique propriam distributa. Sed Christus qui dat, non ad mensuram accepit. Audi enim adhuc quod sequitur, quià de Filio dixerat,* Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Nempe Beatus Augustinus ostendit hoc euangelico testimonio quid debeamus de animâ sentire, quandò ipse Christus qui Spiritum dat, non ad mensuram accipit. Ipse est enim qui dat, ipse est qui accipit: & quià potens est ad mensuram dare, ideò non potuit ad mensuram accipere. In formâ enim Dei manens Spiritum dat: formam serui accipiens, Spiritum accepit. Sed quià ipse ad mensuram dat, ideò non ipse ad mensuram accepit: ad mensuram quippè dat multis filiis, sed non ad mensuram accipit vnicus Filius; quià sic est verus homo, vt verus sit Deus.

Ioan. 3. 34. — *Tract. XIV. in Ioan.* — *Ephes. 4. 7.* — *Ioan. 3. 34.*

XXVI. Hunc Euangelij locum aliter Beatus Augustinus aliquandò posuerat in duobus libris, quos scripsit de sermone Domini in monte. Quem tamen sensum in suis Retractationibus emendauit, hoc approbans atque adfirmans quod posteà meliùs intelligens, in illâ expositione Euangelij de solo Christo accipi debere firmauit. Quod in primo libro Retractationum suarum ostendens, inter alia sic ait. *Alio loco quod interposui testimonium,* Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, *nondum*

D. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte. Cap. VI. lib. 1. Retract. Cap. XIX. — *Ioan. 3. 34.*

intellexeram de Christo propriè verius accipi. Aliis quippè hominibus nisi ad mensuram daretur Spiritus, non duplum peteret Elisæus quàm fuit in Eliâ. In his ergo dictis Beati Augustini illud maximè attendamus, quod ait, aliis hominibus ad mensuram Spiritum dari. Quod vtique ideò dixit, vt hoc se non de diuinitate, sed de humanitate Christi sensisse monstraret, cui non ad mensuram dedit Deus Spiritum, cùm vnicuique dari gratiam secundùm mensuram donationis Christi testetur Apostolus. Quare ergo Beatus Augustinus non dixit *hominibus*, sed *aliis hominibus*, nisi vt ostenderet illi homini singulariter non ad mensuram, sed omnem inesse Spiritus plenitudinem, qui sic est naturaliter homo verus, vt idem sit naturaliter etiàm Deus verus; totum accipiens in veritate carnis, quem ad mensuram largitur munere deitatis? Illi ergo qui secundùm mensuram donationis suæ dat gratiam, non ad mensuram dedit Deus Spiritum. In Christo autem secundùm catholicæ fidei veritatem, in vnitate personæ simul & deitatem, & animam rationalem fatemur, & carnem: in quo tamen deitas Spiritum accipere non potuit, quià secundùm deitatem Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnus est Deus. Vbì tantus est Pater solus, quantus cum Filio, & Spiritu sancto: tantúsque solus Filius, quantus cum Patre & Spiritu sancto: tantúsque solus Spiritus sanctus, quantus cum Patre simul, ac Filio. Ibì nulla de tribus personis habet aliquid minùs duabus, vbì in vnaquâque personâ sic est plena deitas, vt & in tribus personis vna sit, & in singulis tota. Non ergo potuit Spiritum sanctum diuinitas Filij accipere, cùm ipse Spiritus sanctus sic procedat à Filio, sicut procedit à Patre; & sic detur à Filio, sicut datur à Patre: nec illa natura vndè Spiritus sanctus habet originem, potuit eius vel expectare, vel accipere largitatem. Spiritus ille totus est Patris, totus est Filij, quià vnus naturaliter est Spiritus Patris, & Filij. Proinde totus de Patre procedit & Filio, totus in Patre manet ac Filio; quià sic manet vt procedat, sic procedit vt maneat. Vndè naturaliter hanc habet cum Patre ac Filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum Patrem habeat, totúmque Filium; ipséque totus habeatur à Patre, totus habeatur à Filio. Non ergo accepit Spiritum sanctum diuinitas Filij, cum quâ vnius naturę est Spi-

4. Reg. 2.

ritus sanctus, & ex quâ habet, quicquid habet immò de quâ est hoc quod est; quià quod naturaliter habet, hoc est. Restat itaque vt anima Christi Spiritum sanctum acceperit, quem tamen non ad mensuram accepit, sed totum accepit: vbi enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis & perfectio plenitudinis inuenitur.

XXVII. Quid sit autem iste Spiritus, quem non ad mensuram Christus accepit, Propheta nobis Esaias ostendit, qui de ipso loquens, ait; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Accepit ergo Christus Spiritum, sed non ad mensuram accepit. Quòd si animæ Christi non ad mensuram dedit Deus Spiritum, necesse est vt nihil minùs habeat sapientiæ, nihil scientiæ. Spiritus enim ille, Spiritus est sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis. Ac per hoc, non solùm ad diuinitatem Christi, sed ad eius quoque animam illa perfectionis prærogatiua pertinet, quam ipsi Christo Beatus adsignat Apostolus, dicens; *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Si enim non ad mensuram accepit Spiritum sapientiæ & scientiæ, necesse est vt omnes thesauros sapientiæ & scientiæ habeat. Quòd si ei aliquid huius plenitudinis demitur, consequens est, vt ad mensuram accepisse Spiritum prædicetur. Et quis est cui non ad mensuram Deus Spiritum dederit, si eum ad mensuram Christus accepit? In quantùm enim Spiritus datur, in tantùm cognitio diuinitatis accipitur: vbi autem Spiritus non est mensura, necesse est vt plena sit diuinitatis immensæ notitia. Tota enim plenitudo datur, vbi Spiritus non ad mensuram datur. Non autem plenitudinem eius, *sed de plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.* Vbi ostenditur etiàm in illâ gratiâ speciei, quæ dabitur pro gratiâ fidei, non ipsam plenitudinem, sed de plenitudine eius nos esse accepturos gratiam pro gratiâ: & hoc ipso quòd de plenitudine eius accepimus, nos esse implendos, in quantùm per eius gratiam capaces erimus. Quod ostendit nobis Propheta, dicens. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo:* & iterùm, *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ:* & iterùm; *Reple-*

Esaiæ 11. 1.
Coloss. 2. 3.
Ioan. 1. 16.
Psal. 15. 11.
Psal. 64. 5.

bimur bonis domus tuæ; sed vt repleamur, de plenitudine eius accipiemus. De Christo autem Paulus Doctor gentium dicit, quià *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* De quo idem dicit, quià *in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Non ergo existimo illi animæ in aliquo plenam diuinitatis deesse notitiam, cuius vna est persona cum Verbo; quam sic sapientia suscepit, vt eadem sapientia ipsa sit; quæ rerum omnium in tantùm facta est domina, vt cum ipsâ diuinitate suâ vna sit in Trinitate persona; idest Christus crucifixus, quem Dei virtutem, Deíque sapientiam Paulus Apostolus prædicat.

Coloss. 1. 19.
Coloss. 2. 9.
1. Cor. 1. 24.

XXVIII. Quòd si anima Christi minorem habet in aliquo deitatis suæ notitiam, non in se habet totam sapientiam totámque virtutem. Participium ergo habet Christi, non ipsa est Christus, si partem habet notitiæ diuinitatis suæ. Nos autem participes Christi Apostolus asserit, dicens: *Participes enim Christi effecti sumus.* Vndè ipsi Christo dicitur: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Oleum autem exultationis, quo vnctus est Christus, Spiritum sanctum esse non dubium est, dicente Beato Petro; *Iesum à Nazareth quem vnxit Deus Spiritus sancto, & virtute.* Ipsum ergo Deus vnxit præ participibus suis, cùm non ad mensuram dedit Spiritum, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Cuius sapientiæ & scientiæ altitudinem Beatus Apostolus miratur, dicens: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Christum autem non solùm secundùm diuinitatem, sed etiàm secundùm humanitatem vera fides totum altissimum confitetur. Mater enim Sion dicit; *homo, & homo factus est in eâ, & ipse fundauit eam altissimus.* Et reuerà quis audeat altissimum denegare, quem Deus non solùm de se altissimum genuit, sed etiàm de virgine natum *exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quià Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris?* Si autem non plenam habet anima Christi notitiam diuinitatis suæ, non peruenit ad altitudinem plenam sapientiæ & scientiæ Dei. Non ergo totus, sed ex parte Christus prædicetur altissimus, si anima eius infrà altitudinem

Heb. 3. 14.
Heb. 1. 9.
Act. 10. 38.
Rom. 11. 33.
Psal. 86. 5.
Phil. 2. 9.

diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei à fidelibus prædicatur. In quo enim nos Deus exaltat, nisi in quo ad se leuat animas nostras? In tantùm autem ad se animas nostras leuat, in quantùm nobis veritatem suæ cognitionis, ac dilectionis insinuat. Quis autem dicat animam Christi aut minùs aliquid percipere veritatis, aut minùs habere aliquid caritatis? Ipse autem Christus est veritas. Quomodò ergo illa anima minùs in se notitiam veritatis habere dicitur, quæ ipsius veritatis anima singulariter inuenitur? Nonc sic est de Christi animâ disputandum, sicut disputatur de quolibet angelico spiritu, vel humano, qui particeps potest esse Dei veri, non Deus verus, quod est Christus; qui perfectam carnem, perfectámque animam rationalem, id est, plenam humanam naturam, in illam sempiternam personam suæ diuinitatis accipiens, sicut naturaliter totus est homo verus, sic totus Deus est verus: quià sicut in diuinitate suâ totam habet humanitatis suæ naturam, sic in humanitate suâ totam habet diuinitatis suæ substantiam, totam maiestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam? Sic enim humanam naturam Deus vnigenitus suscipere dignatus est, vt ipse sit Deus qui homo est, & idem sit homo qui Deus est. Proinde sicut est plenitudo diuinitatis in homine Christo, sic ibi est plenitudo humanitatis in Deo. Sicut ergo Christus homo singulariter habet, vt Deus verus sit, sic totam diuinitatem suam singulariter nouit.

XXIX. Possumus planè dicere animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ; nescio tamen, vtrùm debeamus dicere, quòd anima Christi sic suam deitatem nouerit, quemadmodùm se ipsa deitas nouit: an hoc potiùs dicendum est, quià nouit quantùm illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas sic se nouit, vt hoc se naturaliter inueniat esse quod nouit: anima autem illa sic totam deitatem suam nouit, vt ipsa tamen deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua; anima verò illa ab ipsâ deitate quam planè nouit, accepit vt nouerit: naturaliter ergo deitas Christi hoc est quod nouit; anima verò illa in eo quòd scit deitatem suam, non hoc se inuenit esse quod nouit. Non ergo quemadmodùm se nouerunt

Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sic animæ suæ secundùm diuinitatem notus est Christus: quoniàm quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet vnam cum Trinitate naturam. Aliud est autem vnicuique rei, nosse quod naturaliter est, aliud nosse quod naturaliter non est. Oculis porrò corporalibus Deus spiritus non videtur. Vndè quosdam Beatus Augustinus, qui hoc voluerunt de Christo credere, quòd Deum Patrem oculis corporalibus videat, in epistolâ suâ quam ad Italicam scripsit, licèt breui sermone, sufficienti tamen responsione conuincit. Hoc habent quippè oculi corporis, vt non solùm corpora videant, sed nec videre possint, si inter ipsos, & ea quæ vident, spatij cuiusquam media interualla non fuerint. Inde est quod cùm alia plurima videant, seipsos videre non possunt; nec vident in se, cùm videant extrà se: nam & ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adiungatur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, priùs est vt eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari: quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quià & sapientia, & veritas, & caritas est. Quocircà quibus oculis videtur sapientia, veritas, & caritas, ipsis oculis videtur illa sapiens, caráque vera diuinitas. Non itaque corporis, sed oculis animæ humanæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ, veritatis, caritatísque constituit Spiritus ergo rationalis accepit à Deo, vt videat Deum: accepit itaque per gratiam; quem tamen non extrà se potest videre, sed in se: Deus enim non loco continetur, sed affectu percipitur, & ideò in quo non habitat; non videtur. Multò enim interiùs animam inhabitat Deus, quàm anima inhabitat corpus; quoniàm creator spiritus ille est, iste creatus. In tantùm ergo habet quælibet sancti hominis anima illius summi Dei notitiam, in quantùm internæ visionis acceperit gratiam. Vndè nescio quomodò accipimus vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, si vel illi plenitudini veritatis, aliquid plenitudinis gratiæ deesse dicimus, vel illi plenitudini gratiæ non totam inesse veritatis plenitudinem æstimemus: cùm vtique in eo certissimè vnigenitus à Patre plenus agnoscatur gratiæ & veritatis, si non solùm in ipso vno plena

Epist. VI.

gratia humanitatis, plenáque diuinitatis veritas agnoscatur; sed etiàm plenitudo veritatis in seipsâ plenitudinem habeat gratiæ, quâ est tota humanitas in diuinitate suâ: & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis, quâ est tota diuinitas in humanitate suâ: ità vt plenitudo veritatis plenitudinem in se habeat gratiæ, & plenitudo gratiæ plenitudinem in se habeat veritatis.

XXX. Non autem tota plenitudo veritatis habetur, quandò ipsius veritatis aliquid ignoratur, quod absit vt de Christo aliquatenùs sentiamus. Sic enim tota plenitudo gratiæ est in illâ plenitudine veritatis, vt illa plena deitas totam impleat humanitatē suam: & sic est plenitudo veritatis in illâ plenitudine gratiæ, vt illa plena humanitas sicut plenam habet & singularē incorruptionem, atque immortalitatem carnis, ità secundùm animam, plenam singulariter habeat notitiam deitatis. Sic est ergo Christus plenus gratiæ & veritatis, vt sicut est in diuinitate eius plena humanitatis acceptio, sic in humanitate eius plena sit diuinitatis agnitio. Nec metuamus adserere, quòd Christi anima totam deitatem suam ponit, ne ex hoc dicatur, cùm ipsâ deitate vnius esse naturæ; cùm vtique si hoc ratiocinatio vera deposcit, vt in plenitudine cognitionis continuò sit vnitas naturalis; ipse primitùs Deus, quià omnia quæ fecit, plenè vtique nouit, eius dicetur esse naturæ, cuius sunt illa quæ fecit & nouit. Quod qui credit, aut asserit, non catholicâ veritate præditus, sed manichæâ sit impietate possessus. Deinde illud est nihilominùs intuendum, quòd ipsa Christi anima ex quantacunque parte dicatur deitatis suæ habere notitiam, statìm dicitur ex tantâ parte vnam habere cum suâ deitate naturam; quod vtique magnæ insaniæ est. Nam & nos speramus per Dei gratiam visuros esse Deum: in quantùm autem visuros, in tantùm sine dubio cognituros; quoniàm vtrumque nobis apostolica commendat auctoritas: nam & Beatus Apostolus dicit: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Et dilectus Christi Iohannes indubitanter asserit: *Quià cùm appatuerit, similes ei erimus, quoniàm videbimus eum sicuti est.* Visio autem illa non solius carnis erit, secundùm quam solam solus Filius ab impiis videbitur ad eorum condemnationē perpetuam; sed erit visio deitatis, secundùm quam seipsa

1. Cor. 13. 12.

1. Ioan. 3. 2.

se ipsa Trinitas ità videndam præbebit iustis, vt illa diuinitatis indesinens visio, ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo. Inde enim sunt *beati mundo corde, quoniàm ipsi Deum videbunt.* In tantùm ergo diuinitatem sanctæ Trinitatis videbimus, in quantùm accipiemus dono gratiæ vt videre possimus. Nec tamen in quantùm videbimus, in tantùm ipsi diuinitati consubstantiales erimus. Nam & corpore videmus multa, quæ cum nostrâ carne non sunt vnius eiusdémque naturæ. Vident enim oculi nostri lucem, cùm tamen alterius naturæ sint illi, alterius illa. Dixit quidem Beatus Iohannes; *Quoniàm cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniàm videbimus eum sicuti est.* Similes autem dixit, imitatione scilicet iustitiæ, non vnitate naturæ: secundùm quam imitationem dicit Beatus Paulus; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et Beatus Iohannes ait; *Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodùm ille ambulauit, & ipse ambulare.* Creatorem verò capit creatura, quantùm accipit vt capiat.

Matth. 5. 8.

1. Ioan. 3. 2.

1. Cor. 11. 1.

1. Ioan. 2. 6.

XXXI. Inde est quod Beatus Augustinus hunc sermonem non refugit, sed indubitanter adsumit. Nam in eâdem homiliâ, in quâ exposuit illum locum, Quià *non ad mensuram dat Deus Spiritum,* sic quodam loco de ipso Filio dicit. *Manens enim Deus apud Patrem, apud homines factus est homo, vt tu per illum qui apud te factus est homo, fieres talis, qualis capit Deum: non enim homo poterat capere Deum. Videre poterat homo hominem, capere Deum non poterat. Vndè non poterat capere Deum? quià oculum cordis vndè caperet non habebat. Erat ergo aliquid intùs saucium, & aliquid foris sanum: corporis oculos habebat sanos, cordis habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum, vt credens in eum qui videri corporaliter potuit, curareris ad eum ipsum videndum, quem spiritaliter videre non poteras.* His verbis ostendit Beatus Augustinus in spiritalibus rebus hoc esse capere quod videre, neque aliud esse videre quàm intelligere, nec intelligere aliud esse quàm nosse. Hinc est quòd in libro de præsentiâ Dei, cùm soli Filio dat plenam diuinitatis capacitatem, soli plenam diuinitatis ostendit inesse notitiam. In memorato quippè libro his vtitur verbis. *Deus igitur vbique præsens est, & vbique totus præsens, nec vbique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est, & propitius. Capitur autem habitans, ab aliis ampliùs,*

Tract. XIV. in Ioan. versùs finem.

Ioan. 3. 34.

Est epist. LVII. ad Dardanum, versùs finem.

Coloss. 2. 9. *& ab aliis minùs. De ipso verò capite nostro Apostolus ait;* Quoniàm in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Adtende quæso in his verbis Beati Augustini discretionem capitis membrorúmque certissimam. Ab illis enim quibus ad mensuram dat Deus Spiritum, capitur habitans, ab aliis ampliùs, ab aliis minùs. Quid est autem capi nisi intelligi atque cognosci? Cùm autem de Christo idem Beatus Augustinus loqui vellet, quid ait? *De ipso*, inquit, *capite nostro Apostolus ait;* Quoniàm in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nempe ipse Beatus Augustinus ait, quoniàm Deus habitans capitur: quocircà ab illo plenitudo diuinitatis sinè dubio capitur, in quò ipsa diuinitatis habitat plenitudo. In eo autem capitur, in quo cognoscitur. Illi ergo, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, non potest ipsius plenitudinis plena non inesse notitia. Inde est quòd Beatus Augustinus in eodem libro paulò post hæc dicit: *Quid ergo est? Hoccinè interesse arbitremur inter caput & membra cætera, quòd in quolibet quamuis præcipuo membro, velut in aliquo magno Prophetâ, aut Apostolo, quamuis diuinitas habitet, non tamen, sicut in capite quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis? Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, vbi prorsùs omnis est quinquepertitus. Ibì enim est visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus: in cæteris autem solus est tactus. An etiàm præter hoc, quòd tanquàm in templo, in illo corpore habitat omnis plenitudo diuinitatis, est aliud quod intersit inter illud caput, & cuiuslibet membri excellentiam? Est planè; quòd singulari quadam susceptione, hominis illius vna facta est persona cum verbo. De nullo enim Sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit;* Verbum caro factum est: *nullus Sanctorum qualibet præstantiâ gratiæ, vnigeniti nomen accepit; vt quod est ipsum Dei Verbum ante sæcula, hoc simul cum adsumpto homine diceretur. Singularis ergo est illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis quantalibet sapientiâ ac sanctitate præstantibus, vllo modo potest esse communis.* Certum est itaque sanctorum Patrum sententiam Scripturis cœlestibus conuenire, quæ manifestissimè protestantur, & diuinitùs inspiratæ proclamant nobis, id est, omnibus adoptiuis, partem cognoscendæ atque capiendæ diuinitatis, provt voluntas donauerit largitoris, infundi per gratiam; Christo verò, id est, ani-

Coloss. 2. 9.

Ibidem.

Ioan. 1. 14.

mæ eius plenam totius diuinitatis inesse notitiam.

XXXII. Quartam deinde quæstionem series tuarum sic continet litterarum. Vnum, inquis, regnum Patris & Filij & Spiritus sancti credimus & fatemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus Sacerdotum [Per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti] per vniuersas penè Africæ regiones catholica dicere consueuit Ecclesia, tanquàm solus Filius cum Patre possideat regnum, in vnitate scilicet Spiritus sancti; vt regnantes adunare, non simul regnare Spiritus sanctus intimetur?

RESPONSIO AD QVARTAM QVÆSTIONEM.

Dicam simpliciter de hoc sermone quod sentio. Quotiens exinde cogitaui, nihil ibì aliud maiores nostros, quàm fidei veritatem contrá multas hæreses præmunisse cognoui. Illud quippè primum adtendendum est, quòd in conclusione orationis, [Per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum] dicimus: quod vtique non inaniter catholica concelebrat Ecclesia; propter illud vtique sacramentum, quòd mediator Dei & hominum factus est homo Christus Iesus, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem semel introiuit in sancta, non vtique manufacta exemplaria veritatis, sed in ipsum cœlum, vbì est in dexterâ Dei, & interpellat pro nobis. Hoc in eo pontificatus officium intuens Apostolus ait; *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus, quià per eius mortem reconciliati sumus cùm inimici essemus. Per ipsum enim qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostra hostia acceptabilis inueniri. Propstereà nos Beatus Petrus admonet, dicens; *Et vos tanquàm lapides viui ædificamini in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum; offerentes spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Hac igitur ratione dicimus Deo Patri [Per Iesum Christum Dominum nostrum] Nam benè nosti nonnunquàm dici [Per Sacerdotem æternum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum.] Cùm ergo Sacerdotis fit mentio, quid aliud quàm mysterium dominicæ incarnationis ostenditur, quo Dei Filius cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui

Heb. 13. 15.

1. Pet. 2. 5.

accipiens; secundùm quam se humiliauit, factus obediens vsque ad mortem; minoratus scilicet paulò minùs ab angelis, & æqualitatem paternæ possidens diuinitatis? Eo quippè minoratus est Filius, æqualis permanens Patri, quo in similitudinem hominum dignatus est fieri. Ipse autem se minorem fecit, quandò semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Christi porrò minoratio, ipsa est exinanitio: nec tamen alia est exinanitio, quàm formæ seruilis acceptio.

XXXIII. Christus ergo in formâ Dei permanens, vnigenitus Deus, cui cum Patre hostias offerimus, formam serui accipiens, Sacerdos est factus, per quem hostiam viuam, sanctam, Deo placentem offerre possimus Nec tamen hostia à nobis offerri potuisset, si Christus pro nobis factus hostia non fuisset: in quo ipsa natura nostri generis, vera est hostia salutaris. Vt enim ipse vnigenitus, qui verus naturaliter Deus est, verus fieret & Sacerdos, in personâ diuinitatis suæ, non humanitatis nostræ personam dignatus est accipere, sed naturam. Si enim naturam hominis cum personâ simul accepisset in illo incarnationis mysterio, non idem vnus Christus in duabus naturis esset Deus & homo; sed in duabus personis alter esset Deus, & alter homo. Sed ideò vnus est Christus, verus Dei & hominis Filius, quià ille vnigenitus Dominus, qui personam propriam semper habuit, in ipsam personam suam veritatem naturæ seruilis accepit. Proinde Christus inseparabilis manet, quià cùm altera sit in eo natura diuinitatis, altera verò natura seruilis; in vno tamen eodémque Christo illa persona diuinitatis æternæ, ipsa est etiàm humanitatis adsumptæ. Propterea idem atque vnus est Christus, quem & paulò minorem ab angelis ostendit acceptio formæ seruilis, & æqualem Patri demonstrat vnitas naturalis. In quo sacramento sic offenderunt Arriani, vt attendentes in eo officium Sacerdotis, nollent celsitudinem suscipere deitatis. Inde est quòd etiàm sic dicunt; [Gloria Patri per filium] vt nolint dicere, [Gloria Patri & Filio.] Quoniàm ergò sunt hæretici qui Filiũ cum Patre vnius deitatis esse non credunt; item sunt alij qui veritatem carnis in Dei Filio negare non metuant; hunc locum congruè atque vtiliter Patres sanctissimi posuerunt. Nam cùm nos ostendimus, per æternum Sacerdotem Dominum

Christum nostras orationes offerri, veram in eo carnem nostri generis confitemur, secundùm illud quod Apostolus dicit; *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Cùm verò dicimus *Filium tuum*, & adiicimus, *qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti*, illam vtique vnitatem commemoramus, quàm naturaliter habet Pater & Filius & Spiritus sanctus: vbi ostenditur idem ipse Christus pro nobis sacerdotali functus officio, cui naturalis est vnitas cum Patre & Spiritu sancto. Vide quæso quanti ex hoc conuincantur hæretici. Principaliter enim nostra fides à Manichæorum errore discernitur, cùm per illum Sacerdotem nostras orationes offerimus, qui propterea verus est Sacerdos, quià semetipsum veram pro nobis hostiam obtulit; quod Apostolus indubitanter affirmat, dicens: *Estote ergo imitatores Dei sicut filij carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & obtulit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Qui vtique veram hostiam non offerret, si carnis in eo veritas non fuisset. Huius hostiæ veritatem postquàm à mortuis resurrexit, ipse summus Sacerdos discipulis suis ostendit, & contrectandam obtulit, dicens; *Palpate & videte, quià spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Hebr. 5. 1.

Ephes. 5. 12

Luc. 24. 39.

XXXIV. Hinc etiàm fides nostra discernitur ab Eutychis errore; qui licèt incarnatum Verbum negare non audeat, ipsam tamen Verbi carnem cùm non fatetur sumptam de carne Virginis, mysterium summi prorsùs euacuat Sacerdotis. Cui Apostolus illâ quam superiùs posui sententiâ contradicit; *Omnis* (inquiens) *Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum.* Et alio loco. *Nusquàm enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vndè debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.* Hoc itaque sermone, quo per Iesum Christum nos ostendimus nostras orationes offerre, vera fides omni errori renititur, qui in Christo veritatem humani corporis non fatetur. Sed quià Christus non solùm verus homo, sed & verus est naturaliter Deus, & vnus cum Patre & Spiritu sancto Deus: dignè dicimus Deo Patri, [qui tecum viuit & regnat.] In illâ vtique vnitate naturali quam osten-

Hebr. 5. 1.

Hebr. 2. 16.

Ioan. 10. 30. dens, ait; *Ego & Pater vnum sumus.* Vbì similiter fides nostra, non solùm ab Arrij & Sabellij, verùmetiàm à Nestorij errore discernitur: in ipso quippè vnitatis vocabulo sicut Patris & Filij diuersa cognoscitur non esse substantia; ità cùm dicimus, [qui tecum viuit & regnat,] ostenditur Patris & Filij vna non esse persona. Apparet etiàm æternum Sacerdotem ipsum verum Filium esse, qui cum Deo Patre regnat in vnitate naturæ. Cùm verò [in vnitate Spiritus sancti] dicimus, vnam naturam Spiritus sancti cum Patre Filióque monstramus. Vnitas autem naturæ quid aliud, quàm Trinitatem vnum Deum, & ex hoc vnum ostendit & regnum? Diuersitas quippè naturæ potest in regno diuersitatem potestatis ostendere. Vbì autem regni naturalis est vnitas, vna regnandi permanet & potestas: in illo autem regno illi diuersitatem potestatis habere possunt, quibus ipsa potestas tribuitur ex gratiâ, sed non suppetit ex naturâ. Non est autem diuersitas, sed vnitas potestatis in Trinitate, quæ ipsam potestatem vnicuique secundùm suam tribuit voluntatem, quià naturalem habet ineffabiliter vnitatem. Vide autem quid Beatus Augustinus in libro sexto de

Cap. V. Trinitate sentiat de Spiritu sancto, vbì dicens; *Ergo æqualis est Patri Filius, & est vnius eiusdémque substantiæ,* continuò subiunxit; *Quapropter Spiritus sanctus in eâdem vnitate substantiæ & æqualitate consistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue caritas, siue ideò vnitas quià caritas, & ideò caritas quià sanctitas; manifestum est quòd non aliquis duorum est quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, generatorémque suum diligat, sintque non participatione, sed essentiâ suâ; neque dono superioris alicuius, sed suo proprio, seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis.*

Ibidem. Et paulò post; *Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris & Filij, quidquid illud est: at ipsa communio consubstantialis & coæterna. Quæ si amicitia conuenienter dici potest, dicatur: sed aptiùs dicitur caritas. Et hæc quoque substantia, quià Deus substantia &*

Eodem Cap. V. *Deus caritas; sicut scriptum est.* Item alio loco eiusdem libri dicit; *Æqualis est etiàm Spiritus sanctus; & si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem quæ in illâ substantiâ est. Et ideò non ampliùs quàm tria sunt: vnus diligens eum qui de illo est, & vnus diligens eum de quo est, & ipsa dilectio: quæ si nihil est, quomodò Deus dilectio est? si non est substantia, quomodò Deus substan-*

tia est? His itaque verbis Beatus Augustinus non dubitauit, sicut caritatem & sanctitatem, sic etiàm vnitatem Patris & Filij Spiritum sanctum dicere: nec solùm commune aliquid eorum, sed etiàm communionem consubstantialem coæternámque fiducialiter prædicare. Quod vtique ideò à catholicis dicitur, vt ex ipso vnitatis nomine vna essentia, & ex hoc vnum regnum, & in eodem vno regno vna Trinitatis potestas, vnáque maiestas à fidelibus agnoscatur: ne putetur aut Filius, aut Spiritus sanctus secundùm diuinam naturam ità cum Patre regnare, quemadmodùm cum potiore regnat inferior; sed illa vnitas Spiritus sanctus, quæ est communio Patris & Filij, dum in illo regno vnitatem diuinitatis monstrat, vnam esse regnandi æternitatem, vnam potestatem, vnam maiestatem, vnámque dominationem summæ Trinitatis edoceat.

XXXV. Quintam verò, id est, nouissimam continet his verbis epistola quæstionem. Quid sit quòd Lucas Euangelista cœnam Domini narraturus, priùs eum dicit calicem accepisse, & discipulis diuidendum inter se continuò tradidisse: & tum deinde accepto pane dixisse; *Hoc est corpus meum*: & accepto similiter postquàm cœnauit calice, tunc dixisse; *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur.* Istâ verò quæstione postpositâ, subiungis & dicis; Numquid vnus calix secundò est datus, an alius priùs, alius posteà? & si ità est, inquis, ad cuius rei sacramentum pertinet ille, de quo maximè cæteri qui scripserunt euangelica tacuerunt?

Luc. 22. 17.

RESPONSIO AD QVINTAM QVÆSTIONEM

Hunc Euangelij locum quidam sic intelligi voluerunt, vt non duos calices à Domino datos adsererent; sed potiùs per anticipationem dictum esse firmarent: cæterùm vnum esse calicem, qui & anteà diuidendus, & posteà bibendus commemoratur datus esse discipulis. Quidam verò secundò datum calicem firmant. Sed siue hoc, siue illud quisque sentiat, talis est vterque sensus, vt à verâ fide nullatenùs inueniatur extraneus. Hi verò qui secundum datum existimant calicem, hoc factum in significatione dixerunt; adserentes quòd in primo calice suam, in secundo verò fidelium suorum Dominus præfigurauerit passionem. Alij verò dixerunt in vtroque calice illud ostendi, quod in veteri testamento præceptum est; vt qui Pascha primi mensis, agnum comedendo non egerit, in

Exod. 12. 5.
Num. 9. 11.

ſecundo menſe in hœdi comeſtione peragat. Videtur autem hìc mihi etiàm aliud quiddam congruum chriſtianæ fidei reperiri myſterium: vt in vtroque calice vtrumque intelligi debeat teſtamentum. Præſertim quià hoc nobis ſic ipſa demonſtrauit veritas, vt nulla remaneret quærentibus difficultas: nam ipſe Dominus calicem, quem bibendum dedit, nouum appellare dignatus eſt teſtamentum, quod euangelici tenor demonſtrat eloquij. Siquidem tribus Euangeliſtis, Matthæo, Marco, & Lucâ, hoc indubitanter adteſtantibus inuenitur. Verba quippè Matthæi hæc ſunt; *Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait; Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens; Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Marcus verò myſterium dominici panis & calicis explicaturus, hæc ait; *Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait; Sumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait eis; Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effunditur.* Lucæ verò, quem ſecundò certum eſt calicem nominaſſe, his inuenitur verbis ordinata atque explicata narratio. *Et accepto calice gratias egit, & dixit; Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquàm cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis funditur.* Hinc eſt quòd etiàm Beatus Paulus commemorans ſacratiſſimum illius cœnæ myſterium, non aliud calicem quàm nouum à Domino nuncupatum inſinuat teſtamentum. Inter alia namque ſic dicit: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniàm Dominus Ieſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc eſt corpus meum pro vobis: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquàm cœnauit, dicens; Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.*

Luc. 20. 20. — *Matth. 26. 26.* — *Marc. 14. 22.* — *Luc. 22. 17.* — *1. Cor. 11. 23.*

XXXVI. Hanc igitur euangelicorum atque apoſtolicorum

attestationem dictorum in calicis nomine, isto dumtaxàt loco non aliud quàm diuinum permittitur accipere testamentum. Neque enim dubium est, aliis locis à Domino nomine calicis significatam gratiam passionis. Quod vtique intelligi voluit, dicens filiis Zebedæi; *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et in ipsâ horâ quâ detineri manibus voluit impiorum, hoc sermone Beatum Petrum, vt gladium reconderet in vaginam præmonens, calicem se bibiturum passionis ostendit, dicens: *Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* In quo calice passionem esse intelligendam etiàm illic ostendit, vbi auulsus à discipulis quantùm iactus est lapidis, moriturus pro peccatis hominum, humanæ quoque infirmitatis veraciter in seipso demonstrauit affectum: & vt desperationem ab infirmioribus membris dignaretur auferre, ipsa virtus quæ nostrum caput esse voluit, dicere diuino amore non est dedignata, quod membra eius essent humano postmodùm timore dictura. Inde est, quòd eum Lucas Euangelista dixisse commemorat; *Pater si vis, transfer calicem istum à me.* Matthæus quoque verba eius hæc esse testatur; *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Marcus verò, vt ostenderet quid in illo calice intelligere deberemus, ait; *Et cùm processisset paululùm, procidit super terram, & orauit, vt si fieri posset, transiret ab eo hora.* Quam hic horam putamus à sancto Euangelistâ significatam, nisi illam de quâ Dominus ait; *Nondum venit hora mea;* & de quâ Iohannes Euangelista dicit: *Et nemo misit in eum manus, quià necdum venerat hora eius?* Hora vtique non coactitiæ mortis, sed voluntariæ passionis. Hora proculdubio illa, quâ triumphalem mortem susciperet, & soluens dolores inferni, mors ipse mortis misericorditer ac mirabiliter extitisset: sicut iam dixerat per Prophetam: *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne.* Hanc horam in oratione à Domino calicis nomine nuncupatã beatus Euangelista subsequenter ostendit, eiusdem Domini oratione subiectâ, quâ dicit; *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me.* Nempe manifestum est, hoc fuisse orare vt transiret ab eo hora, quod erat dicere vt calix transferretur ab eo. Vbi, vt dixi, caput nostrum in se membrorum suorum susceptam demonstrauit infirmitatem, quibus se daturum nouerat patiendi virtutem, vt doce-

Matth. 20. 22.
Ioan. 18. 11.
Luc. 22. 42.
Matth. 26. 39.
Marc. 14. 35.
Ioan. 2. 4.
Ioan. 7. 30.
Osee 13. 14.
Marc. 14. 36.

ret non ex hoc euacuandum meritum passionis, si homini pro Christi fide & caritate passuro, promptum spiritum quatere niteretur ex infirmitate carnis veniens trepidatio voluntatis, sed potiùs diuinæ voluntati se ipsa voluntas humana subiiceret, & ex infirmitate virtutem, prævalente spiritalis gratiæ munere perfecisset: ab illo sibi facultatem retinens datam, cuius voluntatem suæ voluntati non ambigeret præferendam: atque ità homo illud quod ex humanâ infirmitate vellet, patienter vinceret; vt ad illud ad quod diuina voluntas vtiliter vocat, feliciter perueniret.

XXXVII. Non ergo Christi voluntas alia potuit esse quàm Patris, cùm in Patre ac Filio vnam semper voluntatem seruet vnitas naturalis. Sed ille qui humanam naturam suscipiens, venit naturam saluare quam fecit, eiusdem quoque naturæ verba non fallaci sed verissimâ susceptione protulit, cuius etiam affectum clementissimâ bonitate suscepit; affectum scilicet quem habet caro ex trepidatione moriendi, non ex cupiditate peccandi: ille enim qui non nouerat peccatum, sine peccato verum non iniquitatis sed infirmitatis nostræ suscepit affectum. Verè enim de illo Beatus Petrus ait: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Proinde, quia peccatum non fecit, diuersam voluntatem à Patris voluntate non habuit: & quia non est inuentus dolus in ore eius, ex affectu vero infirmitatis humanæ, vera verba non ambigitur protulisse. Quamuis igitur in illis Saluatoris nostri dictis quibus calicem nominauit, passio sit intelligenda tam eius quàm Sanctorum eius; (quo sensu etiam Beatus Dauid calicem nuncupauit, illo dumtaxàt loco vbi ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*: vbi ostendens calicem istum non aliud quàm mortem esse sanctorum, continuò subiunxit; *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum*;) accipitur in nomine calicis etiam perfecta gratia caritatis: quâ virtus pro Christi nomine suscipiendæ infunditur passionis; ita vt etiamsi opportunitas desit quâ quisque pro Christo subeat passionem, virtus tamen tanta insit cordi dono diuini muneris, vt nihil ei desit ad tolerandam pœnam, ad contemnendam vitam, & ad mortem pro Christi nomine subeundam. Hoc illo loco benè intelligitur vbi dici-

1. Pet. 2. 22.

Psal. 115. 13.

v. 15.

tur in Psalmo: *Et calix tuus inebrians quàm præclarus est?* præmisit autem: *Impinguasti in oleo caput meum.* Quid autem debemus intelligere impinguatum in oleo caput, nisi mentem dono sancti Spiritus roboratam? Olei enim huius præclara pinguedo, spiritalis est gratiæ inseparabilis fortitudo; quâ sancta ebrietas penetralibus cordis infunditur, vt omnis affectio carnis obliuioni tradita superetur. Hac ebrietate repletus animus discit gaudere semper in Domino, & contemptui deputare quicquid diligebat in mundo: hanc ebrietatem bibemus dum accepto Spiritu sancto, perfectæ caritatis quæ forâs mittit timorem gratiam possidebimus. Hinc est quòd Beatus Ambrosius in hymno matutino, huius nos postulare gratiam ebrietatis edocuit, dum dicimus; *Læti bibamus sobriam ebrietatem Spiritus.*

Psal. 22. 5.

XXXVIII. In aliis itaque locis potest alio quolibet modo secundùm veræ fidei regulam calicis nomen intelligi, in hoc tamen Euangelij loco de quo nunc disputamus, non aliud intelligere sinimur, nisi quod ipsius Domini & magistri nostri sermonibus edocemur, qui ait; *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo*: & ex hac regulâ quâ iste calix testamentum dicitur nouum, in illo calice quem priùs dedit non absque ratione vetus intelligitur testamentum. Ipse igitur Dominus vtrumque calicem dedit qui vtrumque testamentum suis fidelibus tribuit. Propter eà & in eâdem cœnâ & Iudaicum pascha comedit, quod oportebat offerri, & sacramentum corporis sui & sanguinis dedit, quod ad salutem fidelium oportebat institui: comedit pascha Iudæorum quo promissus est Christus, vt veniret ad pascha nostrum quo immolatus est Christus. Denique adtende quid eum discipulis dixisse Lucas Euangelista commemorat: sic enim ait; *Et cùm facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis, Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequàm patiar.* Manducauit ergo pascha quo passurus significabatur, antequàm pro nobis voluntariè pateretur. Est autem etiam in ipsis dominicis sermonibus aliquid quod adtentiùs est à fidelibus agnoscendum, in quo vtriusque testamenti potest apparere discretio: Beatus enim Lucas de calice quem primitùs nominauit, ità dicit; *Et accepto calice gratias egit & dixit, Accipite & diuidite inter vos*: de pane

Luc. 22. 20.

Luc. 22. 14.

Luc. 22. 17.

v. 19. verò & calice posteà loquens ait; *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquàm cœnauit, dicens, Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo qui pro vobis funditur.* Non mihi videtur, inaniter hic ab ipsâ Dei sapientiâ verborum quædam facta discretio: quandoquidem primum calicem sic accipiendum dedit, vt præciperet diuidendum, dicens; *Accipite & diuidite inter vos:* quod in eo calice quem cum pane dedit, omnino non dixit: ibì enim corpus suum sanguinémque commendat, & eundem calicem, nouum in sanguine suo asserit testamentum, dicens: *Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo qui pro vobis funditur:* nulla verò fit mentio calicis diuidendi, quod in aliis quoque duobus Euangelistis, Matthæo scilicet & Marco similiter inuenitur, sicut eorum dicta superiùs à nobis posita euidenter ostendunt. Hunc itaque calicem, in quo vetus insinuari diximus testamentum, ideò Dominus accipiendum diuidendúmque mandauit, vt Apostoli dono sapientiæ cœlestis instructi, sic Scripturam veteris testamenti reuerenter acciperent, vt in ipsis præceptis quid agendum quidúe omittendum esset, accepto discretionis spiritu cognouissent. Hoc enim est rectè diuidere, vt vnusquisque nouerit pro congruentiâ temporis quid omittere debeat, quid tenere.

XXXIX. Hinc est quod cautissimo diuisionis ordine Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis, tempora venturi Christi venientísque discernit: & omissis sacrificiis quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert quo Christus iam passus ostenditur. Diuidit etiam tempus illud celebrandæ circumcisionis, ab isto tempore percipiendi Baptismatis. Huius diuisionis saluberrimum retinet modum etiam in præcepto neomeniæ, quandoquidem non tubis Iudaicis inaniter personat, sed renouari vnumquemque spiritu mentis suæ, & induere nouum hominem sancta Ecclesia prædicare non cessat. Hæc omnia salubriter diuidit quæ nunc venerantur accipit in lectione, sed iam non celebrat in opere, aut in cordis ammouens apostolicis dictis, quibus Beatus Paulus fideles omnes instruit, dicens: *Nemo vos iudicet in* Coloss. 2. 16. *cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbato-*

rum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Nam & sacramentum circumcisionis exponens ait: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum: quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circumcisi estis circumcisione non manufactâ in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo.* Hæc & his similia & accepit Ecclesia sapienter, & diuidit: accipiendo, credit à Deo in veritate promissa, diuidendo, cognoscit ab ipso Deo in veritate iam reddita; nec in figuris exspectat implenda, sed in veritate retentat impleta. Sic enim sancta Ecclesia fidelem * Deum in verbis suis, & sanctum in omnibus operibus suis: vnde sicut in veteri testamento fidelia verba Dei promittentis intelligit, sic in testamento nouo sancta opera Dei quod promiserat reddentis agnoscit. Quædam enim promittentis Dei verba fuerunt sacraměta veteris testamenti, quibus nobis promittebatur Christus: quæ verba transierunt, ex quo ilis quibus promittebatur, inuenitur exhibitus. Ideò in ipso sacrificio corporis Christi à gratiarum actione incipimus, vt Christum non dandum sed datum nobis in veritate monstremus: & in eo quòd gratias agimus Deo in oblatione corporis & sanguinis Christi, cognoscamus non adhuc occidendum Christum pro nostris iniquitatibus, sed occisum; nec redimědos nos illo sanguine sed redemptos. Vera est enim Beati Petri prædicatio, dicentis; *Non enim corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vanâ vestrâ conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi.*

Coloss. 2. 8.

* Deest *prædicat*, vel quid simile.

1. Pet. 1. 18.

XL. Diuidit ergo sancta Ecclesia figuras à veritate, vmbras à corpore: quod eam sancti Apostoli docuerunt, qui diuidendum inter se illum calicem à Domino salubriter acceperunt. Huius autem calicis ideò diuisionem Dominus discipulis dedit, quia ipsis docentibus sancta Ecclesia cognitionem huius diuisionis accepit. Dicit autem vt inter se diuidant; id est, vt in vnitate spiritus & vinculo pacis, sacramenta testamenti noui sacramentorum veterum cessatione distinguant: quod in calice testamenti noui non præcipit ab Apostolis fieri. In no-

uo enim testamento non est sacramentorum diuisio sed donorum, quæ non in hominum facultate sed in sancti Spiritus potestate consistit. *Diuisiones enim gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: diuisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus.* Inde est quòd cùm alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia sanitatum in vno Spiritu; & cætera quæ apostolicus sermo contexuit, non hominibus diuidenda dantur; sed hæc omnia operatur vnus idémque Spiritus, diuidens propria singulis prout vult. Hanc diuisionem quam non hominibus dedit, sed sibi tantùm Trinitas reseruauit, alio loco Beatus Apostolus ostendens, admonet *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Et quia vna est diuisio Patris & Filij & Spiritus sancti, ideò Christus qui est Dei sapientia, in Prouerbiis dicit; *In itineribus iustitiæ incedo, & inter medias semitas æquitatis conuersor, vt diuidam diligentibus me substantiam, & thesauros eorum impleam bonis.*

1. Cor. 12. 4.
Rom. 12. 3.
Prou. 8. 20.

XLI. Vterque ergo calix Apostolis à Domino datur, non tamen diuidendus vterque præcipitur: illius enim necessaria fuit diuisio, in quo erat temporum consideranda discretio. Inde est quòd in testamento veteri sacramenta quædam illo tempore in figuris ritè celebrata cognoscimus, & venerantes accipimus; quæ tamen non eodem quo celebrabantur ordine celebramus: quia diuidentes tempus promissionis à tempore redditæ veritatis, ea sacramenta nunc nobis à Christo tradita retinemus, quibus Christum non passurum sed passum pro nobis agnoscimus & tenemus. Nomine verò calicis etiam vetus debere accipi testamentum, non nostrâ præsumptione sed paternâ traditione monstramus. Sanctus quippe Augustinus in explanatione psalmi LXXIIII. cùm ad illum locum venisset vbi dictum est; *Quia calix in manu Domini vini meri plenus est mixto: & inclinauit ex hoc in illud; verumtamen fex eius non est exinanita;* inter alia sic ait; Calix vini meri, plenus mixto, videtur mihi esse lex quæ data est Iudæis, & omnis illa Scriptura veteris quod dicitur testamenti, vbi sunt pondera omnium sententiarum: nam ibi nouum testamentum absconditum la-

Psal. 74. 9.

tet, tanquam in fece corporalium sacramentorum. Et cùm idem Beatus Augustinus à præceptis vitæ peragendæ illa præteriti temporis sacramenta discerneret, tanquàm calicem diuidens, postquàm commemorauit quod dictum est: *Non occides, non mœchaberis*, & aliquanta quæ textu decalogi continentur, hæc ipse Sanctus Augustinus subiecit, dicens; *Omnia ista ad viuum pertinent: illa verò carnalia quasi resederunt, vt remaneret apud illos, & effunderetur ideò omnis spiritalis intellectus.* Calix enim in manu Domini, *id est, in potestate Domini*; vini meri, *id est, sinceræ legis*; plenus est mixto, *id est, cum fece corporalium sacramentorum: & quia* hunc humiliat, *superbum Iudæum*; & hunc exaltat, *confitentem gentilem*: inclinauit ex hoc in hunc: *id est, à Iudaïco populo in gentilem populum. Quid inclinauit? legem: & eliquatus est inde spiritalis intellectus:* verumtamen fex eius non est exinanita: *quia omnia sacramenta carnalia apud Iudæos remanserunt* Ex his dictis Beati Augustini arbitror patere & calicis intellectum, quo possit in veritate spiritalis mysterij, diuisio fecis viníque cognosci: sic tamen vt non ideò velit aliquis testamentum vetus abijcere, quia videt eius sacramenta cessasse. Sic enim debet cum veneratione teneri testamentum nouum, vt non sit testamentum vetus aliquatenùs relinquendum: quod mihi videtur sub nomine amici antiqui & noui in libro Ecclesiastico commendari, vbi dicitur; *Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi.* Hanc dissimilitudinem quæ est in sacramentis vtriusque testamenti, per sanctum Ieremiam diuinus sermo prænuncians ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundùm testamentum quod feci cum patribus eorum.* In eo autem inuenitur testamentum nouum, non secundùm testamentum uetus à Domino consummatum, in quo & præceptorum perfectionem Dominus dedit, & remotis veteribus sacramentis dissimilia sacramenta reuelatæ veritatis instituit: ac sic quod in vetere promisit, in nouo perfecit: proinde quoniam sacramentorum noui testamenti tunc verè salubris ac suauis potest esse cognitio, si in sacramentis veteris testamenti cognoscatur vera præcessisse promissio. Propterea cùm Scriptura dixisset: *Ne derelinquas amicum antiquum; nouus enim non erit similis illi*, continuò subiecit:

Deut. 5. v. 17. 18.

Eccli. 9. 14.

Ierem. 31. 31.

Eccli. 9. 15. *Vinum nouum amicus nouus: veterescat, & cum suauitate bibes illud.* Quid est, *veterescat*, nisi vt in vetere testamento noui testamenti typus appareat? Tunc ergo cum suauitate hoc nouum vinum bibitur, si eius significatio atque promissio in testamento vetere cognoscatur.

XLII. Hoc vinum nouum in corde discipulorum veterescere Dominus fecit, quando illis duobus in castellum Emaüs pergentibus adpropinquans ibat cum illis: & cùm ei tanquam ignaro quæ de eius passione facta fuerant indicassent, tunc ipse Luc. 24. 25. dixit ad eos: *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* Vide quæso quemadmodùm vinum nouum veterescit, vt cum suauitate bibatur. Adiecit ergo Do- v. 26. minus: *Nonne hoc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam?* Vbi sanctus Euãgelista quemadmodùm vinũ nouum cum v. 27. suauitate bibendum illis veteresceret ait: *Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Deinde conceptum ex vino veterescente nouitatis ac suauitatis ardorem ipsi postmodùm ostenderunt, dicen- v. 32. tes: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis Scripturas?* Hoc denuò fecit, dicens: *Hæc sunt* Luc. 24. 44. *verba quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas.* Ità fecit vinum nouum cum suauitate veterescere, dum promissiones noui testamenti indubitanter ostendit in lectione testamenti veteris apparere: ne sic teneatur amicus nouus, vt antiquus relinquatur; quia nouus permanet fide similis, quamuis videatur sacramentorum celebratione dissimilis. Quippè vna est fides noui & veteris testamenti. Hæc in antiquis patribus credebat promissa, quæ in nobis iam credit impleta. Quæ autem fuit in patribus nostris fides promissa, ipsa in nobis est fides exhibitæ veritatis impleta: vnde quia indissolubiliter amicus iste antiquus nouúsque coniungitur, & vnus sine altero salubriter non tenetur: veterescere debet vinum nouum, vt sit fidelibus cum suauitate bibendum.

FINIS.

FERRANDI

FERRANDI DIACONI
ECCLESIÆ CARTHAGINIENSIS
EPISTOLA
AD
EGIPPIVM PRESBYTERVM.

De essentiâ Trinitatis, & de duabus Christi naturis.

I. DOMINO beatissimo fratri Egippio Presbytero Ferrandus exiguus, in Domino salutem. Carissime, considera quales habeat vires ab Arriano Comite nuper proposita quæstio. Sed priùs quibus inter se sententiis, vel dogmatibus Arriani & Catholici differant, deliberemus. Arriani volunt indiuiduam Trinitatem prædicare, sicut Scripturæ prædicant vnum Deum. Catholici verò præcepta legis salubriter audientes. *Audi Israël, Deus tuus, Deus vnus est;* ne videantur sub vnius Dei religione fidem Trinitatis excludere, tres personas vnius substantiæ prædicantes, ipsam Trinitatem vnum Deum simpliciter confitentur: & de omni sanctâ Trinitate sapienter dictum intelligunt; *Audi Israël, Deus tuus, Deus vnus est.* Arriani, Patris & Filij & Spiritus sancti tres substãtias prædicant, & ideò eorum potestatem diuidunt, vnitatem vitant, immensitatem minuunt, & per errores maiori Patri minorem Filium subiiciunt; minorem autem Filio Spiritum sanctum dicunt. Catholici è contrario Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, ne tres Deos gentibus inducere videantur, vnius esse honoris, gloriæ, magnitudinis, æternitatis, diuinitatis, æqualitatis, essentiæ confitentur: & nemini alterum

Deut. 6. 4.

præponere cupientes; de Patre tamen Filium natum, de Patre & Filio Spiritum sanctum procedere sentiunt.

II. Arrianos si interrogare volueris, vnde sit Filius, timent dicere, de Patris essentiâ; ne gignentis & geniti probetur vna diuinitas, & confirmetur æqualitas. Timent rursus ex nihilo natum Filium profiteri, ne creator accipiens originem similem creaturis, vnigeniti priuilegio spoliatus, perdat gloriam creatoris. Aliunde verò Filium natum, id est, ex aliquâ subiacente materiâ, multò ampliùs timent adstruere; ne videatur quælibet res ante eum fuisse, per quem facta sunt omnia. Talibus erroribus respondent Catholici; Credite quia natus est de Patris essentiâ: si negatis, dicite vnde sit. Dicunt etiàm minorem Filium, quia negant esse æqualem. Catholici verò dicunt eum secundùm diuinitatem æqualem, secundùm humanitatem autem minorem. Æqualitas eius secundùm diuinitatem non habet initium: verumtamen nec æqualitas competens diuinitati, nec minoratio congrua carni habet finem. Siue ergo secundùm carnem minor, secundùm diuinitatem dicatur æqualis, idem atque vnus est Christus, verè Filius Dei, & verè Filius hominis. Æqualis enim perseuerans factus est minor: minor factus, permansit æqualis. Et ideò totus minor, totus æqualis: quia seruatur in eo vtraque natura, & quam habuit, & quam assumpsit ex matre. Alioquì si vna in Christo & persona existeret & natura, non posset vnus Christus vni Patri & minor & æqualis dici.

III. Dicimus etiàm de Christo quòd verè vnus est Christus. Sapientibus tamen mentibus, quoties audiunt, vnus est Christus, cogitare conuenit quomodò sit vnus; vtrùm vnam habendo personam, an vnam naturam. Si non potest dici vnam habere naturam quem suscepisse alteram dicimus, potest tamen dici vnam habere personam; quoniam persona illa semper manens naturæ semper manentis, ita mirabilem posteà naturam sine personâ voluntariè suscepit, vt humanam substantiam non habentem subsistentem manentémque personam, in vnitatem suam suscipiens, ad se faceret pertinere; fieretque deinceps humanitas illa diuina quæ Dei cœpisset, ex quo esse cœpisset, habere personam: diuinitas illa humana, quoniam sibi in vnitatem personæ veraciter huma-

nam voluit adunare naturam.

IV. Dicimus ergo, vnus eſt Chriſtus, vnus eſt Deus, hominiſque Filius; id eſt, vna eſt Chriſti Dei hominíſque perſona: non tamen dicimus, vnam eſſe Chriſti Dei hominíſque naturam. Concordantes cum Apoſtolo volente probare vnitatem perſonæ: *Nam in quo*, inquit Corinthiis, *quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſonâ Chriſti.* Numquid non meliùs perſonas diceret, ſi vellet in Chriſto duas ſignificare ſubſtantias? Euidentem ſimiliter adhibens differentiam ſubſtantiarum dicit alio loco. *Etſi crucifixus eſt, ex infirmitate crucifixus eſt, ſed viuit ex virtute Dei.* Numquid non ipſe crucifixus eſt qui viuit? & tamen qui ex infirmitate crucifixus eſt, ex virtute Dei viuit. Vnde ad amorem commendationémque perſonæ vnius, ſic vnus Chriſtus prædicatur, vt aliquando vna eius vel humana natura vel diuina commemoretur, & vtraque tamen intelligatur: quoniam ineſt vnitas, vt qui vnam nominet, ambas ſignificet. Propter quod Apoſtolus ſolam humanitatem tangit, ad Timotheum dicens; *Vnus eſt Deus, vnus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus.* De diuinitate dicit ad Corinthios; *Nam etſi ſunt qui dicantur dij, (ſiquidem ſunt multi;) nobis tamen vnus Deus, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.*

2. Cor. 2. 10.

2. Cor. 13. 4.

1. Tim. 2. 5.

1. Cor. 8. 5.

Deſunt reliqua.

FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI, AD SEVERVM SCHOLASTICVM CONSTANTINOPOLITANVM EPISTOLA.

Quòd Dominus noster Iesus Christus sit vnus de sanctâ & indiuiduâ Trinitate.

I. MAGNORVM virorum mihi negotium conaris adiungere, propter eos qui Deum nostrum Iesum negant vnum esse de sanctâ & indiuiduâ Trinitate; quid sentiam delectatus audire. Sed hoc, fateor, ingenij mei pusillitas aut vix valet, aut adsumere omnino non audet. Quis enim ego, aut qualis ego, cui liceat de dubiis rebus statutam proferre sententiam; nouósque sermones in electionis auctoritate, vtrùm suscipi debeant, recentioribus definire temporibus? Vtinàm mihi fide simplici, quam catholica per vniuersum mundum docet Ecclesia, sic donet Deus esse contentum, vt omni, si fieri potest, huius vitæ miserabilis tempore orationi & ieiuniis vacans, plangam cum pusillis fratribus meis delicta multa & grauia, siue quæ iam doleo commissa, siue quæ adhuc cogor ex carnis fragilitate committere. Beatum me profectò tunc æstimabo, quando positus in silentio monasterij, illum versiculum Psalmi per momenta cantauero; *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ.* Loquantur & prædicent quibus honor sacerdotij docendi auctoritatem tribuit: nos discere parati sumus; docere alios non

Psal. 38. 1.

præſumimus. Interroga igitur, vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter apoſtolicæ ſedis Antiſtitem; cuius ſana doctrina conſtat iudicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diuerſa terrarum loca Pontifices, quibus ſcientia cœleſtium præceptorum diuinitus inſpirata, famam grandem ſui cum veneratione collegit. Iſtos ſine dubio & ad diſputandum idoneos, & ad ſuadendum frequenti exercitatione paratos, nec vituperaberis ſi conſulas adhuc incertus; & laudaris ſi ſequaris veraciter doctus. A me autem ſic expete debitum caritatis, ne incurrere ſuadeas culpam temeritatis.

II. Sufficit mihi, propter Beati Petri manifeſtam ſententiam, quæ fidelibus cunctis generaliter loquitur; *Parati ad reſpondendum omni poſcenti vos rationem de fide & ſpe quæ in vobis eſt*; ſciſcitanti quomodò credamus, illico reſpondere; Credere nos in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Patrem à nullo genitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum ſanctum de Patre ingenito, & Filio vnigenito ſemper procedentem; Ita vt hac beatâ Trinitate, quam vnum diximus Deum, Pater non ſit Filius aut Spiritus ſanctus; Filius nunquàm ſit Pater aut Spiritus ſanctus; Spiritus ſanctus nec Pater ſit aliquandò, nec Filius: ſed Pater ſolius Filij Pater ſit, vt Filius ſolius Patris Filius, Spiritus verò ſanctus Patris & Filij communiter Spiritus. Simul autem hi tres naturaliter vnus Deus, propter id, quòd vnus Deus, vnam habentes ſubſtantiam; propter id, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres perſonas. Propter id, quod vnus Deus, ſimul omnia inſeparabiliter operantes; propter id quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quædam ſibi propria vindicantes: ſicut generare ſolius Patris, & naſci ſolius Filij, & procedere de ambobus, ſolius confitemur Spiritus ſancti. Sicut Patrem ſolum locutum de nube; *Hic eſt filius meus dilectus*, *in quo mihi bene complacui*: Filium ſolum de Virgine natum, & à Iohanne in Iordane flumine baptizatum: & Spiritum ſanctum ſolum in columbæ ſpecie deſcendiſſe. Olim quippe illos veritas confutauit hæreticos, qui ſic vnum Deum Trinitatem dicere voluerunt, vt quem Patrem fatebantur, ipſum ſibi Filium, ipſum fingerent Spiritum ſanctum: dum ſcilicet qui manens in

1. Pet. 3. 15.

Matth. 3. 17.

cœlestibus creaturæ totius Pater fuit, protensus in Virginem, & nascendo inter homines Filius fieret; rursúsque dispensationis humanæ consummato mysterio, super Apostolos in linguis igneis veniens, Spiritus sanctus vocaretur: hoc errore compulsi non Filium Dei Patris, sed Patrem credere crucifixum. Vnde eos etiàm Patripassianos appellari vetustas ostendit. Ità igitur propter vnam substantiam Sabellius tres noluit fateri personas; sicut è contrario Arrius propter tres personas, tres voluit prædicare substantias. Apostolica sanè Ecclesia tres personas contra Sabellium numerans, vnam verò substantiam vel essentiam contra Arrium vindicans, ita dictum sibi meminit; *Audi Israël, Dominus Deus, Deus vnus est*; vt hic vnus Deus non sit solitarius, sed Trinitas; Pater scilicet, Filius, & Spiritus sanctus. Quâ confessione prælatâ, magnum pietatis & mirabile sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, adsumptum est in gloriâ, subsequenti veneratione pandentes; ita pro redemptione humani generis humanam naturam credimus suscepisse, vt ille qui in Trinitate perfectâ Deus vnigenitus permanebat, ac permanet, ipse ex Mariâ fieret *primogenitus in multis fratribus*, & hunc eundem, quem genuerat Deus Pater ante omnia tempora, ipsum generaret homo mater postquàm venit plenitudo temporum.

Deut. 6. 4.

Rom. 8. 29.

III. Principaliter enim fides nostra Christum Dei Filium sic prædicat hominis filium, vt vnum dicat Dei & hominis Filium: nec alterum in diuinitate Christum veneretur, alterum in humanitate; sed quem in diuinitate, ipsum in humanitate. Propterea enim Deus factus est homo; quia non est alius Deus, alius homo; sed omnino qui Deus, ipse homo; & propter hoc, qui homo, ipse etiàm Deus, Iesus Christus Dominus noster. Manens enim Deus Filius vna in Trinitate persona, venit ad Virginem; nec sibi aliam de eâ personam adsumpsit, sed aliam sic vnitatem personæ suæ suscepit, vt persona quæ semper erat, naturam susciperet carnis, haberétque duas vna Christi persona naturas. Nec ambigere oportet, quomodò credatur humana natura ex initio sui, Dei Verbi habuisse personam; scientes quia non hominem formatum, neque conceptum, neque

vitâ suâ quâdam vel in matris vtero viuere iam incipientem Deus adsumpsit; sed omnino antequàm aliquid Maria conciperet, ante omnem formati, formandíue hominis causam, Deus volens homo fieri, virginalis palatium ventris intrauit: & virtute diuinitatis munus largiens fœcunditatis, adsumpsit ex eâ quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem. Et ipsâ adsumptione conceptus, & natus, non vtique personam aliam suscepit, quia non hominem paratum inuenit; sed naturam potiùs humanam, in quâ ipse Deus homo nasceretur, accepit. Habuit igitur humana natura, ex quo est creata, personam; sed vnam cum Deo, qui eam suscipiendo creatus est. Tu proinde quisquis huic fidei contradicis, ostende mihi in Christo sine diuinitate aliquando humanitatem; & tunc fatebor quòd habuerit propriam etiàm sola humana natura personam. Quia verò diuinitas quidem Verbi Dei sine humanitate fuit, humanitas verò sine diuinitate nunquàm fuit; ideò habuit diuina natura personam, quam humanæ naturæ, quando eam suscepit, indulsit; vt & natura susceptrix, & natura suscepta, sine vllâ confusione ineffabiliter adunata, vnius crederetur esse personæ; dum cuius est diuinitas, ipsius est humanitas; & cuius est humanitas, ipsius diuinitas: & licèt alia sit diuina natura, alia sit humana natura; non sit tamen alius Christus, cuius est diuina natura, & alius Christus, cuius est humana natura; sed idem sit vnus Christus, cuius est humana & diuina natura. Neque enim sic in Christo, sicut in Prophetis inhabitauit Dei Verbum, sed Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Hic est dominus Iesus Christus. De nullo denique Prophetâ, quamuìs ex personâ Dei multa sæpiùs loquantur, Scriptura sancta narrauit quòd esset super omnia Deus. De Christo autem fiducialiter Apostolus clamat; *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Si quis enim negauerit, Christum Dei hominísque Filium vnam habere personam, duos prædicat Christos: & si duplex adorandus vel colendus est Christus; non Trinitatem, sed quaternitatem adorat. Si quis iterum vnam Christi dicit esse naturam; & quamuìs eum ex duabus negare non audeat, in duabus tamen substantiis confiteri veretur aut dubitat; hic aut vnius naturæ abolitionem, aut vtrarumque ad-

Ioan. 1. 14.

ſeuerat confuſionem. Niſi enim de duabus vnam ſimul abſtulerit, aut vtraſque confuderit, vnam quomodò prædicet non habebit.

IV. Hos Scripturarum teſtimoniis, vt epiſtolæ modus teneatur, breuiter refutantes, verba Saluatoris noſtri primitus conſideremus, quibus fixam regulam diuini Baptiſmatis tradens, hoc Apoſtolis ſuis * dicens; *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Illos enim qui putant Chriſtum vnam non habere perſonam, interrogo; Nominato in Baptiſmate FILIO, ſi non eſt vna Dei hominiſque perſona, quæ perſona nominatur? Si dixerint, FILIJ Dei; nec hunc eſſe confitentur filium hominis, quem FILIUM Dei; ergo omnis à regenerationis Sacramento gratia mediatoris aufertur. *Vnus eſt enim*, ſicut dicit Apoſtolus, *mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Et ſi (quod abſit) nominato in Baptiſmate FILIO, ſola FILIJ Dei perſona nominatur, & perſona FILIJ Dei hominis non commemoratur, mediator non nominatur. Et quomodò ſine mediatore Pater reconciliatur? aut ſi fortè non reconciliatur, vt quid Baptiſmus datur? Si autem reconciliatur, per mediatorem reconciliatur. Si per mediatorem reconciliatur, mediator iſte non eſt tantùm Deus, neque tantùm homo, ſed Deus homo; vt iungat hominem, habens in vnâ eadémque perſonâ cum Deo diuinitatem, cum hominibus humanitatem, & propter hoc mediator. Nam ſi alter fuerit Deus, alter homo; id eſt, aliam perſonam habuerit Deus Chriſtus, aliam homo Chriſtus; nec perſona illa Chriſti, quæ habet cum Deo diuinitatem, mediator noſter eſt, quia non nobiſcum habet humanitatem; nec perſona FILIJ hominis, quæ nobiſcum habet humanitatem, mediator noſter eſt, quia non habet cum Deo diuinitatem. Proinde ſi cùm baptizamur, illam tantummodò perſonam quæ habet cum DEO diuinitatem, nominamus, & quomodò ſine mediatore reconciliamur? Reſtat ergo, vt ſi nominato in Baptiſmate FILIO mediatorem nominare volumus, ipſum FILIUM non diuidamus; ſed hunc eſſe DEUM, quem hominem confitentes, negatores vnius perſonæ veraciter confundamus. Alioquin quomodò verum erit, quia quicumque in Chriſto baptizamur, in morte ipſius baptizamur, ſi quando FILIUM in Baptiſmate

* Lege *dixit.* Matth. 28. 19.

1. Tim. 2. 5.

tiſmate

tismate nominamus, non vnam personam Dei hominisque, sed personam solam Filij Dei sine personâ filij hominis nominamus; quando si verè fuissent duæ personæ, ad commemorandam mortem Christi, in quâ nos baptizari docet Apostolus, persona filij hominis commemorari debuerat? Secundùm hominem enim mori potuit Christus? Sed si ille qui personam vnam negare conatur in Christo, ne excludat incarnationis à Baptismate sacramentum, nominato Filio personam filij hominis adseuerat nominari; non ergo in vnito Trinitatis nomine baptizamus; Neque enim Trinitas potest dici, vbi Deus Dei Filius non nominatur, si persona tantùm Filij hominis inculcatur.

Rom. 6. 3.

V. Vt ergo Trinitas tota in Baptismate nominetur, & mediatoris gratia non sileatur, & mortis Christi commemoratio renouetur, vnam Christus habere personam veraciter agnoscatur; vt nominato in Baptismate Filio, hæc vna persona nominari intelligatur; de quâ dicit etiàm Paulus vas electionis; *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos, in personâ Christi.* Quæ persona totum habens quod est Dei, totum habens quod est hominis, veraciter dicit quod Iohannes Euangelista commemorat; *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo.* Quomodò enim nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, si non est vna Christi persona, qui descendit, & ascendit? Nónne si duas habere personas putetur, alia erit sine dubio persona susceptrix, alia persona suscepta? alia quæ est de Deo Patre nata, alia quæ est Dei Filio, quando incarnari voluit, adunata? Et si ita est, susceptrix persona descendit, vt ascenderet persona suscepta: & iam falsum erit; *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit.* Descendit enim persona Filij Dei, & ascendit persona filij hominis, ac sic non illa quæ descendit ascendit. Hoc secundùm prauitatem malæ intelligentiæ eorum, qui duplicant Christum, disputandi necessitas compulit loqui. Cæterùm ideò verè nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, quia vna est ascendentis descendentísque persona, secundùm naturam diuinitatis inclinante miseratione descendens, secundùm naturam humanitatis cum trophæo immortalitatis ascendens. Huic enim rei testimonium dans gentium Doctor,

2. Cor. 2. 10.

Ioan. 3. 13.

Ephes. 4. 10. aperte ponit; *Qui descendit, ipse est & qui ascendit;* ipse plane, non alius: & si non alius, vna prorsus, eadem, inseparabilísque persona, de quâ rectè dicitur; *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit*: & propter quam tardis mentibus inculcandam rectissimè sequeretur, *Filius hominis qui est in cœlo.* Hìc enim quæro; si non est vna Dei hominísque persona, quomodò dicit, *Filius hominis qui est in cœlo*, quando adhuc necdum passus loquebatur in sæculo? Quomodò est, inquam, quomodò est in cælo Filius hominis ante mortem crucis, ante gloriam resurrectionis, ante triumphum ascensionis; nisi quia adhæsit ad vnitatem personæ Filio Dei, qui nunquàm recessit ex cælo? & ideò est Filius hominis in cælo, quia ibi est semper Filius Dei, qui factus est filius hominis? Mirum quippe, mirum, nisi intelligatur apparet. Dominus dicit; *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit:* & quasi interrogaret aliquis; Quis est iste? confestim sine dubitatione respondit, *Filius hominis qui est in cœlo.* O Domine Iesu, In principio Verbum, & Verbum apud Deum, & Deus Verbum; nónne antequàm descenderes, & Verbum caro fieres, & habitares in nobis, Deus tantùm fuisti, Patri, & Spiritui sancto consubstantialis, atque vna in Trinitate persona? Quomodò ergo nunc ais; *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cœlo descendit*: & statim personam descendentis insinuans sequeris, *Filius hominis qui est in cælo?* Quomodò descendit Filius hominis, antequàm tu fieres Filius hominis, nisi quoniam tu qui eras ab initio Filius Dei, tu Deus vnigenitus, tu vna in Trinitate persona, factus es Filius hominis: & sic factus es Filius hominis, vt non altera esset persona tua, altera Filij hominis?

Ioan. 3. 13.

Ioan. 1. 1.

VI. Hæc denique vna commendatur quando Pharisæi interrogantur à Christo: *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* Et respondentibus, Dauid, dicit Iesus: *Quomodò ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?* Dauid enim vocat eum Dominum, & quomodò filius eius est? Vbi Pharisæi quidem conuicti sunt & humiliati: sed nos tamen, si piè quæramus, admoniti. Quare enim filius Dauid Dominus Dauid, nisi quia Dominus Dauid ipse factus est filius Dauid? Nam profectò si non esset vna Chri-

Matth. 22. 42.
Psal. 109. 1.

sti persona, non posset esse filius Dauid, Dominus Dauid. Sed ideò est filius Dauid, Dominus Dauid, quia personam quam habet Dominus Dauid, ipsam habet filius Dauid. Hæc vna persona, postulanti Philippo, & dicenti: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis; Tanto* inquit, *tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Quomodò tu dicis, Ostende nobis Patrem?* Cùm enim Philippus non videret oculis carnalibus nisi hominem, qui loquebatur, audiuit sibi ore hominis dici: *Qui me videt, videt & Patrem.* Quare hoc, nisi quia ipse homo est Deus, quem qui videt, videt & Patrem? Alioquin si non esset vna Dei hominísque persona, non diceret, *Qui me videt;* iam visus in carne, videri adhuc volens in diuinitate, sed diceret potiùs: Qui videt Deum meum, videt personam Dei mei. Quid est autem dicere videnti se, *Qui videt me,* nisi dicere: Ego sum qui videor, ego qui non videor? Et qui me iam foris carnaliter videt, si videt intus spiritaliter, non alterum, sed me; hic profectò qui sic videt me, videt & Patrem? Et secutus statim, *Ego in Patre, & Pater in me.* Quando diceret caro mortalis, *Ego in Patre, & Pater in me:* nisi ipse propter vnitatem personæ esset Deus immortalis, qui crucifigendus fuerat homo mortalis? Audi eum adhuc vnius esse veritatem personæ modis pluribus allegãtem. Cùm interrogaret discipulos suos: *Quem me,* inquit, *dicunt homines esse Filium hominis?* post opiniones multas & varias hominum, quibus alij Heliam, alij Hieremiam, alij Iohannem Baptistam, alij vnum ex Prophetis opinabantur esse Christum Dei, Dominum Prophetarum; distinguere se Dominus à famulis volens, vnúmque se Christum inculcare videntibus cupiens: *Vos autem,* ait, *quem me esse dicitis?* Respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Hic si vna persona Filij Dei & Filij hominis non fuisset, quomodò Beatus Petrus appellante se Christo Filium hominis, velut contradiceret adderet: *Tu es Christus Filius Dei viui?* Christus dicit, *me filium hominis*: Petrus dicit, *Tu es Filius Dei viui.* Si non est vna Christi persona, de alio Petrus interrogatur, alium confitetur. Interrogatur, *Quem me esse dicunt homines filium hominis?* & respondet: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Sed si Beatus Petrus nunquàm meruisset magistri sermone laudari, nisi ipsum confiteretur de quo interrogabatur: à

Ioan. 14. 8.

Matth. 16. 13.

Ibidem.

quo ei diceret, Tu, à quo audierat, Me. Ipse est Filius hominis, qui est Filius Dei viui. De quo Paulus ad Hebræos scribens, vt vnius eum personæ semper ostendat, ita ait: *Iesus Christus heri & hodie, ipse est & in sæcula.* Vbi ipse quod semel posuit, etiàm ter intelligi voluit, tanquàm diceret: *Iesus Christus ipse heri, ipse hodie, ipse & in sæcula*: Heri, antequàm acciperet carnem: hodie, quando iuxta vaticinium Hieremiæ prophetæ. *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo: qui inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Siue modò, quando sedet ad dexteram Patris in sæcula, siue quando iudicare venturus est viuos & mortuos (sicut omnis Ecclesia in Symbolo confitetur), semper ipse, nunquàm alius.

Hebr. 13. 8.

Baruc. 3. 36.

VII. Carnem quippe suscipiendo, naturas adunauit, non personam duplicauit. Naturas planè adunauit, sinè confusione permanentes, & in sæcula permansuras. Sic enim adunauit, vt nec diuinitas in humanitatem mutaretur, nec humanitas à diuinitate absorberetur: sed vtraque natura incolumis custodita suis officijs vteretur, suis operibus agnosceretur, suis nominibus vocaretur: verumtamen personis propriis non distingueretur. Non sic enim adunatæ sunt duæ substantiæ, diuina scilicet & humana, vt fieret vna substantia: sed vt esset vnius personæ, atque ex eis & in eis vnus semper existeret Christus. Absit enim vt dum vnam cogit veritas prædicare personam, duas audeamus negare naturas. Si enim creator factus est creatura, si Verbum factum est caro, si Deus habitu inuentus est vt homo: nec creator creari, nec Verbum caro fieri, nec Deus esse homo potuit sine alterius susceptione naturæ. Et si altera est natura suscepta, duæ sunt profectò naturæ, non vna. Sed si ex duabus facta esse adseritur vna, quæ facta sit debet primitus dici. Quamuìs enim ex duabus substantiis vna aliqua vix valeat fieri sine ambarum confusione, aut vnius abolitione: tamen quotiens ex duobus fit aliquid vnum, noua res fit: & si noua res fit, nouum necessariò naturæ nomen existendo nouiter sumit. Verbi gratiâ, Alia est in nobis natura animæ, alia corporis: illa spiritalis, ista terrena; illa inuisibilis, ista visibilis. Et quia ex his duabus vna est facta na-

tura, nouum naturæ nomen indepta eſt, vt diceretur homo. Separatim enim dicitur anima, ſeparatim corpus, nec anima poteſt nuncupari corpus, nec corpus poteſt nuncupari anima; ſimul autem corpus & anima rectè nuncupatur homo. Nec natura animæ eſt natura corporis, nec natura corporis eſt natura animæ: ſimul autem conſtans ex naturâ corporis & animæ, vna eſt natura humana. Proinde ſi diuina natura & humana natura confirmantur vnam feciſſe naturam, inueniatur etiàm quam naturam, quæ nec diuina appelletur, nec humana: ſed ſicut noua, ita nouo nomine nuncupata. Nullus planè tergiuerſator, & vnius naturæ contentioſus adſertor, in huius articulo propoſitionis, naturæ quam ex duabus vnam fingit, nouum nomen adponat, & eam Chriſtum dici reſpondeat; quia Chriſtus nomen officij eſt, non naturæ. Ab vnctione enim Chriſtus: vnctio verò temporalis diſpenſationis indicium, non ſubſtantiæ videtur eſſe vocabulum. Ille enim qui ex duabus factam credit vnam, (ſæpè dico) dicat, quam vnam. Iſta enim vna, nec diuina dici poterit, nec humana, ſed quocumque alio nomine: quod nomen ſi quis inuenerit, naturæ vnius adſertor tolerabiliter erit. Ego tamen valde metuo vnius naturæ profeſſionem confidenter adſumere; quoniam ſi vna eſt natura Chriſti, aut tota erit æqualis Patri, aut tota Patre minor. Si tota æqualis, ſecundùm quam dicit; *Pater maior me eſt?* ſi tota minor, ſecundùm quam dicit; *Ego & Pater vnum ſumus?* Aut impaſſibilis, aut paſſibilis. Si impaſſibilis, ſecundùm quam dicitur Chriſtus paſſus, mortuus, crucifixus? ſi paſſibilis, aut Chriſtus iam vnam naturam non habebit cum Patre, vt ſegregetur à paſſionibus eius Deus Pater: aut ſi hæc vna natura, quam habet cum Patre communem, paſſibilis erit; Pater quoque paſſibilis erit: & iam non catholici Chriſtiani, ſed hæretici gloriabuntur Patripaſſiani. Addo adhuc; ſi vna eſt natura Chriſti, aut inuiſibilis adſeritur, aut viſibilis: ſi inuiſibilis, quam viderunt qui crucifixerunt? quam viderunt Apoſtoli vſque ad tactum? quam videndam promiſerunt Angeli, dicentes; *Sic veniet, quemadmodùm eum vidiſtis euntem in cælum?* Sed ſi viſibilis, quid volebat dilectore ſuo in futuro manifeſtare, quando dicebat; *Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*; iam manifeſtatus ſecundùm carnem? Aut

Ioan. 14. 28.
Ioan. 10. 30.
Act. 1. 11.
Ioan. 14. 21.

Matth. 11. 27. cur ita clamat Euangelium; *Nemo nouit Filium, nisi Pater?* Sinè dubio enim quod videmus nouimus, & nemo potest dicere non subiacere notioni, quem subiacere confessus fuerit visioni.

VIII. Mouet adhuc, quoniam si vna est natura Christi, aut vbique diffusa est, aut localis: si vbique diffusa, quare verba Symboli sic recitamus; *Tertiâ die à mortuis resurrexit, ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris?* Qui respondebit mihi; si vbique diffusa est natura Christi, quomodò ascendit in cœlos? si vbique diffusa est, quomodò specialiter de eâ dicitur; *Sedet ad dexteram Patris?* Sed si localis est, certè sapientia Dei, quæ est Christus, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et vbi est quòd recedens à discipulis suis secundùm præsentiam carnis; *Ecce ego*, ait, *vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi?* Erubescamus ergo duas negare naturas, vt in vno Christo appareat quæ natura sit æqualis Patri, quæ minor Patre; quæ passibilis, quæ impassibilis; quæ visibilis, quæ inuisibilis, quæ vbique diffusa, quæ localis: dum tamen vnus sit Christus, & æqualis & minor, & impassibilis & passibilis, & inuisibilis & visibilis, & vbique diffusus & localis: totus æqualis, non totum æqualis; totus minor, non totum minor; totus inuisibilis, impassibilis, vbique diffusus, sed non totum. Hic verò si requiras, quid est totum Christus? respondeo; Verbum Dei, anima rationalis, & caro. Siue enim Verbum dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas animam rationalem, & corpus. Siue animam rationalem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas Verbum, & carnem. Siue carnem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas Verbum, & animam rationalem. Totus ergo Christus vbique est secundùm Verbum, sed non totum vbique est, quia non est vbique anima rationalis & caro, cum quibus est totum. Totus Christus apud inferos fuit secundùm animam rationalem, sed non totum, quia caro ibi non fuit, cum quâ est totum. Totus Christus in sepulcro fuit secundùm carnem, sed non totum quia anima rationalis ibi non fuit, cum quâ est totum, Verbum tamen Dei & cum animâ suâ apud inferos, & cum carne suâ in sepulcro fuit; quia naturaliter vbique diffusum, nec animæ suæ, nec carni suæ aliquando defuit. Siue igitur

Sap. 8. 1.

Matth. 28. 20.

Verbum, siue anima rationalis, siue caro significetur, totus Christus significatur, sed non totum. Neque enim erit totum, nisi simul Verbum, anima rationalis, & caro. Quare autem Verbum totus Christus, & anima rationalis totus Christus, & caro totus Christus, nisi quia vna est Verbi, animæ rationalis, carnísque persona? Quare iterum Verbum sinè animâ rationali, & carne non totum Christus; aut anima rationalis & caro sine Verbo non totum Christus; nisi quia alia est Verbi, alia rationalis animæ carnísque natura? illa diuina, ista humana? illa simplex, ista composita? cùm tamen vna ipsa Christi persona, quæ duas, diuinam & humanam, id est, simplicem & compositam videtur adunare substantias, non sit composita, sed in singulis simplex, & in vtrisque simplex; & ita simplex, sicut fuit antequàm in suâ vnitate susciperet humanam naturam; vt haberet deinceps substantias duas, vnam (sicut diximus) simplicem, aliam verò compositam.

IX. Sed quid iam pluribus immoramur? De incarnatione Christi hæc est fides mea, per quam fateor, ex duabus, & in duabus substantiis vnam Christum habere personam. Nec mouet, quomodò potuerit habere duas vna Christi persona naturas, cùm videamus diuinitatis vnam substantiam tres habere personas. Si enim mihi dicat aliquis; In Christo ostende mihi secundùm numerum naturarum numerum personarum, respondebo intrepidus: Ostende mihi etiàm tu in deitate secundùm numerum personarum, numerum naturarum. Si enim non potest esse natura sinè personâ, nec persona potest esse sinè naturâ. Sed si dicitur in Trinitate omnes tres personas vnam habere naturam, quia illa vna natura omnium trium est personarum: ita ego in Christo dicam vtrasque naturas vnam habere personam, quia illa significans existere cuiusque est, quæ alium distinguit ab alio. Vnde rite personarum duarum in Christo videretur quispiam exurgere prædicator, si Deus ille non fuisset homo, aut homo ille non fuisset Deus, alium ab alio suâ distinguente personâ: dum secundùm superioris intellectum definitionis, proprietate incommunicabili sic vnum Christum personam diuinitatis significaret existere, vt eum ab alio, qui in humanitate credendus fuerat, separaret. Verumtamen absit hoc à fidelibus mentibus, longè fiat à Chri-

ſtianis diſputationibus. Proinde illi quos negare adſerit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnum eſſe de ſanctâ & indiuiduâ Trinitate, ſi fatentur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum eſſe, Dei Filium, factum hominis filium: & ideò nominato Domino Ieſu Chriſto non hominem purum, ſed diuinam ſimul & humanam ſubſtantiam nominari: Si fatentur Deum Trinitatem, Patrem eſſe, & Filium, & Spiritum ſanctum: & hunc Filium, ſinè quo Trinitas nunquàm fuit, & quo carnem ſuſcipiente manſit Trinitas, ſicut ſemper eſt Trinitas, ex initio incarnationis ſuæ ipſum eſſe intelligunt Dominum Ieſum Chriſtum, quid ad nos, quibuſlibet verbis rectam prædicent fidem? Videndum potiùs reor & conſiderandum diligentiùs, cur Dominus Ieſus Chriſtus vnus eſſe de ſanctâ & indiuiduâ Trinitate nimìs cautè à quibuſdam negetur. Tribus enim modis, quantùm mea fert opinio, ſententiæ huius ſuſpecta redditur propoſitio. Primus modus eſt, ne ideò Dominus Ieſus Chriſtus vnus eſſe de ſanctâ & indiuiduâ Trinitate prædicari putetur, vt alius ipſe, alia Trinitas de quâ vnus eſſe dicitur, inculcetur: velut cùm de Patre eſſe Filium credimus, alius eſt procul dubio Filius, alius Pater de quo eſt Filius: aut quando, verbi gratiâ, de ciuitate illâ, ſiue illâ eſſe aliquem indicemus; in tantum alius eſt ipſe, alia ciuitas, vt ſinè illo maneat ciuitas ſicut fuit cum illo, quamuìs ipſe ſolus dici ciuitas nequeat. Hic verò ſenſus magìs illis proficit qui ſupponere volunt quartam Trinitati perſonam.

X. Secundus modus eſt. Fortaſſe Dominus Ieſus Chriſtus, vnus eſſe de ſanctâ & indiuiduâ Trinitate fraudulenter intimetur; propter hoc videlicêt vt non eius humanitas, quam ſuſcipiendo in vnitatem perſonæ ſuæ vocari cœpit Dominus Ieſus Chriſtus, ſed diuinitas eius propter quam adſeritur vnus eſſe de ſanctâ & indiuiduâ Trinitate, prædicetur eſſe paſſibilis, quotiens Dominus Ieſus paſſus pro ſalute hominum non tacetur. Hic verò ſenſus aut Arrianos iuuat ad deteriorandam Filij diuinitatem; aut vnius tantùm in eo naturæ interſerit opinionem, dum duarum perſonarum timet incurrere ſuſpicionem. Tertius adhuc modus eſt, ne firmantibus nobis Dominum Ieſum Chriſtum vnum eſſe de ſanctâ & indiuiduâ Trinitate, confeſtim à nobis quæratur, Quid vnus? Verbi enim

gratiâ,

gratiâ, si voluero dicere; Gabriel vnus est ex Angelis Dei; interrogatus, quid vnus? respondeo, Angelus; quia iam illos omnes Angelos dixi. Aut si iterum similiter loquar, Ephesinam Ecclesiam vnam esse de septem Ecclesiis ad quas Iohannes scribit Apostolus; interrogatus, quid vnam? mox respondeo, Ecclesiam; quia iam illas septem Ecclesias dixi. Pari ratione si homines tres accessisse aliquò, aut recessisse aliunde pronunciem; cùm dixero, Vnus ex his venit ad me; interrogatus, quid vnus? mox respondeo, Homo; quoniam illos tres homines dixi. Cùm verò dixerimus, Dominum Iesum Christum, vnum esse de sanctâ & indiuiduâ Trinitate; interrogati, quid vnus? non possumus dicere, vnus Deus; quia Trinitas illa non est Deorum: nec permittit ratio vt dicamus; Dominus Iesus Christus vnus Deus est de sanctâ & indiuiduâ Trinitate; sed dicimus potiùs; Tota Trinitas vnus Deus. Similiter interrogati, quid vnus? quando dicimus Dominum Iesum Christum, vnum esse de sanctâ & indiuiduâ Trinitate, non possumus respondere, Filius; quia Trinitas illa non est filiorum; vnus enim in Trinitate est Filius. Et si dicitur, ita dici; Dominus Iesus Christus, vnus est de sanctâ & indiuiduâ Trinitate; tanquam si dicatur, vna persona, rectissimè hoc dicitur: sed conuenientibus modò, si hoc ita videtur, vna persona * quàm vnus dicitur; ne parum intelligentibus, aut malè suspicantibus scandalum procuretur. Quibus ergo modis hæc sententia ab aliquantis refellenda vel cauenda iudicetur, simpliciter dixi: cæterùm ego nec volentibus nec nolentibus dicere contradixi; quia nihil à me certum posse definiri, in huius epistolæ capite iam prædixi.

*Hìc videtur deesse, *potiùs*

XI. Cæterùm si certa ad nos mandauit opinio (quod firmare ideò dubito, quia nihil exinde tuis litteris intimatum non inaniter cogito), miror quomodò hi qui Dominum nostrum Iesum Christum, negant vnum esse de sanctâ & indiuiduâ Trinitate, confiteri eum dicantur vnum esse ex sanctâ & indiuiduâ Trinitate. Quid harum propositionum differentia moliatur, audire cuperem: si liceret, præsentes interrogarem: vellem discere, si daretur sermonem sine studio contentionis inserere. Si enim dicendus est vnus ex Trinitate esse Dominus Iesus Christus, propter vnitatem personæ vtique dicendus est; vt

ostendatur quia ille Deus vnigenitus ipse factus est homo. Cur non ergo dicatur etiam, de Trinitate, vt ostendatur similiter pertinere ad essentiam Trinitatis quia adsumptâ seruili formâ contumeliam pertulit mortis? Sed si eo sensu non dicitur vnus esse de sanctâ & indiuiduâ Trinitate, sed ex sanctâ Trinitate Dominus Iesus Christus, vt ostendatur nihil substantiæ cum Trinitate habere commune: sicut ideò nos dicimur ex Deo, & non de Deo, quia alia est nostra, alia Dei substantia; (omne enim quod de aliquo fuerit, etiam vt ex eodem aliquo sit necesse est; non tamen omne quod ex aliquo erit, continuò etiam de eodem aliquo esse potest: sicut omnia ex Deo, non tamen de Deo. Filium verò vnigenitum, & de Deo & ex Deo esse rectissimè confitemur;) videt etiam prudentia vestra, purum ab his hominem prædicari Dominum Iesum Christum: & omnino hunc sensum, nisi fortè meliùs aut aptiùs exponatur, periculosissimum iudicari. Vnde desistendum à contentionibus reor; exspectandum potiùs persuadens, patientérque hanc dubitationem ferendam; donec vniuersalis Ecclesiæ auctoritate vel pronuncietur suscipienda, vel prodatur abijcienda. Neque enim fides vera, si de hac sententiâ taceatur, minùs prædicabitur; aut nisi per hanc sententiam roboretur, minùs firma existimabitur: cùm, etiamsi ita esset, sequi nos apostolica verba plùs deceret, vbi nobis dicitur; *Verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus*: &; *Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelauit*. Ad hoc peruenimus, scire Dominum Iesum Christum ex duabus atque in duabus substantiis vel naturis; vnam habere personam. Hoc teneamus, hoc sapiamus, hoc prædicemus: & si quædam verba minùs cautè proferamus, aut plùs fortè solliciti taceamus, velut si quid aliter saperemus; hoc quoque Deus nobis reuelauit.

Phil. 3. 16. v. 15.

FINIS.

EPISTOLÆ FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI AD REGINVM COMITEM, PARS PRIOR.

Tantùm explicans, vtrùm caro Christi corruptibilis an incorruptibilis fuerit.

I. ACCIPIENS litteras tuas, fili cariſſime Regine, & ſollicitudinem cordis tui agnoſcens, Dominum collaudaui, qui poteſt vtrumque, & bonum conferre ſeruandum, & ſeruare collatum. Vtrumque enim pertinet ad medelam animarum noſtrarum, quò gaudeamus in beneficiis, quæ nobis infirmis medici noſtri non deſinit ineffabilis operari benignitas; vt ſpiritali profectu & augeatur in nobis ſanitas, & minuatur infirmitas. Modus verò infirmitatis noſtræ duplici qualitate conſiſtit: ſi vel per ignorantiam minùs aliquid in fide nouerimus, vel aliquid habeamus in operibus noſtris quod non conueniat regulæ veritatis. Quoniam igitur corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, ideò nos vtraque conturbat infirmitas. Sed ille qui nos fecit, & gaudere præcepit quia vicit mundum; ſperamus quia nos in fide, quæ per caritatem operatur, perficiet. Dicis ergo, quòd nuper in Orientis partibus noua eſt orta inquiſitio; aliis aſſerentibus incorruptibile fuiſſe corpus Chriſti ab ipſo conceptionis exordio: aliis autem contrarium fatentibus, corruptibile ante paſſionem, incorruptibile verò poſt reſurrectionem. Tu tamen in vtrâque parte valde hæſitans, nec reſpondere ſciens, inſtas vt quid tenere debeamus commoneam. Hæc ſunt quæ interrogas. Superiùs autem, tuæ gratulationis indicio inſinuas te meis litteris recreatum. Quoniam igitur interrogatio tua recti

cordis tramitem tenuit, quo primitus quod ad fidem, deinde quod ad opera pertinet, apprehendit: quia fidem quæ per caritatem operatur, commendat Apostolus, illo scilicet nostræ salutis obtentu, quòd fides sine operibus mortua est in semetipsâ.

II. Volo itaque carissime, vt scias non vno modo dicere corruptionem, sed duobus modis; sicut infirmitatem, & similiter mortem. Dominus enim mortem inquit esse perpetrationem criminis, & mortem in quâ retributio nihilominùs intelligitur vltionis. Dicitur etiàm infirmitas hominis, eius scilicet qui exhibet peccato seruitium, & eius qui portat peccati supplicium. Vtrumque ad infirmitatem pertinet peccatoris, & delectatio in peccatis, & afflictio pro peccatis. Sic etiàm corruptionem dupliciter dicimus; cuius vna pars in solâ hominis culpâ, altera inuenitur in pœnâ. Ad culpam quidem pertinet illa corruptionis pars, quam Apostolus ostendit, vbi dicit; *Homines corrupti mente, reprobi circà fidem.* Ad hanc partem corruptionis pertinet quod alio loco dicit; *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* Ista corruptionis pars primò animam capit, & per animam carnem in peccatum trahit. Hæc pars corruptionis mentem superbientis angeli primò inuasit, ac deinde primum hominem, postmodùm totum genus humanum. Primam ergo corruptionis partem, quæ consistit in concupiscentiâ vel perpetratione peccati, secuta est illa pars, quæ constat in retributione supplicij, quæ duobus tenet animam & corpus hominis peccatoris. In ipsâ quoque retributione quædam sunt, in quibus pœna peccati simul fit & ipsum peccatum: alia verò sunt, in quibus solum fit peccati supplicium. In illis ergo in quibus reperitur pœna simul & culpa, opere quo reatus in peccatore punitur, Deo derelinquente, augetur homine delinquente. Hæc est illa pars corruptionis, per quam sic peccata puniuntur in homine, vt non desinant, sed vt crescant: sicut libido cordis & corporis; quæ cùm ex pœnâ peccati eueniat, peccatum multiplicat, & animam punitioni subditam noxiâ delectatione captiuat. Tertiam quoque punitionem huic secundæ retributam Apostolus dicit: *Propter quòd tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.* Non ergo vt patiantur tantùm, sed vt faciant vnde peccata multi-

2. Tim. 3. 8.

1. Cor. 15. 33.

Rom. 1. 28.

plicentur, diuinâ in reprobum ſenſum damnatione traduntur. Verumtamen hæc traditio non in operatione Dei, ſed in deſertione conſiſtit. Quoſdam enim tradit Deus, nec dimittit: quoſdam verò in eo quod tradit, dimittit. Bonos ſic tradit paternâ benignitate, vt non deſerat paterno iuuamine. Ac per hoc tradit eos ad patienda mala quibus ipſi perficiantur, non ad facienda quibus deteriores exiſtant. Malos autem ad hoc tradit Dominus, & dimittit; vt ipſo deſerente, dum non Dei voluntatem, ſed ſuam ſequuntur, ſuâ turpitudine delectentur; nec pœnam ſuam portent inuiti, ſed ſequantur illecti.

III. Hæc eſt iniquorum corruptio, quæ ſic eſt pœna peccati, vt ſit & ipſa peccatum. Alia corruptionis pars eſt, quæ nec animam, nec corpus fidelis hominis polluit, ſed affligit: quia nec ad inquinandum hominem, ſed ad humiliandum militat peccatorem. Hac itaque diſcretione retentâ, dum corruptionem voluntariam à corruptione pœnali diſcernimus; ipſiúſque pœnalis corruptionis vnam partem cum peccato, alteram ſine peccato ineſſe hominibus inuenitur. Talis autem corruptio cordis nihil aliud eſt, niſi priuatio ſanitatis, quia nulla ex hac corruptione contrahitur iniquitas, licèt inſit infirmitas: facillimè inuenimus quam partem corruptionis ſuſcepit Chriſtus in corpore. Nam quamuìs carnem pro nobis ſuſceperit, tamen accepit immunem ab omni peccato originali & actuali. Ipſam tamen carnem, non ſolùm infirmam, ſed etiàm veraciter cognoſcitur accepiſſe mortalem. Proculdubio in quantùm corpori eius inerat ſuſcepta mortalitas, in tantùm ei potuit ineſſe corruptionis infirmitas. Illius ſcilicet corruptionis, quæ abeſt ab omni peccato. Ad talem corruptionem pertinet fames & ſitis. Facilè ſiquidem eſuriendo & ſitiendo corpus mortale corrumpitur; quando per hæc etiàm ad ipſius mortis exitum peruenitur. Per quam mortem venitur ad corruptionem, dum deſerente animâ, in tantùm corpus corrumpitur, vt in putredinem ac puluerem redigatur. Hanc corruptionem caro Chriſti non vidit, quæ die tertiâ reſurrexit. Famem tamen, ſitim, fatigationem corporis, ac dolorem veraciter ſenſit. Quæ omnia pertinent ad illam partem pœnalis corruptionis, quam ſic ex peccati pœnâ ſupplicio trahimus, vt ex eâ nullum peccati ſupplicium contrahamus. Eſuriſſe Chriſtum, ſitiſſe,

fatigationémque sensisse Euangelium docet; quem manifestum est esurisse, quando ad ficulneam venit, nec in eâ fructum inuenit. Fatigatus etiàm ex itinere sedit super puteum. In Cruce etiàm dixit; sitio. Dolorem etiàm sustinuit, sicut dicit Esaias; *Vulneratus est propter iniquitates nostras; infirmatus est propter scelera nostra.* Hanc infirmitatem in Domino non putatiuam, sed veram docet Apostolus. *Nam etsi crucifixus est,* inquit, *ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Infirmitatem non aliud dicit, quàm corruptibilitatem.

Esaiæ 53. 5.

2. Cor. 13. 4.

IV. Restat itaque, vt & Christum fuisse in aliquâ corruptione ad quam non rediit, & non fuisse in eâ quam non vidit, per sacram Scripturam discamus. Ad corruptionem pertinet corporis animalis, & mors quæ præcedit putredinem, & putredo quæ sequitur mortem. Proinde Christi corpus, quod est verè mortuum, & die tertio sine aliquâ putredine suscitatum, vnam partem corruptionis vidisse, aliam non vidisse dicendum est. Fuit quippe in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis: quando caro Christi sic est mortua, vt nulla fuisset membrorum putredo vel dissolutio subsecuta. Christus ergo non reuertetur in corruptionem, quia surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro eius putredinem. Hoc autem non eiusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit. His omnibus, in quibus nostræ seminationis ac resurrectionis certissimam qualitatem verbis apostolicis Sanctus Augustinus ostendit, dicens; *Constat itaque, neque vllo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licèt corruptionem putredinis in sepulcro non senserit, quia scriptum est;* Non dabis sanctum tuum videre corruptionem; *clauis tamen & lanceâ corrumpi potuit; nunc omnino in incorruptione persistere: & quod in contumeliâ passionis mortísque seminatum est, nunc esse in gloriâ vitæ æternæ: & quod ex infirmitate potuit crucifigi, nunc in virtute regnare: & quod erat corpus animale, quoniam ex Adam sumptum est; nunc spiritale esse, quoniam spiritui nunc inseparabiliter copulatum est.* His verbis Augustinus ostendit, quale corpus Christi post resurrectionem sit, & quale ante passionem fuerit. Euidenter confirmat corpus Christi omnino nunc in incorruptione persistere; nunc etiàm in gloriâ vitæ æternæ,

Epist. 146. ad Consentium.

Psal. 15. 10.

nunc in virtute regnare, nunc ſpiritale eſſe. Sed corpus non eſt omnino incorruptibile, quod dolorem poteſt per vulnera ſentire. Quocircà apparet Chriſtum ante paſſionem, immò vſque ad paſſionem & mortem, mortale atque animale corpus habuiſſe; & pro nobis in eodem corpore veram famem, veram ſitim, fatigationémque ſenſiſſe, vera clauorum ac lanceæ percepiſſe vulnera; & ex hoc verum dolorem non neceſſitate, ſed voluntate ſenſiſſe, veræque mortis acceptatione pro nobis animam ſuam propriâ poteſtate poſuiſſe. Conſequens eſt, vt idem Chriſtus ex infirmitate mortuus, ex virtute autem Dei ſuſcitatus, noſtris inueniatur exemplum præbuiſſe corporibus. Humiliauit enim ſe Chriſtus vſque ad ſuſceptionem totius infirmitatis noſtræ: vt, ſicut ait Apoſtolus, reformetur *corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* *Philip. 3. 21.*

V. Hinc ergò manifeſtiſſimè apparet, quid de animalis ac mortalis corporis qualitate debeat omnis Chriſtianus firmâ credulitate ſentire: impoſſibile, vt corruptibilitas eſſe negetur, vbi animalis corporis mortalitas inuenitur. Chriſtus ergo in ſolâ carne portauit noſtram corruptionem, in quâ veraciter noſtram portauit & mortem. In animâ verò ſic perfectam incorruptibilitatem ſeruauit, ſicut peccatum nec propagine traxit, nec contagione contraxit. Vnde & infirmitates animarum noſtrarum, quas in ſuâ rationali animâ portauit Chriſtus, ſinè vllâ corruptione portauit. Nullus quippe potuit defectus ineſſe virtutis, vbi infirmitatis ſuſceptione indefeſſa permanſit perfectio caritatis; quæ vnigenitum Deum fecit vſque ad mortem pro nobis accedere, & confuſione contemptâ, Crucis opprobrium ſuſtinere. Propter quod triſtitiam, mœrorem, vel ſi quas noſtrarum animarum infirmitates habuit Chriſtus; veras quidem, ſed voluntarias habuit. Veras ſcilicet, vt manifeſtum in ſe animæ rationalis monſtraret affectum; voluntarias, vt noſtris infirmitatibus adfuturum oſtenderet ſuæ virtutis auxilium; vt agnoſceremus, nos ipſo adiuuante, in infirmitatibus quas neceſſitate patimur, fulciendos. Qui propterea voluntate noſtras infirmitates acciperet, vt & in hac vitâ infirmitatum neceſſitate turbatis auxilium contuliſſet, & poſt hanc vitam omnem à nobis infirmitatis neceſſita-

tem misericorditer abstulisset. Ac sic omnis fidelis agnoscens Christum participem humanæ infirmitatis, certissimè speraret participem se fore diuinæ virtutis; nec se ambigeret illius virtute firmandum, quem pro se cognouisset non necessitate, sed voluntate turbatum. In ipso habiturum æternam lætitiam, cui suam voluntate videret inesse tristitiam; qui sicut mansit in tribulatione tranquillus, in morte securus; sic in infirmitate fortissimus, & in humilitate altissimus.

Hanc epistolam Beatus Fulgentius morte præuentus non absoluit. Satisfecit Regino Comiti, Fulgentij vice Ferrandus opusculo sequenti.

FERRANDI

FERRANDI DIACONI
ECCLESIÆ CARTHAGINIENSIS,
AD
REGINVM COMITEM PARÆNETICVS.

Qualis esse debeat Dux religiosus in actibus militaribus.

SEV

De septem regulis innocentiæ.

I. SOCIALIS vitæ laboribus exercendus, ignorantiâ pueritiæ mox vt rationalis homo caruerit; aut Deo incipit (Dux illustris Regine) aut sæculo militare Propter hoc Apostolus Paulus; *Nemo*, ait, *militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*: ostendens esse milites Dei, sicut sunt etiàm milites sæculi. Duplex ergo militia duo genera militum signat: Alios militia corporalis laborare cum mundo, secundùm voluntatem terreni Regis astringit; alios militia spiritalis ad cœlestia castra per gratuitam gratiam cœlestis Imperatoris adducit. Milites sæculi, passionibus & desideriis variis tenentur obnoxij; milites Dei, carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis. Illi dapibus nutriuntur; isti virtutibus. Illi rapere aliena conantur; isti etiàm propria vel patienter perdere, vel misericorditer contendunt erogare Illi propriis vtilitatibus consulunt; isti communibus. Illi gerunt vnde falsis laudibus extollantur; isti quærunt vnde sempiternis præmiis honorentur. Illis tribuit imaginem læti-

2. Tim. 2. 4.

tiæ vanitas; istis vera confert gaudia veritas. Illi perituram patriam, pariter perituri, saluare ac semper tenere festinant; isti nunquam perituram, ne in æternum pereant, possidere desiderant. Illis viuere labor est, & mori supplicium; istis viuere Christus est, & mori lucrum. Illi prælïantur contra inimicos visibiles; isti contra inuisibiles. Illos auaritia crudeles; istos misericordia facit benignos. Illos inuidia contentiosos; istos mansuetudo pacificos. Illi per superbiam pro suis honoribus litigant; isti per humilitatem alter alterum existimant superiorem sibi. Per illos Babylonia regitur; per istos, & in istis à Domino Ierusalem cœlestis administratur. Et plerumque contingit, vt corporibus adunati (quamuis mentibus separati) simul milites Dei & milites sæculi, prosperitates & aduersitates sentiant temporales. Sed milites sæculi, prosperitas extollit, aduersitas deiicit; milites autem Dei, siue in prosperitate, siue in aduersitate immobiles perseuerant; quia gloria eorum testimonium est conscientiæ ipsorum; vbi requiescunt quando tribulationes patitur mundus; vbi non timent hostem continentiæ perpeti, quando suppetit abundantia voluptatum, de radice temporalis fœlicitatis germinans spinas cupiditatis. Milites Dei libenter audiunt Beatum Iohannem commilitonibus propriis tubâ fortiore clamantem; *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Quibus audientibus, atque obedientibus huic saluberrimæ ammonitioni, quotiens occulta dispensatio piissimi creatoris, potestatem iudicandi ac disponendi terrenam rempublicam tribuit, tunc ex parte militia sæculi non est grauioribus referta peccatis: tunc facilè corripiuntur inquieti, consolantur pusillanimes, suscipiuntur infirmi; licentia scelerum demitur improbis, & bene agendi sortitur innocentia libertatem.

1. Ioan. 2. 15.

II. Rogemus ergo precibus assiduis eum qui disponit orbem terræ in æquitate, faciens vniuersa secundum consilium voluntatis suæ; quoniam de ipso Psalmista veraciter canit; *Om-*

nia quæcumque voluit fecit in cælo & in terrâ, in mari & in omnibus abyssis; vt videlicèt milites suos sub habitu militiæ sæcularis latentes promouere dignetur ad maximas dignitates: regens eos intus, & regendi alios scientiam tribuens; sicut tibi quoque (Dux illustris Regine) iam donasse cognoscitur. Et ideò laudabili sollicitudine, venerabilis memoriæ Fulgentium Pontificem Ruspensis Ecclesiæ interrogasti, qualis tibi militaribus actibus occupato, regula sit spiritalis propositi retinenda. Sapienter profectò, responsum sapientiæ à sapiente quæsieras: nec interroganti, nec interrogato sancta prudentia defuit. Et tu, quod ille docere poterat, iam gerebas: & ille hoc docere poterat quod tu gerebas: vt mores tuos tu in sermonibus eius agnosceres, & sermones suos ille ex tuis moribus approbaret. Modò autem quia semipleni libelli imperfecta dictatio, nihil huic tuæ interrogationi cognoscitur respondisse: (principia enim gloriosi operis, primam quæstionem litterarum tuarum diutius ventilant: Vtrùm caro Christi corruptibilis an incorruptibilis fuerit: vnde adhuc disputans Doctor ille egregius, antequàm fideliter ratione fidei redditâ de actibus militaribus cum pietate tractandis inciperet loqui, transiuit ad æternæ beatitudinis immortalia gaudia: Verbum Dei, quod in corde & ore semper habuit facie ad faciem contemplaturus) importabilem sarcinam super humeros debiles ponis: vt me iubeas tanti viri quasi hæreditarium debitum soluere. Numquid ego sic repletus sum sapientiâ sicut ille? Numquid eadem mihi facultas eloquij? Numquid similis data est auctoritas dignitatis: aut vel ipsa saltem conuersationis innocentia talis est mihi: quem præteritis, ac præsentibus excessibus implicatum, mentis pariter, & corporis grauat infirmitas? Quid igitur faciam? Volo satisfacere desiderio tuo, nec valeo: maximè quando cogitans & retractans merita iniquitatum mearum, superbiæ proximum iudico, ducere alios per iustitiæ semitas, per quas ipse non ambulo.

Psal. 134. 6.

III. Væ mihi misero, donec misereatur Altissimus. Ecce ego militiæ ecclesiasticæ vinculis alligatus, curis sæcularibus dissipor, & quomodò in sæculo militanti, militiæ spiritalis audeam legem ostendere? Plorandúmne mihi est, an loquendum? vita alterius erudienda videtur, an mea potiùs corri-

genda? Virtus prima est, benè viuere: secunda est, rectè docere: frustrà autem rectè docet, qui bene non viuit: ego ergo necdum bene viuens quomodò rectè doceam? Verumtamen quia non homo docet hominem, sed Deus doctor est omnium, nec humana mandata, sed diuina quæris audire: præteriens qualis ego sum, cognosce qualis esse debeas; immò potiùs qualem te esse nobis congaudentibus gaudeas.

I. Gratiæ Dei adiutorium tibi necessarium per actus singulos crede, dicens cum Apostolo: *Gratia Dei sum id quod sum.* (1. Cor. 15. 10.)

II. Vita tua speculum sit, vbi milites tui videant quid agere debeant.

III. Non præesse appetas, sed prodesse.

IIII. Dilige rempublicam sicut teipsum.

V. Humanis diuina præpone.

VI. Noli esse multùm iustus.

VII. Memento te esse Christianum.

Videtur enim mihi per has septem regulas, in actibus militaribus posse homines esse spiritales & Deo placere: nullúmque dispendium pati morum bonorum, sed proficere potiùs ad incrementa maiora iustitiæ. Si vis ergo perfectus esse miles Dei inter milites sæculi, tene firmiter quod diximus breuiter. Si enim gratiam confitearis, requiescet super te Spiritus timoris Domini. Si vita tua speculum sit, vbi milites videant quid agere debeant, requiescet super te Spiritus pietatis. Si non præesse appetas sed prodesse, requiescet super te Spiritus scientiæ. Ille enim scit præesse, qui vult prodesse. Si diligas rempublicam sicut teipsum, requiescet super te Spiritus fortitudinis. Si humanis diuina præponas, requiescet super te Spiritus consilij. Si libenter audias, *Noli esse multùm iustus*, requiescet super te Spiritus intellectus. Si memineris te esse Christianum, requiescet super te Spiritus sapientiæ: & per septiformis Spiritus abundantiam misericors Deus (sicut veracissimè amici sui fidelissimo Iob dixerunt) *in sex tribulationibus liberabit te; in septimâ non tanget te malum. In fame eruet te de morte, & in bello, de manu gladij. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cùm venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis, sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Et scies quod pacem habeat taberna-* (Iob. 5. 19.)

culum tuum: & visitans speciem tuam, non peccabis. Necessarium planè est, vt partitionis ordine custodito, singillatim de his septem generibus disputantem, beneuolus & intentus aduertas; illud principaliter sciens, neminem sine gratiâ Dei rectò intelligere, neminem iustè viuere. Dominus enim dat intellectum: Dominus quem voluerit, religiosum facit. Nihil boni ex nobis habemus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (Iacobo Apostolo contestante) *desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio.*

Iacob. 1. 17.

IV. Prima proinde est regula, quam tenere inter actus debeas militares: vt nihil viribus tuis superbiùs assignes: sed omnia quæ sapienter, aut fortiter, aut fœliciter geris, ad laudem referas potentissimi creatoris: memor semper quid populo Israëlitico ingredienti terram promissionis Moyses loquatur, humilitatis sanctæ volens omnes habere virtutem. Dicit enim, *Ne dicas in corde tuo: virtus mea, & potentia mea fecit mihi virtutem hanc magnam: sed memoreris Domini Dei tui, quia ille tibi dat potentiam ad faciendam virtutem.* Sicut pleniùs etiam Propheta Hieremias ammonet: *Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, & non glorietur fortis in fortitudine suâ, & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur: intelligere & scire quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam super terram.* Frequenter igitur, & (si fieri potest) indesinenter, voce cordis & corporis clamabis: *Domine fortitudo mea, & adiutorium meum in die malorum.* Et iterum: *Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quia gloria mea tu es:* Ista enim dicendo, sanctissimi Pauli doctrinam sequi videberis, dicentis: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et tunc super te prophetica sententia complebitur: *Benedictus homo qui confidit in Domino, & erit Dominus spes eius: erítque sicut lignum fructiferum secus aquam, & in humorem mittet radices suas: non timebit cùm venerit æstus; & erunt in eo frutices nemorosi: & in anno siccitatis non timebit, & non deficiet à faciendo fructum.* Deficiet autem si obliuiscatur illius, de quo fidelis Esaias fidelibus narrat: *Deus sempiternus, Dominus qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multi-*

PRIMA REGVLA. OMNEM DEO GLORIAM TRIBVE.

Deut. 8. 17.

Ierem. 9. 23.

Ierem. 16. 19.

Ierem. 17. 14.

2. Cor. 10. 17.

Ierem. 17. 7.

Esaiæ 40. 28.

plicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ: current & non laborabunt, volabunt & non deficient. Curre, miles Dei, feſtinanter: vt numero talium ſociatus, negotia militaria ſecurus geras. Si enim conſilio vti neceſſarium fuerit, reſpondet tibi continuò Sapientia: *Meum eſt conſilium, & mea tutela*: Si in prælio dimicandum, fortiſſimi Dauidis audies vocem: *Non in gladio, neque in haſtâ ſaluat Dominus: ipſius eſt bellum.* Si contra hoſtiles impetus prætendere diſponas excubias, Pſalmus cogitanti reſpondet: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui cuſtodit eam.* Si paruus exercitus contra hoſtium multitudines innumerabiles educendus ſit, orante Iudith protinus confortaberis, conſonâ oratione dum gemebundus exclamaueris: *Non in multitudine eſt fortitudo tua, neque virtus tua in potentatibus: ſed humilium es* Deus, indigentium auxiliator, infirmorum opitulator. Si concordia militum quæritur, recordaberis ſcriptum: *Domini eſt pax*: Si obedientia, voce Pſalmi Domino Deo tuo cantabis: *Eripies me de contradictionibus populi*: ſub nomine autem populi etiam multitudo militum non abſurdè intelligitur: maximè quia in huiuſmodi populo ſępè abundat contradictio, ſeueritate naturali materiam ſeditionibus miniſtrante. Periculoſa eſt autem militum contradictio: cædibus enim, rapiníſque vicina eſt: & dulcis obedientia, dum monitis ſalutaribus ſapientiſſimi Ducis libenter obtemperat. Nec dubitari penitùs oportet, in actibus militaribus, ſupernæ virtutis auxilio Duces fortiſſimos indigere: clamante Dauid, & quaſi in concione generis humani reſpondente eis qui confidunt in virtute ſuâ: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus, qui ſubdes populos ſub me.* Hoc quippe intelligens, à Domino tibi populos ſubiici: voluntatem Domini proculdubio facere properabis, & non poteſtate ſolâ terrebis ſubditos: ſed tranquilla conſilia præbebis obedientibus: dans operam talis eſſe quales vis alios inuenire.

Prou. 8. 14. — *1. Reg. 17. 47.* — *Pſal. 126. 1.* — *Iudith. 9. 16.* — *Iudic. 6. 24.* — *Pſal. 17. 44.* — *Pſal. 143. 1.*

SECVNDA REGVLA. VITA TVA SIT MILITVM SPECVLVM.

V. Secunda quippe regula eſt innocentiæ, militaribus actibus occupato: vt quaſi in ſpeculo, ſic in illo milites videant quid agere debeant: & magis eos imitatio ad bonum prouo-

cet, quàm potestas. Dux enim ſapiens illuc debet ire quò cupit ducere ſubditos: ideò enim dicitur Dux, quia ducit: & ſeipſum vtique ſeducit, ſi per viam regiam putat poſſe ambulare, quos ad foueam malæ vitæ, malum exemplum præbendo perducit. Tu ergo eſto ſignifer diſciplinæ ſanctiſſimæ: tu erige trophæum virtutis, intuendum iugiter cæteris: tu imitandus appare: quíque te audit præcipientem, non te redarguat aliter operantem. Pone ſemper in corde tuo ſermones Apoſtoli dicentis: *Inexcuſabilis es, ô homo omnis qui iudicas: in quo enim alium iudicas, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Et quæ culpabilia pronuncias, vitare priùs ſtudebis, poſteà condemnare: quæcumque laudabilia, operari priùs, poſteà iubere. Vita quippe optimi Ducis, ſpeculo comparata, bene inſpicitur, ſi luceat in eâ, non ſimulato colore, ſed veriſſimâ prorſus oſtenſione, fides, iuſtitia, miſericordia, patientia, continentia, & non imprudens æſtimatio futurorum. Fidelis Dux eris, ſi iudicio ſapientium, non ſermonibus adulatorum, proberis & cognoſcaris rectè credere, neminem fallere, promiſſa perficere. Iuſtus autem Dux eris, ſi iudicio ſapientium, non ſermonibus adulatorum, proberis & cognoſcaris perſeuerantes in malitiâ punire, bonis fauere, ſingulorum merita diſcernere, reddere omnibus debita. Miſericors Dux eris, ſi iudicio ſapientium non ſermonibus adulatorum, proberis & cognoſcaris diligere pauperes, gubernare ſubiectos, indigentibus miniſtrare, poſtulantibus veniam clementer ignoſcere, docere inſipientes ſapientiam, reuocare in flagitiis ambulantes à viâ ſuâ malâ, Deum rogare pro inimicis, pacificare diſcordes. Patiens Dux eris, ſi iudicio ſapientium, non laudibus adulatorum, proberis & cognoſcaris laborare pro vtilitatibus aliorum ſinè emolumento cupiditatis, iniurias pati nec facere, non habere vlciſcendi libidinem, metu aduerſitatis nullatenus frangi, deſiderio proſperitatis minimè rapi, perſeuerare in his quæ bene aſſumpſeris: ſperare miſericordiam Dei, etiam ſi diſtulerit ſubuenire: nihil citò ſine conſilio facere: quicquid imperat ſuperior, obedienter excipere: quicquid præcipis inferiori, ſine perturbatione diſponere. Continens Dux eris, ſi iudicio ſapientium, non laudibus adulatorum, proberis & cognoſcaris res alienas nec concupiſcere,

Rom. 2. 1.

nec auferre dum possis: nihil agere violenter, nihil fraudulenter, nihil sinè modo, nihil propter voluptatem, nihil propter auaritiam: nihil vetitum legibus, aut consuetudini contrarium ciuitatis, vel gentis: si tamen ipsa consuetudo nec religioni nocet, nec bonis moribus aduersatur. Alioquin consuetudo mala sicut morbus antiquus, nisi expellatur, occidit. Nihil ergo aduersùs consuetudinem, sed bonam, gerere, virtus est continētiæ. Profectò autem si continens Dux eris, etiàm de futuris non imprudens inuenieris existimator: siue vigilando contra insidias aduersariorum: siue sciendo qui soleant euentus rebus singulis deputari, vnde oriantur seditiones, vnde noua bella nascantur, vnde dissolutio seueritatis, vnde rapinarum damnosa licentia: vt hæc omnia in suis amputata radicibus, iter sapientissimo Duci quietissimæ dispositionis aperiant.

VI. Audienda sunt etiàm Iohannis Baptistæ fidelissima monita, quæ milites audierunt, quando eis interrogantibus; quid faciemus & nos? non ait; Ite, arma deponite, bellorum fugite certamina, solis orationibus vacantes, Imperatoris præcepta contemnite: sed alia quædam proposuit obseruanda, dicens: *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris.* Concutere verò est apertè facere violentiam: calumniari, occasionem nocendi requirere. Quoniam qui stipendiis suis noluerit esse contentus, aut frœna disciplinæ simul disrumpit, vt temerariis excessibus aliena diripiat: (& hoc prohibens Sanctus Iohannes dixit; *Neminem concusseritis*:) aut requirit causas offensionis, vt sub aliquo iustitiæ colore terreat innocentes, atque auaritiæ suæ, vel potiùs rapacitati satisfacere cogat inuitos; quod prohibens Sanctus Iohannes dixit; *Nulli calumniam feceritis.* Et remotâ huius duplicis malitiæ peruersitate, quid sequendum fuisset adiecit; *Contenti estote stipendiis vestris* Beati erunt milites, si hæc præcepta custodiant: beata respublica, si tales meruerit habere milites: beatus Dux, in cuius exercitu tales esse contigerit plurimos: verumtamen plùs beatior apparebit si ipse fuerit talis; neminem scilicet concutiens, nulli calumniam faciens, contentus stipendiis suis. Nam profectò quantò dignitate maior existit, tantò magìs & concutere, & calumnias facere potest, & non

Luc. 3. 14.

esse

esse contentus stipendiis suis. Hinc autem plerumque maximè ciuitatibus afflictio nascitur, hinc grauissimæ crudelitates, hinc mille artibus lucri exquisita compendia, hinc venalitas in iudiciis, hinc remissio in prælus, hinc totius reipublicæ diminutio, si Dux cœperit non esse contentus stipendiis suis, & super emolumenta publica, priuatis amplificari commodis cupiens, vtilitatis tantùm suæ curam gerat; salutem verò vel securitatem negligat subditorum. Talis Dux non est circa æquales modestus pariter & suauis, sed litigiosus & auarus: non est circa inferiores mansuetus, communis, & facilis; sed crudelis, personarum acceptor, & difficilis. Sub isto disciplina militum citò deterioratur: cui enim prouincialium velint milites parcere, quos ab ipso Duce pati conspexerint fraudem? Quomodò contenti erunt stipendiis suis, qui Ducem suum nobilitari sentiunt de facultatibus alienis? Nónne quando Dux aliquem concutit, ipsis vtitur ministris ad violentiam? quando alicui calumniam facit, per ipsos negotium fraudis exercet? Imperando ergo eis frequenter iniquitatem, contemnere eos efficit æquitatem. Vult itaque Dux sapiens, vt sit miles quietus, pacificus, & subditus? sit ipse iustus, misericors, temperatus, & in suâ administratione non præesse diligat, sed prodesse. Imitetur bonis actibus Samuëlem: comparet sibi liberam fiduciam verecundæ & honestæ libertatis, vt ingenuâ fronte dicere valeat subiectis sibi, sicut dixit Samuël; *Ecce adsum ego; respondete contra me in conspectu Domini, & in conspectu Christi eius; si vitulum alicuius tuli, aut asinum alicuius tuli, aut alicui vestrum per potentiam nocui, aut aliquem oppreßi, aut de manu alicuius accepi pro exoratione vel calciamentum. Respondete aduersum me & reddam vobis.* Et respondeatur etiàm ei quod dixerunt ad Samuel; *Nemini nostrum nocuisti, nec per potentiam aliquem oppressisti, nec confregisti nos, neque accepisti aliquid de manibus nostris.* O quàm gloriosus Dux erit ante faciem Principis, qui ista audire meruerit! magnificabunt eum proceres, benedicent humiles, sequetur illum fama diuitiis omnibus melior. *Dabitur ei*, sicut scriptum est, *fidei donum electum, & sors in templo Dei placidior, bonorum laborum fructus bonæ famæ.* Et si forsitan remoueatur, aut rempublicam non administrare iubeatur, manebit & permanebit in omnium di-

1. Reg. 12. 2.

Sap. 3. 14

lectione quasi præsens. Quisquis autem successerit ei, non quod reprehendat, sed quod miretur inueniet. Si tamen magis prodesse diligat, quam præesse. Multi enim præsunt, sed omnino pauci prosunt eis populis quibus præsunt. Quisquis priuatis honoribus inhiat, despecta vtilitate subiectorum magis præesse appetit quàm prodesse. Talis autem Dux inutilis est, & iniustus; nec regere potest stantem rempublicam, nec reparare collapsam.

TERTIA REGVLA. NON PRÆESSE APPETAS, SED PRODESSE.

VII. Tertia ergo est regula innocentiæ actibus militaribus occupato, si ideò præsis, vt prosis. Prodesse autem videberis, si tempus & locum tuæ administrationis intelligas. Et tempus quidem considerabis, dum sapienti discretione perpendes, vtrùm pacificum sit, an tumultibus bellicis inquietum. Sæpè enim quod in pacis otio vindex disciplina persequitur, inter turbas & gladios cauta tolerat patientia. Locum verò rectè considerabis, vtrùm sterilis an fertilis; vtrùm nutriendo exercitui sufficiens, an minùs idoneus; vtrùm desolatus & incultus, an inconcussus, & diligenter appareat exaratus. Quotiens enim reparatione indiget locus, vbi gubernare videris exercitum, contemnenda sunt omnia lucra priuata, etiàm quæ sibi consuetudo iam liberè vendicat; & seueritatis paulò rigidior temperanda censura. Præter hæc quoque duobus modis prodesse videberis; si neminem lædas; & illos qui solent, aut volunt lædere, prohibeas quantùm potes, immò quantùm posse donauerit Christus. Tunc autem Dux optimus neminem lædet, si in omni prætorio illius non audeat aliquis amicus, cliens, medicus, armiger, aut propter officij publici deuotionem lateri Ducis semper adiunctus, concessa beneficia vendere. Quid enim miseros iuuat, si Dux exhibeat continentiam boni Ducis, & alius sibi de potestate illius occasionem faciat auaritiæ satiandæ? Tales habeat socios, aut ministros, qualem se esse debere cognoscit. Quisquis enim Duci familiariter inhæret, cui multa exequenda committit, manus est Ducis: & meritò quicquid illi accipiunt, ad illum sine dubio creditur pertransire: nec potest esse Ducis optimi fama bona, quando fuerint ministeria mala. Deinde, quomodò corripiet extraneos, nisi primitus correxerit suos? Quis dubitet, in exercitu constitutos faciliùs ad committenda prosilire facinora, si viderint as-

sistentes Duci, perpetrare licentiùs deteriora? facilè autem custodiet omne vulgus, quamuìs indomiti exercitus, quod homines Duci valde familiares seruauerint. Caueat ergo, & diligenter caueat, ne quis hominum suorum miseris noceat; & dum se bonum putat, malus propter malos putetur; quibus aut fauere dicendus est aut consentire, quando ipso præsente talia gesserint, qualia etiamsi ipse non geret, non habere credetur, sed fingere bonitatem. Non potest sapiens Dux excusari de ignorantiâ, quotiens forsitan dixerit; ego nescio, non audiui, nullius ad me querela peruenit. Per ipsum namque quid agatur à suis oportet inquiri; quia nemo eos audet publicis interpellationibus accusare, quorum violentias alij timent, alij patiuntur. Dux ergo perscrutator acerrimus effici nullatenus dubitet, cui ex hac diligentiâ publicæ seueritatis nascatur auctoritas; vt omnino prosit, quando neque à se, neque ab alio sinit quempiam lædi. Potest planè per hanc diligentiam sic adquirere famam bonam: vt etiamsi persona superior lædere voluerit subditos, liberâ intercessione subueniat; & parcendum facilè persuadeat, quibus ipse primò pepercerit.

VIII. Pulchrè autem nos via disputationis ad hunc locum deduxit, vbi necessarium bonis Ducibus diceremus, etiàm suggerendo Principibus, prodesse subiectis. Nouimus enim plurimos, vt placeant potioribus, minùs consulere inferioribus. Ex eorum numero esse arbitror, qui prouinciæ vbi administrant, indigentiam siue tribulationes cælando, saluum nunciant permanere, quicquid aspiciunt lapsum: gloriam suam putantes si mentiantur stare, quod norunt periisse. Coguntur verò vt verbis improbis credulitatem comparent, multiplicare miserorum prouincialium damna; per quæ videantur quasi lucra, sed inimica prorsus reipublicæ, piissimis Principibus prouidere: reparationem potiùs regionis impedientes. Et vbi apparere gestiunt vtiles, ibi sunt prorsus inutiles. Imponendo enim grauiora onera, succumbere faciunt populos fatigatos; nec relinquunt successoribus suis præter luctus & lacrymas. Nolo te istis similem reperiri. Si prodesse diligis non præesse, præsta aliquid dignum memoriâ, quod recordetur posteritas, & temporum tuorum nulla nascatur obliuio. Da operam diuites relinquere, quos inueneris pauperes: abun-

dantiam prouidere, vbi etiàm tu penuriam pertulisti: & si quidem sufficit virtus tua, prouinciam sinè tarditate restaura; si verò piissimi operis inest voluntas, deest facultas, defer hoc ad conscientiam potestatis superioris. Esto testis fidelis alienarum miseriarum. Supplica, obsecra, donec impetres adiutorium. Labora diù petendo, ne alij diuturnas angustias perferant laborando: tu enim iudicaberis præstitisse, quicquid vniuersitati postulante te præstabitur. Noli apparere similis ad horam placere volentibus; qui videntes, aut sentientes, aut interdum etiàm perferentes in prouinciis vbi militant, mala; per relationes falsas nunciant bona: lætissimo nuncio putantes sibi præstari, vt vel vtiles administrationi quam gerunt, vel necessarij videantur. O ingemiscendum nefas! dum quærunt præesse, non cogitant prodesse; sed priuati honoris iniustam potentiam per aliena seruare conantur incommoda. Quos tamen aliquando malignæ ambitionis astutia decipit, dum cœperit fama publica loqui quod tacent, repertíque fuerint in suâ professione mendaces. Auertat Deus hanc dementiam semper, & hos mores à Ducibus optimis, qui prodesse diligunt non præesse.

QVARTA REGVLA. DILIGE REMPVBLICAM SICVT TEIPSVM.

IX. Tunc enim respublica bene gubernatur, & de magnis potest liberari periculis, si Dux eius tantùm eam diligat, quantum seipsum. Manifesta quippe sententia est veteris legis; *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: quam noui testamenti prædicator idoneus ita repetendo confirmat & innouat Paulus; *Omnis* inquiens, *lex in vno sermone completur; in eo quòd diligis proximum tuum sicut teipsum*. Quis autem melior proximus æstimandus est Duci sapientissimo quàm respublica, cuius ei & negotia, & status, salúsque committitur? Diligat ergo eam sicut seipsum, quia diligendo eam sicut seipsum, desiderabit eam videre pacificam, quietam, fructiferam, sine aliquâ perturbatione tranquillam. Sicut ipse vtique quantùm potest nititur, vt pacificus, quietus, opulentus, & sine aliquâ sit perturbatione tranquillus. Ingredere igitur tu, virorum optime, quotiens cogitas qualis esse in actibus militaribus debeas, ingredere conscientiæ tuæ latissima penetralia. Vide ibi quomodò cupias habere lætitiam; & diligenter caue, vt respublica, quam diligis sicut teipsum, nullam possit pati tristitiam.

Leuit. 19. 18.

Galat. 5. 14.

Considera, quia nec damnum tibi vis euenire, nec dolorem, nec dedecus: & ab istis malis eripere festina rempublicam. Si displicet tibi quando ipse priuatim violentiam pateris, odire debes quorum violentiis respublica tribulatur. Si rapinas bonorum tuorum tolerare formidas, consuetudinem rapiendi tolle raptoribus. Si detestaris, & inimicum veraciter putas, quicumque te falsis accusationibus appetiuerit, execrabiles iudica prouinciæ totius accusatores. An forsitan difficile arbitraris, vt patiatur accusatores tota prouincia? Mihi crede, sæpius patitur. Accusatores eius sunt ambitores, quibus vt potestas detur opprimere pauperes, impossibilia pollicentur; & desolatis, belli quoque incursu iam perditis regionibus, statum pristinæ stabilitatis ascribunt; adhuc vigere cuncta mentientes, adhuc posse non functiones solitas, sed noua quoque si adiiciantur, tributorum pondera sustinere. Culpant autem susurris absconditis ministros fiscalis exactionis, desidésque eos, aut nimiùm remissos, voluntariè nulla prouidere lucra reipublicæ mentiuntur: Sibi verò dum commissa fuerit actio, per nimiam fidelémque diligentiam cuncta effici prospera. Sed (ô pertinax cupiditas!) diligentia eorum crudelitas, ratio deprædatio meliùs appellatur. Ideò cupiunt emere grauissimas actiones, quia cogitant vendere: promittunt falsa, vt vera subripiant: blandiuntur vt noceant: piam quasi sollicitudinem pro vtilitatibus publicis gerunt, sed affligere simul omnia, & deteriorare moliuntur. Euertere cupiunt, non gubernare, dissipare non custodire, deuorare non pascere. Materiam seditionibus, incrementa miseriis, causam fletibus subministrant. Hoc agentes, cum prouinciâ prope mortuâ, ne tardiùs moriatur. Sepi aures tuas spinis, ne audias vocem malignè loquentium. Quando eos conspicis agrorum laudare fertilitatem, nunciare abundantiam pluuiarum, loca frequẽter amœna depingere, time fabulam blandam. Sermo huiusmodi viscus est, hærere ibi nullatenus debet boni Ducis voluntas. Nec requirendum censeas, vtrùm aliquid veraciter narrent: artifici enim consuetudine vitiorum non minùs cauti ad nocendum, licèt sciant omnia deperiisse, quærunt tamen aliquanta loca satis rara, quæ misericordiâ Domini protegente, meruerunt vel illæsa seruari, vel forsitàn parum lædi.

Quorum nomina commendata memoriæ frequentiùs recitantes, comparatione eorum magnitudinem generalis calamitatis extenuant, & dicunt, (sicut probare sinè dubio potuistis,) His functionibus prouincia sufficit: ille enim locus tantùm habet vtilitatis. O miseri quorum os locutũ est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis! Si bono suo apertos habent oculos vnde populus gemit? Aspiciant si statera iusta sit in labiis eorum. Priùs numerent quanta perierint, postmodùm quanta remanserint. An ibi nihil vident, vbì pietas indigetur; & hoc luminibus sollicitis notant, vnde inuidia generetur?

X. Longè fac viam tuam ab illis; domum tuam semper inueniant clausam. Displiceant tibi noxia suggerentes, & se displicuisse cognoscant. Ipsis quippe adhæret familiariter etiam turba pessima delatorum, qui latenti murmure Ducibus optimis facultates insinuant alienas; vt laqueis auaritiæ captiuati, piæ administrationis perdant opinionem, si acquiescant improbis suasionibus, & cogitent quæ sibi nunciantur, auferre. Quid aliud nisi calumnia innocentibus hominibus excitatur? Detestabile profectò genus humanum, nimisque abominabile, delatores. In cuius prætorio minimè emerserint, ipse diligit rempublicam sicut seipsum; nolens aliis facere quod ipse pati noluerit. Hæc enim quarta est innocentiæ regula militaribus actibus occupato, quam tenes & tenere firmiter debes. Vt diligas rempublicam sicut teipsum, caritate libetâ. Cuius abundanti repletus dulcedine Moyses, dum videret populum Israël, rempublicam scilicet suam peccasse omnipotenti Deo, timerétque iustissimi iudicis futuram seueritatem, sic placare arripuit irascentem. *Obsecro*, inquit, *Domine, si dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo, quem scripserunt manus tuæ.* Consideremus quid proderat Moysi alios saluos facere, si periret. Sed quia rempublicam diligebat semper sicut seipsum, caritatis huius sacrificio Deum placauit; & nec ipse periit, nec populum quem regebat, perire permisit. Hunc David sanctus æquali virtute dilectionis imitatus, percutiente Angelo ciuitatem; *Conuertatur*, inquit, *manus tua in me, & domum patris mei. Isti qui oues sunt, quid fecerunt?* Da hominem qui rempublicam sic diligat, & videbis quantùm Deo placeat, etiam militaribus actibus occupatus.

Exod. 32. 31.

2. Reg. 24. 17.

Profectò dignus es, vt talium similis viuas paratus laborare pro requie subiectorum; paratus etiàm mortem subire, si permiserit Deus, vt de mortis periculo tibi subditos liberes. Plùs time, Dux optime, prouinciam fieri deteriorem, quàm teipsum minuentibus opibus pauperiorem: diuitias inæstimabiles iudica famam bonam. Verumtamen quia omnis homo qui diligit seipsum, plùs debet diligere Deum quàm seipsum, (alioqui minùs diligens Deum, non diligit, sed odit seipsum;) quicumque diligit rempublicam sicut seipsum, plùs diligat Deum quam rempublicam, diuináque negotia præponat humanis.

XI. Et hæc erit quinta regula innocentiæ militaribus actibus occupato, sic considerare temporalia, vt plùs attendat æterna; sic consulere præsentibus actibus, vt plùs de futuris cogitet præmiis. Euenit enim frequenter, quod ignorare non potes, sapientiæ spiritu cuncta reuelante sensibus tuis, vt aliquid fieri necessitas cogat, quod æterna lex prohibet. Verbi gratiâ, ne incognita proferamus exempla: Si plures in exercitu fortissimo reperiantur hæretici, infidelitatis sententiam falsam pertinaci animositate vendicantes, & propter hoc hæreticis parcere vel consulere Dux catholicus suadeatur; aut nefandi erroris prædicatoribus, exercendarum licentiam tribuere blasphemiarum; patienter ferens, propter scandalum quod pati formidat, etiam eos lauacro secundi baptismatis pollui, iam semel renatos; Nempe tam malæ suasioni consentiens, licèt aliquam videatur vtilitatem bonorum temporalium præstitisse subiectis, sibi interim nocuit; dum de adiutorio Dei minùs sperasse iudicatus, interdum deteriora quàm formidat pericula tolerat; & nec in suâ fide constans, exercet competenter zelum religionis, nec euadit ruinam grauissimæ tribulationis; quia præposuit terrena cælestibus, & voluntatem Creatoris offendere nullatenus dubitauit, placere volens hominibus mente corruptis. Beatus ergo eris si militaribus actibus occupatus, pro fide verâ quam tenes, nemini blandiaris; & aduersùs eam canes procedentes ex officinâ mendacij latrare prohibeas. Spem tuam ponens in illo, cuius potestati nemo resistit impunè: quem si offenderis, sine causâ de multitudine præsumis exercitus; si habueris propitium, neque mi-

QVINTA REGVLA. HVMANIS DIVINA PRÆPONE.

litem superbum, neque violentum timebis hostem. Principaliter ergo cura tibi sit occupato militaribus actibus, vt fides catholica semper vincat aduersarios suos. Hanc defende inter arma & gladios: hanc persuade mentibus armatorum.

XII. Fides autem catholica est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam contrà Arrium substantiam, vel essentiam, tres aduersùs Sabellium prædicare personas; vt cùm benè intellecta fuerit in essentiâ vnitas, in personis proprietas, vera quoque in maiestate adoretur æqualitas. Tres enim sunt, quia alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Sed hi tres vnum sunt, & summè vnum sunt; quia singillatim Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: neque tamen tres dij, sed vnus est Deus, de quo Scriptura sancta dicit: *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Suspicionem namque solitarij Dei remouet Trinitas, & vnum Deum credentibus ostendit vna substantia. Non sic vna vt per singulos semiplena, in omnibus fiat tota, & ideò sit vna; sed vna numero, genere, virtute, plenitudine. Quam sicut habet in omnibus, ita non caret in singulis. Tanta in solo Patre, quanta in Filio & Spiritu sancto. Tanta in solo Filio, quanta in Patre & Spiritu sancto. Tanta in Spiritu sancto, quanta in Patre & Filio. Tanta postremò in singulis eorum, quanta in duobus. Tanta in duobus, quanta in tribus. Tanta in tribus, quanta in singulis. Nihil quippe est ibi gradibus ordinatum, nihil qualitate diuersum, nihil quantitate minimum, nihil loco separatum, nihil tempore posterius, nihil inefficax, nihil passibile. Vbi hoc tantummodò recipit distinctionem, quòd adinuicem sibi sunt; Pater scilicet ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad eos, de quibus & cum quibus & Spiritus & sanctus est; vt ipse solus in Trinitate appelletur sanctus; propriúmque sit Patris generare, proprium Filij nasci, proprium Spiritus sancti de vtroque procedere. Pater quippe vnius Filij est Pater, Filius vnius Patris est Filius, Spiritus sanctus & Patris & Filíj est Spiritus. Ad solum Patrem generatio, ad solum Filium natiuitas, ad solum Spiritum sanctum pertinet de vtroque processio. Meritò dum salutis nostræ necessitas expectaret, vt propter homines liberãdos, Deus homo nasceretur ex homine, non est natus secundùm carnem Pater, quia Filius numquam fuit;

Deut. 6. 4.

non Spiritus ſanctus, qui nec Pater fuit aliquando nec Filius. Sed natus eſt Filius, vt ipſe fieret Filius virginis matris, qui eſt Filius Dei Patris: & per temporalem natiuitatem Dei omnipotentis, numerus nullo modo creſceret filiorum: neque duos filios faceret vnici Filij ſecunda natiuitas. Maximè, quia idem ipſe vnus Filius, ſempiterno Patri coæternus, conſubſtantialis, æqualis, quem ſolum oportebat etiàm filium hominis fieri: poſtquàm venit plenitudo temporis, vt vir fieret ex muliere, redempturus viros ac mulieres, in vno ſexu temporaliter natus vt vtrumque ſaluaret: vnum eligendo in quo naſceretur, alium vnde naſceretur. Ita ſuſcepit ſubſtantiæ noſtræ veritatem, ne perſonæ ſuæ duplicaret ſingularitatem, duarum ſubſtantiarum gigas, ſed vnius tamen eiuſdémque perſonæ. Verbum quippe ante carnem, vna natura, & vna perſona: Verbum caro factum, duæ naturæ, & vna perſona. Verbum ante carnem, homouſion Patri: Verbum caro factum, homouſion & Patri & matri. Verbum ante carnem ſine initio temporis ineffabiliter genitus: Verbum caro factum, poſtquàm venit plenitudo temporis, mirabiliter & ſingulariter, ſinè morbo libidinis procreatus. Verbum ante carnem, nouum fabricans mundum: Verbum caro factum, pereuntem redimens mundum. Verbum ante carnem, diuina faciens: Verbum caro factum, ſimul & diuina faciens, & humana, quomodò voluit, patiens. Verbum ante carnem, vnigenitus Deus. Verbum caro factum, Emmanuel, quod interpretatur Nobiſcum Deus. Idem tamen ipſe, Verbum caro factum, qui priùs in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: quia non homo Deus, ſed Deus factus eſt homo, vt homo eſſet Deus, id eſt Chriſtus Ieſus. *Qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quòd & Deus illum exaltauit, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.*

Philip. 2. 6.

XIII. Hic eſt Dominus Ieſus, qui in Trinitate perfectâ Fi-

lius nominatur, quando in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizari iubemur. Hic est magnus & paruus, excelsus & humilis, impassibilis & passibilis, immortalis & mortalis, sinè peccato inter homines viuens & peccata hominibus donans: per omnia similis nobis absque peccato, & per omnia similis Patri, qui nobis eum misit, in similitudinem carnis peccati: & de peccato damnauit peccatum in carne. Veraciter & propriè Filius Dei Patris: veraciter & propriè Filius Virginis matris. Super cœlos vita viuentium, super terram medicina languentium, apud inferos resurrectio mortuorum. Mediator Dei & hominum, propter duas substantias, siue naturas, quarum est illi vna cum Deo, altera nobiscum communis. In vnâ eâdemque personâ, in quâ verus factus est mediator, non habens initium deitatis de Mariâ; sed habens inde materiam carnis quam suscepit vt nasceretur. Habens nostri generis carnem, non aëriam, non phantasticam, non de cœlo depositam, non aliunde factam: quamuis humanam, nullis sordibus originalis iniquitatis ex aliquâ parte pollutam: non ex voluptate carnis & sanguinis, sed Spiritus sancti superueniente virtute formatam, rationalisque animæ inspiratione viuificatam. Propriè ac veraciter humanam, idest de matre, sed tamen sine homine patre. Corruptibilem, quia famem, sitim, dolorem, mortem voluntarie quidem, sed tamen veraciter sensit. Incorruptibilem, quia nullius in se delicti, vel originalis, vel proprij stimulum sentiens, iniquitati nullâ victus cupiditate consensit; nec sepulta potuit peruenire ad corruptionem putredinis, beneficio resurrectionis: quando portans manubias inferorum surrexit idem ipse semper vnus Christus, per quadraginta dies cum discipulis conuersaturus, & sic ad cælum mirabiliter ascensurus. Vbi modò ad dexteram Patris sedet, venturus in claritate, qui priùs venerat in humilitate: iudicaturus viuos & mortuos, & damnaturus incredulos; credentibus verò remissionem peccatorum largiturus, æternámque vitam; si tamen in Ecclesiâ catholicâ perseuerauerint ab omnium vitiorũ contagione mundati. Catholica quippe Ecclesia statio est, vbi vulnera nostra bonus medic⁹ sanat. Filius est promissionis, quisquis eam vsque ad effusionẽ sanguinis vindicat.

XIV. Propterea, Dux optime & fidelis, tene omnia dog-

mata eius, prædica, vindica, duc ad eam volentes, compelle , non dolore suppliciorum, non metu gladii sæuientis, sed modestâ correptione, & seueritate plenâ dilectionis. Procul absit timor diabolo militans. Sciant hæretici quia catholicus es: sciant catholici, quia detestaris hæreticos. Deficiat temporibus administrationis tuæ peccantium synagoga, crescat numerus electorum. Si gloriosus efficitur, cuius labore dilatantur fines imperii, quantò erit gloriosor, cuius labore catholica multiplicatur Ecclesia? Gaude ad lucra Christi, dole in dispendiis. Sempérque in corde tuo maneat Apostoli Petri sententia, Iudeorum Principes sub hac interrogatione culpantis; *Cui*, inquit, *obedire oportet? Deo an hominibus*. Hoc itaque tu Dux fidelis, quotiens fidei tuæ feruor profanos milites scandalizat, ore & corde dic; Cui obedire oportet? Deo an hominibus? Respondente autem conscientiâ tuâ, Deo; loquere, fac, ordina quod diligit Deus; Vt quicumque iam contrarii veritatis existunt, aut sequantur volentes, aut remaneant murmurantes, & nihil aduersùs ortodoxam religionem valentes. Neque enim deesse poterunt ex alterâ parte, quibus placeas in opere bono, quorum corda tibi tenaciùs inhæreāt. Vbique habet fides vera dilectores suos. Quantumlibet extollatur iniquitas, veritas vincit. Sed pone sint forsitan in multitudine exercitus plures hæretici, pauci catholici: Magìs te oportet viribus fortissimis niti, vt si gratia Dei respexerit, omnes milites fortissimos facias catholicos, aut certè paucos dimittas hæreticos. Parum adhuc loquor. Ad illas fortasse missus es regiones, vbi nullum reperias ortodoxum, vel certè rarissimos ac latentes. Ibiquoque viriliter semina verbū vitæ ad gloriam Christi: redargue multitudinem perfidorum sinè verecundiâ, sinè formidine, sinè dubitatione: nec priùs cogites, quomodò eos regas imperialibus legibus, sed quomodò corrigas eloquiis spiritalibus: territósque nomine auctoritatis, primitus doctrinæ sanctæ repugnare prohibeas, deinde paulatim consentire suadeas. Vtile tibi est recta sentire, si alios quoque non deseras in prauitate. Boni Ducis instantia plerumque multis præbuit occasionē salutis. Sed si forsitan desperas illos posse saluari, bonum est saluti conuenientia prædicare, quia voluntatem Deus coronat, non facultatem. Semi-

Act. 5. 29.

nare pertinet ad officium diligentis agricolæ: superni est muneris vt terra fructificet, votisque cultoris sui respondeat. Hac planè circa subditos vsus industriâ facilè etiam potestatibus sublimibus, & ipsis quorum munere Dux effectus es Regibus, si qua fortè contraria veræ fidei senserint, & non cedere poteris, & repugnare, paratus ad martyrium disces. Alioqui qui metuens inferiores offendere, minùs exequitur causam propriæ religionis, quomodò merebitur cum Prophetâ Dauid canere; *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar*?

Psal. 118. 46.

XV. O si boni Duces inciperent humanis diuina præponere, maximis erroribus remedia prouiderent. Latè patet virtus ista per plura & plura iustitiæ itinera funditur. Humanis diuina præpone; & vidua oppressionem non perferat, propter spem lucri prætereuntis. Pupilli substantia tutoris minimè indigeat beneficio: pessimam victoriam iniustus litigator amittat. Sacerdotum postulationibus libenter patescat auditus. Frequentetur oratio. Lectionis studium, quamuis vndique occupationibus irruentibus, igne desiderii spiritalis (remotâ tepiditate) feruescat. Quare enim Dux optimus opprimit viduam? quare pupillum lædi sinit? quare pro iniusto litigatore iudicat? quare difficilè aut rarò ad ecclesiam pergit? quare non legit? nisi quia diuinis humana præponit? Præpone ergo diuina semper humanis; omnia tibi religiosæ voluntatis & opera & verba, quamuis inter militares actus salua erunt. Eleemosynarum verò sacrificium quis ita posset offerre sicut Dux optimus? cui magnitudo potestatis abundantes præbet occasiones misericordiæ tribuendæ; si tamen diuina præponat humanis. An inaniter Daniel Propheta Nabuchodonosor dicit; *Consilium meum placeat tibi Rex, & peccata tua eleemosynis redime, & iniustitias tuas miserationibus pauperum; & erit Deus parcens peccatis tuis?* nisi quoniam potentioribus potentior est facilitas eleemosynarum? Quibus etiàm secundum genus eleemosynæ ampliùs operari possibile est; ignoscere scilicet delinquentibus? Ipsi enim magis laudabiliter veniam donant, quorum iracundia nuncius mortis est. Ipsi gloriosiùs diligunt inimicos, quibus exigere vindictam sanguinis licet. Vtraque opera misericordiæ in potestate habes, si

Daniel. 4. 24.

diuina præponas humanis. Et in hoc maximè agnosceris humanis diuina præponere, quando nulli fallaciter iuras, nec subdolo sacramento decipis aliquem. Licèt hostis sit antiquus, licèt immania * reipublicæ infixerit visceribus, non videtur falsâ iuratione fallendus; etiàm si vita eius impediat, mors proficiat paci; nec si quidem Dux optime compellaris falsum iurare. Sic vni homini, sic populo, sic plurimis gentibus, cum quibus bella gerenda susceperis; aut sinè iuramento perseuerans, adsume certamen; aut nullatenus audeas violati sacramenti facinore perpetrato, rempublicam liberare, vel adiuuare. Quid enim prodest ei vincere, quem diabolus vicit, vt victoriæ spe falsum iuraret? Bonum est vt semper humanis diuina præponas, & voce Sancti Iob liberè, libenter loquaris; *Sicuti pendentes super me fluctus maris, ita timui Deum.* Propter hoc Psalmista dum caneret; *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondet sibi ex personâ Dei talibus verbis; *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximum: qui iurat proximo suo, & non decipit.* Ille ergo habitabit in tabernaculo Domini, & requiescet in monte sancto eius, qui iurat proximo suo & non decipit. Ille autem iurat proximo suo & non decipit, qui quodcumque iurat sermonibus, implet operibus. Nemo autem putet, hostem cui iurat, non debere proximum deputari; propter hoc enim iuratur, vt proximus reputetur. Ex quo igitur vult amicus effici, legémque pacis amplectitur, iam proximus est: & iam qui ei fideliter iurat, proximo suo iurat, & non decipit.

* Videtur hic leg. *vulnera.*

Iob. 31. 23.

Psal. 14. 1.

v. 3.

XVI. Pessimum nefas falsa iuratio, & si paulò altiùs consideres, inutilis semper, maximè exercitum gubernantibus. Mutabilia enim iuuenum corda, sacramenti vinculo frequenter ligantur, vt fide stabili bella suscipiant: & tunc firma sit securitas Ducibus, si religionis timor iurare falsum non sinat milites. Quàm graue itaque & quam perniciosum, vt videant, vel sentiant solui facilè sacramentum; Ducísque sui inuitentur exemplo, leue æstimare periurium? Quicquid proinde iuramento intercedente confirmas, ratum semper obserua; siue inimico gratiam, siue veniam reo, siue laborantibus tecum

præmia pollicearis; & hoc adhibitâ inuocatione nominis Dei, credibile facias operando; nullius vtilitatis consideratione, nullius periculi formidine debes irritum facere. Fixus sit & immutabilis sermo, cuius fidei testis est adhibitus Deus. Vna planè causa soluendæ iurationis existit, si aliquid iratus iuraueris, vnde possis Deum per quem iuras, offendere. Verbi gratiâ; si tibi pro delinquentibus nunquàm posse satisfieri terribiliter iures; si interitum ciuitati, vel populo iurans mineris; si penitùs in ecclesiâ non orandum, vel alia quæ diuinus timor prohibet, humanæ tentationis ad præsens victus infirmitate, iuraueris exequenda; tunc planè non est perficienda iuratio: quia non ibi diuinis humana præponis, sed diuina potiùs contemplaris; vt magìs sic te iurasse pœniteat, dum complere quod iuraueris pudet. Etiàm sic quippe diuina præponuntur humanis, illorúmque verborum teneri incipiet regula, quæ vetans homines citò iurare, immò nunquàm volens iurare;

Matth. 5. 34. *Nolite*, ait in Euangelio, *iurare, neque per cælum, neque per terram: sit autem sermo vester, est est, non non.* Quæ vtique quisquis operatur, imitator existit ipsius Filij Dei, de quo Beatus ita

2. Cor. 1. 18. loquitur Paulus; *Non est in illo, est, & non;* sed, est, in illo fuit semper. Immutabilis quippe est, sicut verus Deus, & cum Patre & Spiritu sancto naturaliter vnus Deus. Cuius nomen in-

Exod. 3. 14. quirens fidelissimus Moyses, voce sibi cælitus redditâ tremebundus audiuit; *Ego sum qui sum. Et dices filijs Israël; Qui est misit me ad vos.* Profectò magna est gloria in eo manere qui est, eum sequi qui est: & quia nos mutabiles facit infirma natura, nec possumus immutabili Deo per æqualem potentiam comparari, vt sicut semper in nobis est, ità & nos in illo valeamus esse; sit saltem sermo noster, est est, non non; & siue iuramento intercedente, siue cessante, nitamur in veritate certissimi permanere. Diuina namque est veritas: vnde multùm ve-

Ioan. 14. 6. raciter Dei Filius dixit; *Ego sum veritas.* Et sicut de caritate recordamur Iohannem dixisse; *Qui manet in caritate, in Deo*

1. Ioan. 4. 16. *manet, & Deus in illo manet.* Ita similiter si velimus dicere, non mentimur; Qui manet in veritate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Præponamus igitur veritatem cunctis vtilitatibus temporalibus, & tunc ritè inueniemur humanis diuina præponere. Veritatem planè nobis aut ratio manifestè de-

monſtret, aut Scriptura diuinitus inſpirata commendet, aut Sacerdotum doctrina fidelis oſtendat. Sub ſpecie enim veritatis plerumque falſitas vindicatur; & niſi adſit bonis Ducibus pia cordis humilitas, vt quotiens requirunt veritatem, ſæcularis dignitatis remoueant poteſtatem, miſerabiliter anteponentur humana diuinis; vt temerè audeat, quamuis Dux, tamen Eccleſiæ diſcipulus, Eccleſiam docere; nec iudicia ſequi Sacerdotum, ſed velle potiùs de ſacerdotalibus iudicare iudiciis.

XVII. Occaſione quâdam venimus ad hunc locum, quantùm arbitror neceſſarium volenti ſemper humanis diuina præponere. Vt Dux bonus, in omnibus quidem, ſi piè ſapis, Eccleſiam conſulas, Sacerdotibus obedire feſtines, ſine illorum conſilio nihil geras, quorum precibus adiuuaris. Præcipuè tamen inter officia religionis, ſolam diſcas obedientiam deferre: & ſi quando aliquis ſcrupulus mentem mouet, non ſequaris facilè ſententiam propriam, nec aliis perſuadere coneris, niſi priùs eam Sacerdotibus agnoueris placuiſſe. Memento quid tibi in Deuteronomio Deus loquatur. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; presbyteros tuos, & dicent tibi omnia.* Conſule ergo quos Deus ſcientiæ Dominus conſuli debere commonuit. Etiámſi tibi ſcientiæ plenitudo, ſi facultas maioris eloquij ſuppetat; inclinatâ ceruice ad humilitatis ſanctæ propoſitum, conſule Sacerdotes. Conſule autem piè quærendo, non violenter quid reſpondeant imperando. Nec tibi vnquam placeat in prouinciis, vbi ducatum geris, canonum decreta reſcindere. Si enim publicas leges tranſgredi metuis quas homo conſtituit, quomodò Spiritus ſancti definitionibus obuiare tentabis? An ignoras quia Spiritu ſancto acti locuti ſunt Patres, quorum ſi iuſſa reſcindimus, loquenti per eos contumeliam ingerimus: poterítque forſitan apoſtolica nobis increpatio competenter aptari, *Zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.* Volens ergo habere zelum Dei ſecundùm ſcientiam, tene ordinem rectum, caue peruerſum. Rectus ordo eſt vt Sacerdotes doceant, laici doceantur: & omnis qui ſe ad Eccleſiam pertinere gloriatur, legibus viuat Eccleſiæ: maximè his quas antiquitas roborauit; vnde etiam conſuetudo

Deut. 32. 7.

Rom. 10. 2.

sinè lege, quam tamen Ecclesiæ sanctæ traditio custodiendam iugiter posteris tradidit, eâdem reuerentiâ videtur custodienda, & nullatenus amouenda si non est fidei veræ contraria. Nec offendat animos tuos Ecclesiarum consuetudo diuersa, dum fides est vna. Paruulis enim mentibus, ac penè stultis, hoc inrepit vitium, consuetudinem suæ Ecclesiæ, vbi vel natus, vel enutritus, in aliis Ecclesiis quærere; & si aliquam dissonantiam consuetudinis viderit, patitur repentè scandalum fidei. Tu verò vir sapiens, Ecclesiæ ad quam perueneris si approbas fidem, sequere statim consuetudinem; nec vsurpes aliquam sacri ritus facere nouitatem. Si enim te scandalizat mutata consuetudo, potest similiter populum scandalizare, cuius voluntatem sibi Dux optimus in rebus bonis semper conciliare festinat; apostolica verba frequentiùs recolens, vbi scriptum habes; *Sine offensione estote, Iudæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei.* Meliùs igitur videtur, ne quod offendiculum detur euangelio Christi, multitudine scandalizatâ populi Christiani, patienter Dux sapiens offensionem tuam toleres, donec alterius consuetudinis (in quo offenderis), aut rationem quoquo modo capias, aut suscipias dilectionem; si tamen, vt sæpè dicendum est, nullum timetur periculum fidei. Quod enim fidei non repugnat, hoc solum debet æquanimiter sustineri, pro scandalo scilicet populi: quia & hoc vtique ad custodiam pertinet fidei, vitare scandalum populi. Populus quippe scandalizatus facilè ad schismata prosilit: & scis quomodò omnis fides periclitetur in schismate. Bonum itaque est, vt te fauente, te consentiente, & nullatenus prohibente, secundùm piissimas Patrum definitiones vnaquæque Ecclesia consuetudinem suam sequatur: & tu illius consuetudinis particeps efficiaris, quam tenet Ecclesia, vbi pro tempore, vel administrationis necessitate fueris conuersatus. Alioquin diligere solita, & horrere vehementer insolita, nimia est iustitia, non laude, sed reprehensione dignissima; si placet sapientissimi sententia Salomonis; *Noli esse iustus multùm, neque sapias plusquàm necesse est. Ne obstupescas.* Quid est; Ne obstupescas? Ne remaneas frigidus. Quis remanet frigidus? Cui feruor subtrahitur caritatis. Noli ergo esse multùm iustus.

1. Cor. 10. 32.

Eccle. 7. 17.

SEXTA REGVLA. NOLI

XVIII. Et hæc tibi sexta sit innocentiæ regula, militaribus

actibus

actibus occupato. Quicquid enim dixeris, gesseris, disposueris, vt Deo & hominibus placeas, & feruore caritatis mirabiliter iniquitatis frigus excludas; noli esse multùm iustus, neque sapiens plusquàm necesse est. Incurrit quispiam grauissimi facinoris culpam, meretur iudicialem sentire censuram: tempera, Dux optime, impetum seueritatis; & dum reo supplicia inferuntur, interioribus auribus pietas dicat; *Noli esse multùm iustus* Amicitiæ alius immemor, debita exhibere neglexit officia, dignus est abiici, meretur sentire asperam læsionem. Cohibe obsecro rectum dolorem, noli retribuere similia. Ne æstimes quasi inimicum, sed corripe adhuc velut amicum; respondente tibi sapientissimo Salomone; *Noli esse multùm iustus*. Esto ergo iustus, sed noli esse multùm iustus. Esto iustus, vt corripias inquietos: noli esse multùm iustus; vt consoleris pusillanimes, vt suscipias infirmos, & patiens sis ad omnes. Considera quibus imperes, & quàm dura corda flectere cupias; vt modò minando, modò feriendo, modò veniam largiendo, nullatenus quidem remanere impunita militum peccata dimittas, neque tamen semper excessibus eorum supplicia condigna retribuas, dicens tibi ipsi; *Noli esse multùm iustus*. O quanta Dux sapientissime, dissimulanda sunt, quanta toleranda, quanta leuiter adtingenda, quanta Sacerdotum quoque intercessionibus concedenda, ab illo qui sapienter audit; *Noli esse multùm iustus*! Potes alia atque alia tacitus considerare vitiorum genera, quibus sanandis remedium voluit præuidere qui dixit; *Noli esse multùm iustus*. Inter alia quippe, detractionis absconditoiaculo neminem vulnerabimus, nec in moribus bene viuentium sollicitiùs inquiremus, vnde culpentur, si loquatur vnicuique nostrum per Spiritum sanctum fidelis Scriptura; *Noli esse multùm iustus*. Quia vtique multùm iustus esse culpabiliter nititur, qui per omnem iustitiam, proximi examinat vitam, fragilitatis humanæ consideratione postpositâ; tanquam sine peccato valeat viuere quisquis incipit peccata vitare; præsertim Iacobo Apostolo confirmante: *In multis enim offendimus omnes*: vnde non immeritò reuocatur superbus detractor ab elatione iudicandi, cùm dicitur ei: *Noli esse multùm iustus*; vt libenter impleat, quod vas electionis & Doctor gentium loquitur Paulus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, *vos*

ESSE MVLTVM IVSTVS.

Ecclef. 7. 17.

Iacob. 3. 2.

Gal. 6. 1.

qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis; considerans teipsum, ne & tu tenteris. Hoc est itaque; *Noli esse multùm iustus,* quod est; *Considera teipsum, ne & tu tenteris.* Cæterum qui sic delinquentibus irascitur, quasi ipse delictorum penitùs expers habeatur, continuò in baratrum crudelitatis miserabiliter cadit. Et clamante memorato Apostolo: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi,* nullius onus portans per patientiam, fit importabilis omnibus, paulatímque odio crescente multorum, ianuam primitus seditionibus, deinde publicis aperit prælijs; cupiendo esse multùm iustus, verè factus iniustus, & nomine aut officio Ducis indignus. Necessarium proinde sermonem, Dux optime, sæpius repeto, & hanc tibi sextam regulam innocentiæ militaribus actibus occupato vehementer inculco: *Noli esse multùm iustus. Pietas ad omnia vtilis est;* non ego, sed idem sanctissimus Paulus narrat. Licèt iustitia faciat Ducem terribilem, pietas facit amabilem. Gubernationi autem reipublicæ, securitati salutis, bono concordiæ plùs prospicitur, quando Dux optimus amari eligit, non timeri. Dux amabilis, murus est patriæ. Qui verò in omni tempore, continuato vigore metuendus apparet, omnes subditos efficit infideles; facilè timet proditionem, facilius patitur; extraneus viuit inter suos: tantùm postremò timet, quantùm timetur: & hoc infelicitatis flagello nullatenus caret, nisi cunctis mansuetus & comis effectus, didicerit sibi quando alterum iudicat dicere: *Noli esse iustus multùm.*

Gal. 6. 2.

1. Tim. 4. 8.

SEPTIMA REGVLA. MEMENTO TE ESSE CHRISTIANVM.

XIX. Memento te esse Christianum, quò faciliùs possis præcepta Christi seruare. Christus enim mansuetudinem docens, legis quoque iustitiam temperauit; hac distinctione legem, euangeliúmque discernens. Et quia in lege non licebat occidere, non licebit in euangelio vel irasci. In lege namque adulterium vetabatur: in euangelio, etiàm videre ad concupiscendum mulierem pars esse perpetrati adulterij iudicatur. In lege libellus repudij sufficiebat ad coniuges separandos: in euangelio, sine fornicationis crimine nulla matrimonij diuidendi causa permittitur. Prohibuit lex falsum iurare: iussit euangelium penitùs non iurare. Vindictæ modum lex statuens, dixit antiquis: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Discipulos verò euangelij, nullam voluit Christus expectare vin-

Leuit. 24. 20.

dictam, sed percussum semel, percutienti monuit alteram præbere maxillam. Mille passus angariatum, duo millia ambulare præcepit, interdicens omnimodis talionem. Lex inimicis odium retribui permisit, dilectionem verò amicis indulsit: euangelij verò sacra præceptio: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis.* Cùmque his amplioribus virtutibus excellere legi euangelium demonstrasset, à vanâ gloriâ Christianum reuocauit, & ad misericordiam, cui solus Deus testis est, prouocauit. Orationis quoque regulam simul & verba credentibus tradens, hac conditione constrixit orantes: vt quicumque postulat sibi propria debita relaxari, profiteatur se aliena donare: nihil accepturus à Domino, si nihil voluerit præstare conseruo. Quia & ieiuni Christiani simplicitas iustum iudicem placat: & ibi congregare diuitias, vbi cor habere iubetur: in cœlo scilicet vbi habitare festinat, non in terrâ vnde per singulos dies migrat: remansurus in tenebris totus, nisi mentis eius intentio, tanquàm oculus corporis, ad illuminanda bonorum operum membra simpliciter luceat. Iam verò quòd non seruire duobus dominis admonetur: quòd de crastino non cogitare: quòd non iudicare, ne iudicetur: quod in oculo fratris stipulam videre, in suo trabem non videre culpatur: & imperatur ei, ne sanctum canibus det, ne margaritas mittere audeat ante porcos: petiturus vt accipiat, quæsiturus vt inueniat, pulsaturus vt aperiatur ei: multis modis, & rationibus demonstratur, quantùm debeat laudabilis propositi curam gerere Christianus, ne in eo tanti vocabuli dignitas videatur errare.

Matth. 5. 44.

XX. Propterea vt per singula quæ superiùs ex Euangelio inseruimus, recurrat intentio: quando te potestas Ducis eiicere gladium de vaginâ compellit, memento te esse Christianum, cui sinè causâ fratri suo irasci non licet: & diutiùs cogita, ne vindicta quam videris inferre, iustum transeat modum. Quoniam si irasci nefas est Christiano, multò magìs occidere. Sic ergo puni reum, Dux Christiane, vt misericorditer feriens, non hominem, sed vitium perdere cupias: & publicam disciplinam, ne pereat, reo pereunte, conseruare festines. Vbique fidei tuæ memor, sicut in facinoribus euitandis, ita in

flagitiis corrigendis. Solet quippe maxima potestas ad pœnas se laxare peccati, quotiens falsa felicitas, ipsa fit maior infelicitas; vt quia prohibere nemo audet scelera committentem, aut libeat quod licet, aut licere putetur omne quod libet. Talibus itaque tentationibus pulsantibus mentem, quamuis suppetat honoris dignitas, clientúmque numerosa familia: quamuis fortè laudetur peccator in desideriis animæ suæ: & qui iniqua gerit, benedicatur: ascendens super speculam continentiæ, memento te esse Christianum. Vide quia videre ad concupiscendum, pars est adulterij Christiano. Dicat tibi Beatus Apostolus: *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Dicat Iob, probatus & non reprobatus: *Ira enim magna, & ignis vndique ardens est*, alterius vxorem concupiscere. Dicat iterum sanctissimus Paulus: *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* His enim vocibus ammonitus, redire poteris facilè à præcipitio voluptatis. Iam quotiens per omnipotentem Deum iuras, cogente ad hoc forsitan reipublicæ magnâ necessitate, memor eris saltem cauere periurium, si minimè potueris effugere iuramentum. Memento itaque, memento te esse Christianum: militiam Ducis laudabiliter gerens, vt frequentibus beneficiis, multos tibi facias amicos, cui diligere præcipitur inimicos. Plus esto bonus, quàm seuerus: quia hæc est Ducis optimi sola perfecta laus, obliuisci semper iniurias: vt verè per hanc septimæ virtutis industriam, dum semper tibi ipse dixeris: Memento te esse Christianum: merearis & in hoc sæculo, & in futuro viuere feliciter, vbi dabitur Ducibus Christianis perpetuus principatus.

Heb. 13. 4.
Iob 31. 11.
1. Cor. 6. 15.

FINIS.

FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI, AD ANATOLIVM DIACONVM VRBIS ROMÆ, EPISTOLA.

De duabus in Christo naturis : & quòd vnus de Trinitate natus, passúsque dici possit.

I. POST epistolam beati Papæ Leonis, & salubria Calchedonensis decreta Concilij, sancte frater Anatoli, non indiget Eutychetis olim damnata perfidia pleniore disputatione conuinci. Sepultus ergo iaceat in cineribus suis nefandæ hæreseos profanus inuentor. Semel illum fulmine anathematis iudicantium Sacerdotum percussit auctoritas : quid opus est iterum cadauer exanime gladio veritatis infici? Doctrinam simul carentem lumine rationis perpetui silentij carcer abscondat. Interdum pessima dogmata dum quasi expugnanda proferuntur, veneno pestifero simplicium corda perturbant. Satiùs est ista nescire, fidémque catholicam supplosis profanis nouitatibus inuiolabilem custodire: manentibus in pristinâ firmitate quæ sunt etiàm synodalibus roborata definitionibus. Aut si magis necessarium putas hæreticorum mendacia semper refelli, linguam meam iussionis tuæ clauibus aperi : festinabo quantùm

gratia posse donauerit, obedire suauiter imperanti. Præbe dexteram boni fauoris, & orationis scuto nudum protegens pectus, in campum liberi certaminis mecum, si ita placet, egredere: contra acies impias, eorum qui malè occisi conantur hæreditatem vindicare damnosam, sinè labore pugnabitur. Nec arma sunt eis noua, nec castra. Muros apostolicæ prædicationis illis volunt adhuc spiculis debellare, quæ signifer hæreticorum iactauit inaniter, præda factus volatilibus cœli. Duo autem, quantùm legimus, erroris sui tela portabat Eutyches, vnde exeuntem de dominico latere tanquàm perfidus miles vulnerare cupiebat Ecclesiam. Negans enim Mariam semper Virginem sancti Spiritus operante virtute, nascituro ex humanis visceribus vnigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, consubstantialem filium matri fateri nolebat: & propter hoc saucians catholicæ vnitatis integritatem, retorti mucronis impetu noxio, Verbi incarnati duas substantias credere dubitans, vnam penitùs abscidebat. Sed ille qui per arma iustitiæ dextrâ & sinistrâ pugnat in suis, vnam quidem sententiam letaliter nocituram continuò viribus euacuatam sic debilitauit, vt vix aliquem modò reperire possis, qui negare audeat Domino Iesu Christo materni corporis veritatem. Plurimos verò personæ vnius singularitas ab opinione duarum substantiarum terret incautos. Vtrisque tamen nos propositionibus, ne contempsisse vestrum videamur imperium, respondemus: & sequentes regulam Patrum, tibi quoque notissima loquemur intrepidi.

II. Bene enim peritiam tuam nosse confido, quoniam si secundùm quod hæreticus sapuit, immò potiùs desipuit, caro Verbi Dei secundùm carnem nascentis à carne Virginis pronunciatur extranea, sine causâ Filius Dei, etiàm filius hominis factus adseritur. Quomodò enim naturaliter filius est hominis, qui originem non habet ex homine? Nullam verò originem habet ex homine, si conceptus in vtero virginali carnem non traxit ex carne? Constat eum sine semine patris materna viscera fœcundasse: sed qualis erit Mariæ fœcunditas, si non sit ex illâ quæ per eam nascitur caro? *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* Iohannes dicit Euangelista. Quæris vnde factum est caro? Beatus Paulus inquisitioni tuæ respondeat.

Ioan. 1. 14.

Postquàm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. Filium ergo suum misit Deus, id est, Verbum suum carnem fecit Deus: sed vnde? Ex muliere. Si igitur ex muliere Verbum caro factum est, caro Verbi indubitanter sumpta est de muliere. Mulier hìc semper virgo Maria, sexus nomine mulier nuncupatur, quæ propterea saluo pudore concepit & peperit Deum, quia de eâ veritatem carnis Deus homo factus accepit. Alioquin si fabricauit sibi creator creandus noui generis carnem, vel ex nihilo, vel vnde voluit, apparere subitò debuit oculis mortalium, * quàm decem mensibus tolerare parui ventris hospitium, cuius magnitudini non sufficit cælum. Quid necessarium fuerat, vt Ioseph sponsus fidelis, videns coniugem castissimam, priusquàm conuenirent, effici genitricem, suspicaretur adulterium, quia nesciebat adhuc cœleste mysterium? Fieret vnigenitus Deus homo sicut sine homine patre, ita sine matre, si nihil ei accipiendum fuit ex matre. Veniret ad filios hominum nullius hominis filius, si nihil habiturus esset commune cum filiis hominum. Repugnat nimis ista sententia, veritatis pudor opprimit considerantem diutiùs. Virgo filium generat mirantibus omnibus, & sterilia remansisse putantur viscera generantis, quia nihil ex se profundunt in membra nascentis? Terra herbas generat insensibiles, nullúsque eis negat terrenæ substantiæ qualitatem, Maria Filium Dei concipit, Filium Dei parit, & in eo non agnoscit suæ substantiæ proprietatem? Tolerabilius profectò peccare iudicabitur quòd Dominum Iesum Christum nihil accepisse suspicans de Maria, tacet etiàm natum: natiuitati enim magnam facit iniuriam, quisquis aliquã facit inter substantiam gignentis & geniti differentiam: redarguente hanc pessimam blasphemiam Doctore gentium, vbi veræ fidei titulo clariore principia epistolæ decoranda cognoscens, hoc sermone cœpit ædificare Romanos; *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.*

Gal. 4. 4.

* Hic subintelligendum est *potius*, vt passim apud antiquos scriptores.

Rom. 1. 1.

III. Dicat nunc hæreticus, quomodò Filius Dei factus est

ex semine Dauid secundùm carnem. Ioseph certè nihil seminauit in Mariâ, cui dicitur ab Angelo; *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Quare ergo Christus ex semine Dauid iterum dicitur? quare ille natus inter homines sine humano semine, factus dicitur ex semine Dauid? Non leuiter, neque perfunctoriè prædicationis huius oportet considerare virtutem. Memor quippe Apostolus doctrinæ suæ, similiter alio quoque loco Timotheum carissimum discipulum monet; *Memor esto*, inquiens, *Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundùm euangelium meum.* Quis proinde inseruit natiuitati eius semen Dauid in substantiâ humanitatis? Vbi potuit fieri de semine Dauid? Si sine homine natus est patre, quâ ratione ergo fieret ex semine Dauid, nisi carnem suscepisset ex matre, quæ pertinebat ad semen Dauid? De semine enim Dauid Maria, & de carne Mariæ Christus; quamuìs sine semine maritali, tamen cum proprietate naturæ. Propter hoc Psalmista cantat prophetico spiritu: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*; quia in manifestâ carnis à se acceptæ substantiâ Maria genuit Dominum suum. Nam si aliunde caro Christi nasceretur, terra, id est Maria, nullatenus daret fructum suum, sed alienum: nec iterum Sanctus Apostolus semen Abrahæ Christum esse significaret, ita loquens; *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit; & seminibus, quasi in multis; sed tanquàm in vno; & semini tuo, quod est Christus.* Quid apertius? quid euidentius? Nonne sic & semen Abrahæ Christus, quomodò ex semine Dauid propter Mariam, per Mariam, de Mariâ? Tollat impius disputator Christo materiam carnis, quam Maria ministrauit, & doceat quomodò est semen Abrahæ Christus, aut quomodò factus est ex semine Dauid. Numquid superfluo sacramento vernaculum proprium fidelis Abraham constringere videbatur, quando plenus fide, præscius etiàm futurorum: *Mitte*, aiebat, *manum tuam sub femur meum, & iura per Deum cœli.* Diceret vtique; Tange pectus meum cogitationibus sanctis splendidum, tange manus innocentiæ dote locupletes, tange caput nullius obnoxium criminis. Cur honestiora membra prætermittuntur, & sub solo femore iuraturus ponere compellitur manum? Magnum aliquid in hoc femore latebat: caro quippe

Luc. 1. 35.
2. Tim. 2. 8.
Psal. 84. 13.
Gal. 3. 16.
Gen. 24. 2.

pe Christi ibi latebat, quæ fuerat ex eius propagine nascitura. Propterea tacto femore terribilis profertur iuratio per Deum cœli; quia Deus cœli erat ita secundùm carnem nasciturus, sicut nasci solent, quos generatio nomine femoris significata, conformes vtique his de quibus formantur adsignat.

IV. Caro itaque Christi de matre sumpta est, ideò ampliùs vera est; sed planè sancta est, quia diuinitatis adunatione mundata est. In carne Christi natura est nostræ carnis, sed non reperitur culpa naturæ. Sic caro Christi carni Mariæ & similis est, & dissimilis. Similis, quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiatæ originis contagionem. Similis, quoniam licèt voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; dissimilis, quoniam nullas penitùs neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates. Similis, quia passibilis & mortalis; dissimilis, quia incoinquinabilis, & viuificatrix etiàm mortuorum. Similis genere, dissimilis merito. Similis specie, dissimilis virtute. Similis, quia similitudo est carnis peccati, dicente Apostolo; *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* Ecce quantùm caro Christi docetur à Maria causam nouæ existentiæ naturaliter adsecuta secundùm sollemnitatem partus humani, sequestratâ necessitate concubitus maritalis, vt non sit quidem caro peccati, quia caro est Dei; sit tamen similitudo carnis peccati, quia veraciter nata est de carne mortali: meritò etiam mortalis, quia materiam traxit de carne mortali. In carne enim non habentis omnino peccatum per quam ianuam voluntaria mors introiret, nisi de carne eius nasceretur cui potuit inesse peccatum, & per peccatum mors? Pleniùs hoc lucidis sermonibus explicemus. Caro Christi non erat in iniquitatibus concepta: propter quid ergo conditionem mortis videtur experta? Manifestè scimus, non necessitate sed voluntate pro nobis mortuum fuisse Filium Dei: Sanctus tamen testis est Apostolus veritati, veraciter dicens; *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* In istâ carne Christi, peccatum non intrauit. Vnde mors, quamuis voluntaria subintroiuit, nisi quia eum sine peccato nasci diuina fecit potentia, sine peccato autem mori diuina fecit misericordia? Verumtamen per hoc quòd in illo fuit materna substantia, nullo meliùs docu-

Rom. 8. 3.

Rom. 5. 12.

mento probabitur Christus habuisse carnem de matre mortali nisi per supplicium mortis. Gratias illi, qui carnis humanæ suscipiendo naturam sine culpâ, non tamen sine pœnâ culpam remouit: pœnam finiuit, & naturam sanauit, vt quia nobiscum est ei natura communis. Oportebat namque eum, sicut Sacerdotem, quod pro nobis offerret, à nobis accipere: si autem non accepit ex Mariâ carnis materiam, non accepit à nobis quod posset offerre pro nobis: & quomodò fungi potuit sempiterni munere Sacerdotis? Sacerdoti nostro nos oportuit immolandam Deo victimam dare: Filius autem Dei Patris vnigenitus, in carne mortali Sacerdos noster effectus, non aurum, non argentum, non hircorum sanguinem, sed corpus obtulit proprium. Victima ergo nostra, corpus est eius; & si corpus eius accepit, à nobis itaque corpus accepit: & hoc tunc accepit quando eum Sancta Maria concepit. Consubstantialis proinde matri credendus est, sicut consubstantialis est Patri. Consubstantialis etiam matri, etiam nobis diabolum vicit: ideò de captiuitatis profundo totum genus hominum misericors eleuauit. Victus est Adam, blanditiis muliebribus de ligno vetito edere persuasus: vicit Christus, furore Iudaico & clamoribus in patibulo ligni suspensus. Quid prodest Adam Christi victoria, si non est eius in Christo substantia? & quomodò id fieri potuit, nisi eum sic genuisset Virgo Maria, vt præberet ei sine iniquitate materiam carnis, in quâ nasci temporaliter posset & pati?

V. Sic omnino sic sentiendum fides admonet vera, Christum corpus habuisse verum, non aëreum, non phantasticum, non aliunde formatum, sed carneum: de carne Virginis sumptum, licèt non carnaliter seminatum: rationalis animæ inspiratione viuificatum: tale quale nos habemus, absque peccato: tale in quo diabolus falleretur, vt putans escam deglutiret hamum. Diabolus enim nisi videret in Christo Saluatore verum corpus, & matri consubstantiale, nec tentare auderet, nec occidere. Prætereà in quo nihil suum videbat, ipso Domino discipulis suis narrante; *Ecce veniet Princeps mundi huius, & in me inueniet nihil;* nihil vtique peccati: nam plena in illo fuit natura matris, id est, nostra; quam velut sibi aliquid deberet, antiquus ille peccati fœnerator inuasit, crucifixit, oc-

Ioan. 14. 30.

cidit: & per indebitam exactionem, quicquid ei debebatur amisit: iustè victus, & iustè punitus; quia ea caro vicit in Christo, quæ victa fuerat in Adam. Hæc namque fuit iustitia Dei, vt per illam carnem, mortis auctor vinceretur in Christo, quam vicerat in Adam: & illa caro sine peccato moreretur, vt deleretur omne peccatum, quæ fuerat mortua per peccatum: mirabiliter operante gratiâ Saluatoris, vt mors pœnæ peccati, medicina fieret posteà peccatorum. Peccauit Adam & mortuus est, omnésque posteros suos æternæ mortis compedibus alligauit: mortuus est Christus; & quia non peccauerat, omnes peccatores à mortis dominio liberauit. Si ergo alia esset natura carnis, in quâ non peccauerat Christus, & mortuus est; non per iustitiam, sed per potentiam diabolus vinceretur. Oportebat autem per iustitiam vinci. Iustitia verò ipsa fuit, vt in eâ carne veniret Redemptor, quam fecerat supplicio obnoxiam remanere tentator. Ideò Deus homo fieri voluit, vt facilè homo posset reconciliari Deo per hominem Deum. Inter Deum quippe iustum & hominem peccatorem magna separatio contigerat, nec Deus homini proximus erat in substantiâ, nec iusto peccator cooptabatur in gratiâ. Deus ergo se humilians factus est homo iustus, & homini peccatori reconciliatus est Deus. Factus est Deus quod non erat, homo; & factus est homo similiter quod non erat, iustus. Si autem iustus Deus ita fortè fieret homo iustus, vt non eius esset substantiæ, cuius fuerat homo peccator, nec haberet aliquid proprium de substantiâ peccatoris, in æternum remaneret homo peccator. Nunc verò per similitudinem substantiæ effecti participes gratiæ, iustificati sumus in illo vnigenito Deo, qui pro nobis fieri voluit homo similis nobis. Vnde etiàm sanctissimus Paulus incarnationis mysterium tractans, ita de Christo loquitur ad Hebræos; *Nusquam enim angelos adprehendit, sed semen Abrahæ adprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.* Quis capituli huius explicare dignis sermonibus valeat intellectum? *Debuit*, inquit, *per omnia fratribus similari.* O stultæ hæresis imperite defensor. Quomodò poterit Christus fratribus similari per omnia, si dissimilis fuerat in substantiâ? Quomodò similis omnino erit in substantiâ, nisi carnem susci-

Hebr. 2. 16.

piendo de Mariâ? Desinat cor profanum talia meditari. Qui negat Christum veri Dei Filium verum veritatem carnis de verâ matre mirabiliter adsumpsisse, totum vult mediatoris euacuare negotium. Mediator quippe non est nisi duorum, quos à se inuicem separatos tunc ipse medius existendo rite ac firmiter copulat, si vtrisque sit similis per substantiam, quos sibi facit adpropinquare per gratiam. Christus autem Dei & hominum mediator existens, sicut vas electionis insinuat, *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*; si non sic est homo de homine, quomodò Deus de Deo? si non sic est consubstantialis homini matri, quomodò consubstantialis est Deo Patri? Si substantia eius diuina cum Deo communis est, substantia verò humana non putatur cum hominibus esse communis, in cassum mediatoris vel personam portat, vel officium gerit. Verumtamen quia sic est mediator, vt verus sit mediator; & Patri & matri, & Deo & hominibus consubstantialis est; ac per hoc non vnius, sed duarum planè substantiarum, quia nunquàm mediator vnius potest esse substantiæ.

1. Tim. 2. 5.

VI. Vide, frater sanctissime, quàm latenter alterius quæstionis limen intrauimus, ipsâ veritate ianuas reserante. Dum volumus enim per officium mediatoris reperire, vel potiùs probare substantiæ humanæ proprietatem, similitudinem, veritatem, ne Virginis matris amputaremus fœcunditatem, duarum substantiarum manifesta distinctio nominato & considerato mediatore resplenduit. Quia vtique mediator & vnus est, si personam consideres cui nomen mediatoris accessit; & inter duas res dissimilis substantiæ mediator existens, non nisi per duas substantias officium potest mediatoris implere. Cuius enim persona vna fuerit, & natura, nullatenus potest inter duas substantias mediator esse, vel dici; quia apud illam substantiam, cui minimè coaptatur vna natura eius, caret prorsus officio mediatoris: & tunc est verus mediator, quando vt duarum dissimilium substantiarum copulet diuisionem, substantialem gerit cum vtrisque communionem; per ipsam communionem remouens diuisionem; vt sint vtraque vnum, per illum mediatorem conuenientia in vnum, cum quo fuerunt, antequàm conuenirent, vnum. Consideremus hoc pleniùs in nostro mediatore, Domino scilicet Christo; cuius quidem ve-

raciter vna persona, (quia non decet vnius mediatoris duas esse personas,) verumtamen non est vna natura, quamuis vnius mediatoris. Quia hæc vna natura (quoniam Dei & hominum mediator est) aut cum Deo illa erit vtique communis, aut cum hominibus. Absolutè namque, quantumlibet reclamet hæreticus, vna natura non potest Deo hominibúsque esse communis: quia Deus creator, nos creaturæ sumus; Deus æternus, nos temporales; Deus incomprehensibilis, nos comprehensibiles; Deus sine loco, nos in loco; Deus infinitus & immensus, nos circumscripti & determinati. Rursus ergo fiducialiter dico; natura Christi si vna est, aut cum Deo Patre illi, aut cum hominibus potest esse communis: Deo & hominibus nunquàm potest esse communis. Est autem Christus vnius substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt *homousion*, secundùm Nicæni Concilij absolutam professionem. Vna ergo natura Christi Iesu, cum Patre est illi communis. Et in quâ ratione fieri potest vt noster sit mediator, nisi habeat vnde & cum Patre sit vnum, & nobiscum sit vnum? Quod apertissimè in Euangelio iam proximus passioni demonstrat, orans Patrem talibus verbis, *Vt sint vnum, sicut & nos vnum. Ego in eis; & tu in me.* Dic mihi qui vnam prædicas essentiam Christi, quomodò est ipse in nobis, & quomodò est in illo Pater? Quia vna est substantia Patris & Filij. Ideò etiàm ipse in nobis est, quia particeps fieri voluit nostræ substantiæ. Non est ergo iam vna substantia, sed duæ; vna in quâ est cum Patre vnum, altera in quâ est nobiscum vnum; vna per quam est in illo Pater, altera per quam est ipse in nobis verè; verus mediator, habens vnde sit proximus Deo, vnde proximus nobis, vt faciat etiàm nos proximos Deo, per se vtique qui fieri voluit proximus nobis. Sed si fortè tu, quem consideratio mediatoris ad prædicationem duarum substantiarum compellit inuitum, volens vim veritatis eludere, non omnino vnius mediatoris duas essentias negas, sed ex his duabus vnam fieri potuisse confirmas; require diligentiùs, si Verbum & caro vna cœpit esse natura, vtrùm possit caro & Deus Pater vnius essentiæ prædicari. Consequenter enim quia Verbum Patris est Filius, & indubitanter vna est substantia Patris & Filij, sicut Deus Pater cum Verbo suo vnius

Ioan. 17. 21.

est substantiæ, sic cum carne Verbi sui vnius inuenietur esse substantiæ, si caro & Verbum fieri potuit vna substantia.

VII. Superadiicietur huic opinioni etiàm talis absurditas, vt quia omnis caro humana eiusdem est substantiæ, caro autem Christi humana erat, quæ vnius substantiæ secundùm vos cœpit esse cum Verbo, & per Verbum etiàm cum Patre; caro quoque nostra & diuinitas Patris, vnius dicatur esse naturæ; quod nullus omnino Christianus vel audire, vel tenui saltem cogitatione debet recipere suspicandum. Quisquis proinde vnam Christi asserit esse substantiam, cogitet aliud quod facile cuiuis potest apparere, nisi oculos cordis eius fumus contentionis obscuret, per hanc vnius in Christo substantiæ prædicationem Patrem quoque natum de Mariâ Virgine, crucifixum sub Pontio Pilato, & sepultum videri. Nam si non est alia natura, quam de carne Virginis Matris vt nasci temporaliter posset, accepit vnigenitus Deus, sed susceptæ carnis & suscipientis diuinitatis vna facta est quomodocumque natura; hæc vna natura aut non erit etiàm Patris, & quomodò prædicabitur *homousion* Patri, quod Græci dicunt, vnius substantiæ, vel essentiæ? aut si erit & Patris, & in ipsâ natus, crucifixus est Filius; videant quomodò Pater aut innascibilis, aut impassibilis prædicetur. Immò non solùm Pater, sed Spiritus quoque sanctus (quoniam & ipse cum Patre & Filio vnius creditur esse substantiæ, vel essentiæ) sociabitur passionibus Filij; ac sic omnis dispensatio dominicæ incarnationis ad totam Trinitatem pertinere putabitur, & non solius Filij Dei mater Beata Maria, sed totius Trinitatis erit mater. Planum facere hoc apostolicis nitamur exemplis. Beatus Apostolus ita loquitur; *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati.* Quomodò simul vetus homo noster solo Christo in ligno pendente, nisi quia secundùm eam substantiam pependit in ligno, quam sumpsit ex nobis? Item alio loco memoratus Apostolus dicit; *Et simul conresuscitauit, & sedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Respondeatur quomodò simul conresuscitati sumus, aut simul consedimus in cœlestibus, nisi per illius substantiæ communionem, quam sumpsit ex nobis? Si ergo in vnitatem diuinæ substantiæ suæ naturam nostram Filius Dei suscepit, vt diuinitatis & carnis vna posset esse natu-

Rom. 6. 6.

Ephes. 2. 6.

ra, quod adunatum est diuinitati eius, omni Trinitati adunatum est; maximè quia inseparabilia sunt opera Trinitatis, quia vna est substantia vel essentia Trinitatis. Trinitas est autem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; in personis tres, in substantiâ vel essentiâ vnum. In quâ essentiâ vel substantiâ si natus aut passus est Filius, simul Pater, & Spiritus sanctus & natus & passus est. Sed si Filius tantùm passus est, sicut fidei catholicæ docuit antiqua traditio, in aliâ naturâ passus est. Et quæ est alia, nisi humana? Si ergo alia est humana, alia diuina natura, non est vna in Christo ex duabus facta natura.

VIII. Solent Arriani nobis obiicere talem propositionem. Passa est, inquiunt, diuinitas Filij, aut non est passa? Si respondeamus, Non est passa, dicunt; Ergo purus homo crucifixus est. Si respondeamus; quod respondere debemus; Passa est, sed secundùm carnem, ipsa tamen in hoc quod est, impassibilis permanens; respondent; Ergo aut passa est diuinitas Patris, si passa est diuinitas Filij; aut non est vna diuinitas Patris, & Filij. Proponentibus hoc Arrianis ita conuenit linguâ catholicâ respondere. Pater & Filius substantiâ vnum sunt, non personis: vna est natura Patris & Filij; sed alia est persona Patris, alia Filij. Filius verò suscipiens carnem, id est, hominis plenam perfectámque naturam, sic eam suscipere dignatus est, vt vna persona fieret carnis & Verbi, non tamen vna natura. Deus homo factus naturam sibi adunauit humanam, sed in vnitatem personæ, quam non habet cum Patre communem, non in vnitatem substantiæ, quam habet cum Patre communem. Ideò non Trinitas, sed tantummodò Filius & natus & passus est. Alia est natura, secundùm quam passus est Filius, sed quia vnam esse fecit personam suæ diuinitatis & carnis; propter vnitatem personæ diuinitas Filij dicitur passa quidquid pertulit caro. Persona autem Filij non est ea quæ est Patris, quia alia est Patris: ideò tantummodò Filius passus est. Isti autem, qui sicut vnam personam Domini Iesu Christi, sic vnam volunt prædicare naturam, quid respondebunt Arrianis? Argumenta eis sine dubio cuncta deficient; & aut Arrianis consentient, ne vnam Patris & Filij diuinitatem prædicent; aut Patripassianis sociabuntur, errore sacrilego miserabiliter obligandi. Reuertatur ad sensum piissimum furor hæ-

reticus; & qui ex naturis duabus in Domino Iesu Christo vnam factam fatetur, dicat mihi quæ harum periit, vt vna fieret ex duabus. Diuina perire non potuit, humana non debuit. Aut si nullius audet adserere perditionem, dicat vtrùm sit altera in alteram commutata: & si alteram in alteram potuisse commutari suspicabitur, dicat rursus vtrùm diuinitas in carnem, an in diuinitatem caro conuersa sit. Si enim diuinitas ad inferiorem carnis redacta est qualitatem, deteriorata cognoscitur; & iam sibi potiùs creator bonus miseriam procurauit, quàm nobis misericordiam præstitit. Si verò permanens inuiolata diuinitas absorbuit substantiam carnis, vt hoc esse inciperet caro quod Verbum, quis tolerabiliter audiat, creaturam priùs cuncta accidentia recipientem peruenisse ad genus & potentiam creatoris, vt esset subitò sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, sine loco, sine situ, sine passionibus, sine habitu, perditâ conditione facturæ, solo faciendi vigore subnixa?

IX. Timeo ne amplificatio creaturæ, creatoris sit potiùs imminutio, tanquam Deus indiguerit additamento carnis augeri; quia & multò faciliùs mutari potuisse illa natura dicetur, in quam potuit altera commutari. Nimis absurdam sententiam silentio mancipemus, & si nullam de duabus his naturis in alteram potuisse transferri liquidò claret, respondeat vtrùm fortè permixtio naturarum duarum, nullius earum proprietate seruatâ, nouam naturam noui generis fecerit. Et si hanc vnius mediatoris vnam naturam prædicare voluerit, non interim requiro quali nomine naturali dumtaxàt censeat vocitandam; vt quomodò ex naturis duabus, animâ, & carne, facta est vna natura, cui nomen est homo; ex duobus similiter animalibus vnum nascitur animal, & dicitur mulus; ex duabus quoque substantiis ignis & ligni fit vna res, & vocatur carbo; neque anima sola, aut corpus, homo; neque equus solus, aut asinus, mulus; neque ignis solus, aut lignum, carbo potest naturali nomine vocari; sic ostendere valeat ex duabus naturis, diuinitate scilicet & humanitate, si vna facta est natura, quid vocari naturaliter debeat. Christus quippe nomen est officij; Emmanuel nomen est vtrasque substantias, quas adunatas contestatur, insinuans: naturæ autem nomen istius

substan-

ſubſtantiæ, quæ vna fieri potuiſſe dicitur ex duabus, neque legi, neque per linguam cuiuſlibet diſputatoris audiui. Nomen hoc, ſicut dixi, vehementer inquiro. Sed potiùs hoc propono, hoc cogitandum prædicatori vnius in Chriſto ſubſtantiæ, licèt nolit, oppono; Si vna eſt Chriſti natura compoſita ex duabus, non talis Patris natura, non eſt talis Spiritus ſancti. Quomodò ergo erit Filius *homouſion* Patri, vel Spiritui ſancto? Vna Patris, Spiritúſque ſancti natura ſimplex eſt, caret compoſitione; Chriſti autem quæ facta firmatur ex duabus vna natura, compoſita eſt, caret ſimplicitate. Quid ergo dicemus? Vrget nos licèt inuitos violentia veritatis, aut vnam Chriſti naturam non prædicare; aut Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, id eſt ſanctæ Trinitatis vnam ſubſtantiam vel eſſentiam negare. Sed ſi vnam ſubſtantiam vel eſſentiam Trinitatis negemus, Arrianorum dogmati videmur præbere conſenſum. Ne ergo videamur ſimiles Arrianis, vnam Chriſti quamuìs ex duabus naturam non prædicemus; ſed vnum Chriſtum potiùs ex duabus & in duabus naturis confitendum; nec Arrianorum polluamur veneno, nec ſuperfluâ delitantis Eutychetis inebriemur diſputatione. Deus vnigenitus, Dei Filius verus & proprius vnus fuit, quando *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum Facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Vnus atque idem eſt, quando Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Propterea priuſquàm Virgo Maria conciperet, Deus Trinitas creauit nos, & poſteaquàm ſancto Spiritu fœcundante peperit Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deum, Deus Trinitas redemit nos, ante diſpenſationem carnis Deus noſter Trinitas; poſt negotium Crucis, & poſt ſpolia infernorum, Deus noſter Trinitas. Quare hoc? quia ſicut vnus fuit, eſt, & erit Pater, qui de Virgine non eſt natus; ſicut vnus fuit, eſt, & erit Spiritus ſanctus, qui ſimiliter de Virgine non eſt natus; ita vnus eſt etiàm Filius, qui de Virgine natus eſt. Aſſumptio illi fuit alterius * ad vnam perſonam.

Ioan. 1. 1.

* Hic deeſſe videtur *ſubſtantiæ.*

X. Creuit ergo per natiuitatem carnis in Chriſto numerus ſubſtantiarum, ſingularitas verò perſonæ perſeuerauit. Idcircò quamuìs alia ſit natura diuinitatis, alia humanitatis, non ſit Trinitas illa quaternitas; quia perſonarum eſt Trinitas, quæ

in Christo vna permansit. Vnus est proinde Christus, & semper vnus, propter vnius personæ singularitatem, quæ in eo nec diuidi, nec subdiuidi, nec duplicari potest, quamuis ex duabus & in duabus credatur esse naturis. Liberè igitur absque vllâ formidine confiteamur vnius Christi naturas duas, diuinam scilicet & humanam, Verbum & carnem, manifestis distinctionibus apparentes; & quid secundùm earum proprietatem ritè possit intelligi, per omnia diuina volumina simpliciter audientes, nullatenus dubitemus, quædam verba diuinitati, quædam verò humanitati eius sine separatione prorsus aptari. Si quis enim me interrogat; *Ego & Pater vnũ sumus*, vtrùm vox ista secundùm diuinitatem prolata sit, an secundùm humanitatem; fiducialiter respondeo, secundùm diuinitatem, non secundùm humanitatem. Et si quis iterum requirat; *Pater maior me est*, vtrùm vox ista secundùm diuinitatem prolata sit, an secundùm humanitatem; fiducialiter respondeo, secundùm humanitatem, non secundùm diuinitatem: neque tamen propter hoc aliqua earum vox Christi non erit; vtraque enim vox ad vnum pertinet Christum, cuius est diuinitas, & humanitas: separatio hìc nulla introducta est, quia vnam vocem secundùm vnam substantiam posse intelligi diximus, secundùm alteram verò negauimus. Cuilibet enim naturæ vox conueniat, ideò sinè separatione non conuenit alteri, quia illius personæ est, cuius est vtraque natura. Necessitatem nemo nobis ingerat, vnam prædicare naturam. Duos filios ignorat fides catholica: quaternitatis adsertores omnino detestatur: & idcircò nunc quantùm arbitror, quibusdam rectæ fidei custodientibus regulam, placuit vnum de Trinitate passum fateri. Nihil quippe aliud sententia hæc insinuare cognoscitur, nisi ipsum esse passum in carne, qui de Patre Deo natus est, id est, Christum, ne putetur homo purus tolerasse passionis iniurias. Hoc ergo dicit qui vnum de Trinitate passum dicit. Non est quarta persona qui passus est, se ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei Filius impassibilis secundùm diuinitatem, per susceptionem naturæ passibilis passioni subiacuit. Et quamuis alia sit in illo natura, per quam semper impassibilis perseuerat, alia per quam dicitur temporaliter passus; ipse tamen impassibilis passus est: non alius est impassibi-

Ioan. 10. 30.

Ioan. 14. 28.

lis, & alius passus est. Iste autem impassibilis, ipse est Dei Filius, Deus vnigenitus, ante sæcula ex Deo Patre naturaliter natus; & de matre, postquàm venit plenitudo temporum, misericorditer, quia voluit, genitus: sine quo Trinitas nunquàm fuit; quoniam, sicut iam superiùs enarrauimus, Trinitas est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & siue patrem, siue Filium, siue Spiritum sanctum subtraxeris, Trinitas esse non potest: nec pater, nec Filius secundùm diuinitatem, nec Spiritus sanctus creaturis connumerantur: nec pater, nec Filius secundùm diuinitatem, nec Spiritus sanctus de mundo hoc, aut de creaturis esse perhibentur: sed sola sibi inuicem Trinitas connumeratur: & vnusquisque eorum dum de Trinitate esse dicitur, à creaturis cæteris sequestratur.

XI. Omnis enim res aut Deus est, aut creatura. Si Deus est, creatura non est: si creatura est, Deus non est. Deus autem Trinitas est, vnius substantiæ vel essentiæ: creatura per multimoda diuersarum substantiarum distribuitur genera. Qui ergo Deus est, & propriè, idest, veraciter Deus est, aut pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus est. Et quia neque pater solus, neque solus Filius, neque solus Spiritus sanctus Trinitas est, sed simul pater, Filius, & Spiritus sanctus: & pater vnus est de Trinitate, & Filius vnus est de Trinitate, & Spiritus sanctus vnus est de Trinitate. Quid ergo dicit, quicumque dicit, Vnus de Trinitate Filius, nisi: Noli eum quærere inter creaturas? Filius ergo secundùm diuinitatem, quia non est creatura, sed creator, vnus est de Trinitate: & quia ipse secundùm humanitatem dignatus est pati, propter hoc vnus de Trinitate dicitur passus. Tale est itaque quantùm coniicio, immò potiùs quantùm credo: Vnus est de Trinitate passus, quale est dicere: Deus est passus. Sicut autem quisquis Deum prædicat passum, non substantiam diuinitatis facit passibilem: sed diuinitatis impassibilis, & humanitatis quæ subiacuit passioni, vnam monstrat esse personam: sic vnum de Trinitate passum prædicans, vnitatem personæ commendat in vtrisque naturis: excludens Nestorianæ hæreseos nefariam, perfidámque doctrinam duos filios inducentis. Neget igitur vnum de Trinitate passum, qui negare vult Deum passum. Quomodò autem Deus passus sit, bene omnes fideles intelligunt, secun-

dum carnem scilicet, secundùm quam potuit Deus. Alioquin suscipiendæ carnis nulla remaneret causa probabilis, si potuisset per se ipsam passioni subiacere diuinitas. Ita nota sunt hæc penè omnibus Christianis, vt quandocumque prædicari audiunt Deum passum, non intelligant nisi Filium Dei; nec opinentur aliter passum, nisi quomodò pati & debuit, & potuit Deus, secundùm substantiam carnis, quam suscepit ex matre. Sic ergo quotiens vnus de Trinitate dicitur passus, nemo saltem interrogare compellitur, Qui vnus? vtrùm Pater? an Filius? an Spiritus sanctus? Sed mox dixeris passum, continuò intelligunt Filium, quem solum sciunt contestantibus Euangeliis passum, vigilante in eis etiàm ad hoc scientiâ rectæ prædicationis, vt quamuis adserens vnum de Trinitate passum, non adiiciam, secundùm carnem; ipsi tamen rectè dictum, quasi hoc adiecerim, sentiant; si tamen procul expellatur contentionis affectus, vniuersa quæ audit magis solitus impugnare, quàm credere. Nihil planè diutiùs cogitans reperire valui, vnde possit hæc sententia (quod à quibusdam iactitatur) Eutychianis fauorem præbere. Primum quippe mendacium delirantis Eutychetis hoc fuit: vnigenitum Deum, quando fieri homo dignatus est, non sibi adsumpsisse carnem de vtero virginali. Secundum verò: non esse nunc in Christo substantias duas, diuinitatis & humanitatis, sed ex duabus his vnam factam esse substantiam. Retractemus igitur diligenter vtrasque sententias, & si vel vni earum coaptari potest ista sententia, quæ vnum de Trinitate passum fatetur, sollicitiùs inquiramus.

XII. Quid rogo proficit ad negandum Filio Dei materni corporis veritatem, quando vnus de Trinitate passus adseritur? Nónne si vnus de Trinitate est, verè Filius Dei est? & si passus est, verè habet materni corporis veritatem? Alioquin tolle corpus ex matre sumptum, & quomodò pati potuit pura diuinitas? Perpende qualis est caro Mariæ, sine dubio passibilis & mortalis: vt ergo esset caro Verbi passibilis & mortalis, ex illâ carne habet originem, quæ fuit passibilis & mortalis. In prole igitur cognosce similitudinem generis per testimonium passionis; & expugnari magis Eutychianos, quàm foueri, quando vnus de Trinitate passus adseritur, velis nolis

aduerte. Sinè dubio enim sub his verbis etiàm prædicator vnius in Christo substantiæ confutatur. Vt sit enim Christus vnus de Trinitate, ad diuinitatem pertinet; vt credatur passus, ad humanitatem. Non esset qui passus est, vnus de Trinitate, nisi vnam haberet cum Patre, & Spiritu sancto diuinitatem. Non esset passus qui vnus est de Trinitate, nisi consubstantialem matri haberet humanitatem. Sileat ergo vnius naturæ in Christo prædicator. Duas enim naturas commemorat, qui vnum de Trinitate passum fatetur. Suspiciones suas inaniter rodit, quisquis bene dicta dum malè conatur intelligere, calumniari potiùs, quàm doceri studet. Vnum de Trinitate passum Nestorianis non immeritò displicet. Introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychianis autem vnum de Trinitate passum non rectè placet, si tamen placet. Ipsi enim duas Christi permanere naturas, euidenter negare contendunt, quibus per hoc capitulum manifestè contradicitur: insinuatâ vnâ substantiâ per hoc quòd vnus de Trinitate; insinuatâ quoque aliâ per hoc quòd passus infertur. Passio enim commemorata testimonium est naturæ passibilis: natura passibilis intellecta, maximè in illo qui vnus de Trinitate, duarum substantiarum clarissimam reddit distinctionem. Sed forsitan aut nimiùm suspiciosus, aut omnino tardus auditor apertâ locutione desiderat instrui; videlicèt vt quotiens confiteri delectamur aut Deum passum, aut vnum de Trinitate passum, quia & Pater Deus, & Spiritus sanctus Deus, & simul tota Trinitas Deus; & Pater vnus de Trinitate, & Spiritus sanctus vnus de Trinitate. Sed dicentes Deum passum, continuò inferamus, secundùm carnem; ne aut tota Trinitas passionem suscepisse, aut ipse Filius in substantiâ diuinitatis, quæ est illi cum Patre communis, passus putetur. Et in hac quidem parte mos gerendus est talibus: & si sic audire desiderant, sic etiàm nos loqui conuenit. Vnus de Trinitate, id est Filius, vna persona de tribus personis, passus est secundùm carnem; quam suscepit ex nobis, vt dignaretur passionem tolerare pro nobis.

XIII. Addamus verba manifesta, ne occasionem demus interpretationi malitiosæ, putemúrque aliud credere, quàm sentimus. Admonendus tamen videtur cui prolata simpliciter

suspicionem commouent verba, non totius aut diuinitatem Christi, aut humanitatem negari, quotiens non simul sono vobis enunciantur. *Vnus est*, ait Apostolus, *Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Ecce, Dominum Christum dixit, hominem tacuit; nec tamen ideò negasse putandus est. Rursus in alio loco ad Timotheum scribens; *Vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Ecce, hominem dixit, Deum tacuit; non tamen ideò negauit (tanta quippe virtus est sacramenti ineffabilis) : & sic in vnam personam duas naturas singulariter & mirabiliter adunauit Deus homo misericorditer factus, vt Christum Iesum siue Deum dicas, hominem quoque simul intelligas; siue hominem confitearis, Deum quoque simul intelligas. Humana est in illo diuinitas, & diuina est humanitas. Propterea ille magis cuiusdam separationis aut diuisionis seminat suspicionem, qui duas naturas aliter non intelligit, nisi ambas audierit nominari. Ecce audiuimus in Euangelio vocem Christi dicentis; *Pater maior me est;* quod secundùm humanam videtur dixisse naturam; numquid ideò putabimus eum non habere in se diuinitatem, secundùm quam dixit in alio loco, *Ego & Pater vnum sumus?* Nónne quando dixit; *Pater maior me est;* tacuit. *Ego & Pater vnum sumus?* & quando dixit, *Ego & Pater vnum sumus*, tacuit, *Pater maior me est?* Nihil tamen horum negauit. Dicamus ergo ei, si videtur, dicenti, *Pater maior me est;* adde Domine; *Ego & Pater vnum sumus;* ne Arriani non arbitrentur æqualem. Multa occurrunt similia pio studio requirentibus. Ecce iterum dicit ipse Saluator; *Ego ex ore Altissimi prodiui;* quod secundùm diuinitatem locutus est. Dicamus ei, adde Domine, Ex vtero virginali, quod pertinet ad humanitatem; ne putent Manichæi, vel Eutychiani, quia non es natus ex carne. Liceat nobis inter scientes quomodò credamus, simpliciter loqui. In nomine Domini Iesu Apostoli baptizabant. Numquid quia Patrem & Spiritum sanctum tacebant, ideò negabant? aut ideò Baptismus ille non dabatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quia in nomine Domini Iesu baptizasse Apostoli perhibentur? Nónne propter vnius substantiæ communionem, & propter vnum nomen indiuiduæ Trinitatis etiàm solo Domino Iesu nominato, Pater quoque, & Spiritus san-

1. Cor. 8. 6.
1. Tim. 2. 5.
Ioan. 14. 28.
Ioan. 10. 30.
Eccli. 24. 5.

ctus in virtute illius nominis, quod vnum est ex tribus, nominati esse cognoscuntur? Ita etiàm si solam diuinitatem Christi nominem, iam simul humanitatem nominaui, quam sibi adunauit ex Virgine; & si solam humanitatem nominem, simul diuinitatem nominaui, cui est adunata. Possunt hæ duæ substantiæ in Christo sine inuicem loquendo proferri, non possunt sine inuicem credendo cognosci.

XIV. Nam ecce apud Miletum maioribus natu Ecclesiæ salubria monita Beatus dum traderet Paulus; *Attendite*, inquit, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisiuit suo sanguine.* Dic modò gentium Doctor, & responde nobis aliquid, quod etiam nos multùm suspiciosis oporteat respondere. Dixisti Deum Ecclesiam adquisisse sanguine suo; quare non addidisti Filium? quid si alius Patrem putet? quid si alius Spiritum sanctum? quia & Pater sine dubio Deus, & Spiritus sanctus Deus est. Aut si Deum simpliciter nominasti, vel quando eum dixisti adquisisse Ecclesiam sanguine suo, diceres quomodò habeat sanguinem Deus, & adderes, secundùm carnem; ne quis putet, quia etiàm diuinitas habere aut effundere sanguinem potest. Scio quid huic percontationi vas electionis sine morâ respondeat. Nosti, ô fili, prædicationem meam; quare dubiam putasti sententiam meam? Iam ego dixi; *Pater Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, vt Filius tantùm passus à gentibus crederetur. Iam ego dixi; *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit se factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*; vt in humanâ substantiá mortuus ritè crederetur: quem tamen vt Deum cognosceres, fiducialiter alibi loquutus sum; *Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Cognosco, Sancte Paule, doctrinam veritatis plenissimam, nec mihi sententia tua in libro Actuum Apostolorum dubia vnquam fuit. Intellexi Deum, qui sanguine suo adquisiuit Ecclesiam suam, non esse nisi Christum Iesum filium Dei, nec habuisse sanguinem, nisi secundùm substantiam carnis. Sed propter istos ista dixi, qui nunc audientes vnum de Trinitate

Act. 20. 28.

Rom. 8. 32.

Philip. 2. 6.

Rom. 9. 5.

Act. 20. 28.

passum, dicunt; adde, secundùm carnem; quasi aliter intelligi debeat, etiàm si ego non addam; vel addere multùm necessarium sit, quod etiam si non addatur, apparet. Libenter tamen exigi me patior, quod vltro reddere sum paratus. Incunctanter profert lingua, quod retinet conscientia. Vnus de Trinitate Filius Dei Christus Iesus, qui est vna persona de tribus personis, passus est secundùm carnem. Tu verò si iam credis non malitiosè vnum de Trinitate passum dici, dic similiter bono sensu sicut ego. Si autem dubitas adhuc, dic vnam personam de tribus passam, id est, Filium Dei Dominum Iesum Christum secundùm carnem: ne si vnam personam de tribus passam profiteri nolueris, quartam confiteri inueniaris; & sine vllâ ambiguitate Nestorij iudiceris errore possessus.

XV. Omnis ergo Catholicus aut vnum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat; aut loquens cautè, non tamen infideliter, vnam personam de tribus passam fateatur: nec ideò quempiam iudicet hæreticum, qui vnum de Trinitate passum illo sensu dicit, quo etiàm ipse vnam personam de tribus passam veraciter dicit: simúlque ambulare viam Domini properemus, pacem tenentes. Hoc est quippe, vnum de Trinitate, quod est, vnam personam de tribus personis: quoniam si dicas, Vna est persona Christi; nihil aliud dicis, quàm, vnus est Christus. Et si dixeris, Vnus est Pater, aut Spiritus sanctus; nihil aliud dicis, quàm, Vna est persona Patris, aut Spiritus sancti. Potest quidem vnus etiàm substantiam significare; sed si addes substantiæ proprium manifestúmque vocabulum; sicut quando dicis, Trinitas vnus, & continuò subinfers, Deus. Alioquin tolle nomen quod adiungis, vbi substantia significatur, & dic, si audes; Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnus sunt. Quis enim non continuò, Vnus sunt, secundùm personam dictum consequenter intelligat, & Sabellij redarguat vanitatem? Vides ergo quia propriè vnus ad personam pertinet significandam, quamuìs adiuncto sibi cuiuslibet substantiæ vocabulo possit etiàm substantiam significare. Simpliciter ergo audiamus, vnum de Trinitate passum, id est, vnam personam ex tribus personis. Nec mihi quispiam velit opponere; Si dicimus vnum de Trinitate, dicamus vnum de humanitate; sicut dicimus Deum, & rursum dicimus hominem.

minem. Deum quippe cùm dicimus, rectè etiàm hominem dicimus; quia & Deus, & homo nomina substantiarum sunt. Vnus autem, quia propriè personam significat; Vnus, & vnus nequaquàm cogitemus dicere, ne duas videamur adseuerare personas Ideò planè vnum de Trinitate confitemur, & non vnum de humanitate; quia Deus venit ad vterum Virginis, & aduentu suo munus ei largiens fœcunditatis fine sorde libidinis, humanam sibi naturam potenter atque ineffabiliter adunauit, tanto vinculo vnitatis, vt persona Verbi fieret persona carnis, & deinceps vna Verbi persona esset & carnis. Ideò dicere nullatenus possumus vnum de Trinitate, & vnum de humanitate; vel vnum Trinitatis, & vnum humanitatis; quia in Christo Iesu personam propriam separatim non habet humanitas, sed persona Verbi Dei, à quo suscepta est, ipsa illi facta est propria. Distinguimus ergo naturas duas Christi in vocabulis, in officiis, non in personis. Ideò securus dicit Apostolus: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis verò vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Ecce, Christus crucifixus ipse est Dei virtus, & Dei sapientia. Quare ergo non dicatur vnus de Trinitate passus? An Christus Dei virtus & Dei sapientia non est vnus de Trinitate? Sed hoc qui negat, apertè dicat etiàm secundùm diuinitatem Filium non esse vnum de Trinitate. Si autem secundùm diuinitatem Christus vnus est de Trinitate, & secundùm diuinitatem virtus Dei est & sapientia; Christus autem crucifixus virtus Dei est & sapientia; rectè vtique dicitur, quia vnus de Trinitate est passus.

1. *Cor.* 1. 23.

XVI. Nec mouere quempiam debet, si verè hanc sententiam, sicut à quibusdam dicitur, Eutychetis protulit apocrisarius in Calchedonensi Concilio. Sæpè etiàm per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in Concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronunciare catholicum, nec ipsam sententiam catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis * adprobasse, quàm verba. Mirabiliter tamen Spiritus sanctus postea fideles admonuit, etiàm per hanc sententiam reuinci Eutychianistas, in quâ dua-

* Hìc subintelligendum *potiùs*, vt suprà, num. II.

rum plena est prædicatio naturarum: vt nequaquàm dicere; Si vnus est Christus de Trinitate, & Trinitas vnius est substantiæ, Christus autem Deus & homo est; vnius ergo substantiæ. Christus quippe & vnus est de Trinitate, & Deus & homo est, & non est vnius substantiæ; ne humanitas quoque, quam suscepit, consubstantialis sit Trinitati; quod sana doctrina condemnat. Recordor, aliquando triplicem me intellexisse causam, quæ dubitare quosdam de hac sententiâ cogeret. Prima scilicet, ne quâdam separatione intercedente alia esset Trinitas, & alius qui vnus esse de Trinitate dicitur; sicut alius est Pater, alius est Filius, quando de Patre Filius esse dicitur; & alia ciuitas, aliúsque homo qui de ciuitate esse narratur. Sed & Pater quamuìs habendo Filium Pater sit, ipso tamen Patris nomine non se esse Filium monstrat: & ideò dum de Patre esse Filius dicitur, alter esse Pater, alter esse Filius intimatur. Et ciuitas hominum est multitudo, non homo: & ideò dum de ciuitate quispiam dicitur, alter ipse esse, altera ciuitas inuenitur. Trinitas autem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est: ideò securus dicis; Filius vnus est de Trinitate: nec potest esse alius Filius, & alia Trinitas; quia sine Filio nulla est Trinitas. Secunda verò causa dubitationis videtur, nolentibus dicere, vnum de Trinitate passum, ne diuinitatis substantia fieri passibilis videatur. Sed hoc impossibile & auribus & mentibus catholicis ita semper apparet, vt suspicari hoc malitiæ potiùs quàm cautelæ sit. Maximè quoniam dum vnus de Trinitate dicitur passus, & Trinitas personarum habet significationem, cuius facilè apparet, propter vnam personam Verbi impassibilis, carnisque passibilis, vnum de Trinitate passum pronunciari. Tertia verò dubitationis est causa, ne dicentibus, Vnus de Trinitate passus; inquisitor acerrimus dicat: Quid vnus? & respondentibus, Filius: iterum dicat: Ergo si vnus est Filius de Trinitate, vel vnus est Trinitatis, Filiorum est Trinitas, aut Trinitatis est Filius. Respondentibus, Deus; dicat: Quomodò est quispiam vnus Deus de Trinitate, cùm non sit vnus Deus, nisi Trinitas? Huic autem dubitationi facilè occurritur, si quid sit Trinitas consideremus. Trinitas enim (quòd sæpè dicendum est) personarum est Trinitas. Quid ergo Trinitas, nisi tres personæ? Quæ sunt tres personæ, nisi

Pater, Filius, & Spiritus ſanctus? In hac ergo Trinitate, neque Patres tres inuenis, neque Filios tres, neque Spiritus ſanctos tres: & propterea ſecurus dicis, Vnum Filium de Trinitate, quia non eſt in Trinitate Filius niſi vnus, cuius perſonam ſignificantes dicimus, Vnum de Trinitate paſſum, quia ipſe tantùm ritè creditur paſſus, qui cùm eſſet verè & propriè Deus, verè & propriè factus eſt homo: vt non immeritò verè & propriè mater Dei Beata Maria credatur. Ex Mariâ enim ſemper Virgine nec diuinitas naſci potuit ſine humanitate, nec humanitas ſine diuinitate.

XVII. Fruſtrà expaueſcit quiſquis æſtimat, conſubſtantialem diuinitati matrem futuram, ſi veraciter & propriè Maria mater fuerit Dei: profectò enim quia veraciter & propriè generanti ſemper eſt conſubſtantialis ille qui naſcitur, accepit ab eâ Deus vnde ei fieret conſubſtantialis, & ſic ex eâ naſci dignatus eſt. Ita igitur propriè, ſicut veraciter, Maria diuinitatem Filij genuit, ſed incarnatam. Sine carne enim diuinitatem ſempiternam generare non poſſet homo mortalis. Quid autem, propriè genuit? Manifeſtè genuit, conteſtantibus ſignis & virtutibus Deum eſſe, qui ex homine naſcitur. Quid eſt, propriè genuit? Ipſa ei materiam carnis, ſecundùm quam generatur, operante quidem Spiritu ſancto, verumtamen ex ſuis viſceribus tribuit: & ideò quem ſic naſci oportuit, etiam propriè genuit: quia in humanâ eum naturâ genuit, quam nullo dubitante propriè genuit. Quiſquis autem putat aut dicit ex vnâ ſubſtantiâ generari nullatenus potuiſſe ſubſtantias duas, veraciter dicit, ſi ſeparatim generatas audierit. Nunc verò in magno illo & mirabili ſacramento, quod manifeſtatum eſt in carne, diuina ſubſtantia ſecundùm humanam ſubſtantiam propriè nata eſt; quia non ſeparatim nata eſt, nec humanitatem propriè natam ſibi diuinitas adunauit: ſed adunando eam ſibi propriè nata eſt. Dicam adhuc planiùs pro captu infirmitatis meæ, ſi remoueat Deus veritatis, tenebras falſitatis à luce huius diſputationis. Propriè eſt nata de Patre diuinitas pura, propriè eſt nata de matre eadem incarnata diuinitas. Et hoc diſtat inter vnius Filij Dei duas generationes, quòd in diuinâ generatione nulla fuit humanitas. in humanâ generatione adunata fuit humanitati propriè naſcenti diuinitas. Si enim

dixero, vel dicere voluero: Maria ſemper Virgo propriè genuit humanitatem, non propriè genuit diuinitatem: videbitur ſub aliquo modo hominem purum genuiſſe, quem nullo modo ità genuit, quia Verbum carnem factum propriè genuit. Rectè ergo, quantùm arbitror, dicimus & confitemur; Maria veraciter eſt mater DEI Chriſti, vt non eſſet ſuſpicio phantaſiæ. Rectè etiàm confitemur: Maria propriè mater eſt DEI Chriſti: vt nullatenus hominem purum, qui pro meritis operum bonorum poſteà proueheretur in DEUM, vel superueniente in ſe FILIO DEI, vocari aut effici inciperet DEUS: ſed DEUM ſine initio, ex certo initio hominem factum concepiſſe & genuiſſe credatur. Inueniri poteſt planè alius conueniens modus, quo ſine ſcandalo hæc ſententia proferatur, ſi ita vnuſquiſque dicat: Maria propriè mater DEI Chriſti, vt ſingulare hoc cœleſtis operationis beneficium non videatur commune cum cæteris. Ipſe enim Saluator in Euangelio nunciantibus ſibi: *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te: Quæ eſt,* inquit, *mater mea, aut qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos, ait: Ecce mater mea & fratres mei, Et omnis qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, hic meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Omnis ergo faciens voluntatem Patris eius, mater eſt eius. Sed Maria ideò propriè mater eſt, quia naſcendo de eâ ſecundùm carnē factus eſt filius eius. Multæ mulieres DEUM timentes parturiunt DEUM Chriſtum mente, non carne: ſola autem Maria DEUM Chriſtum peperit etiàm carne: & ideò ſola propriè mater eſt DEI, quia nulla alia ſic mater eſt DEI. Beatus Apoſtolus dum Romanis ſcriberet, ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiàm proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* Dicat ergo mihi aliquis, vtrùm proprius FILIUS DEI Patris, ipſe eſt proprius filius Virginis matris, an fortè non habuit Maria proprium filium, quem DEUS habet proprium FILIUM? Sed & Maria habet proprium filium, quia genuit, non adoptauit: & illum habet proprium filium, quem habet DEUS proprium FILIUM, quia duos filios nunquàm fides catholica prædicat. Reſtat ergo, vt ſi DEUS DEI proprius FILIUS, ipſe eſt etiàm matris Virginis proprius filius, propriè eum genuerit. Alioquin ſi illa propriè non genuerit, nec ille proprius eſt filius. Proprius eſt autem filius: ergo illa propriè genuit:

Matth. 12. 47.

Rom. 8. 32.

verumtamen ſecundùm humanitatem, ſecundùm quam potuit Deus naſci.

XVIII. Supereſt nunc, in concluſione huius voluminis eiſdem duabus ſententiis, de quibus inter ſe diſputantium fratrum prolixa fit altercatio, ne qua remanere vel ſuſpicioſis videatur ambiguitas, dare quandam fidei regulam, quâ præcedente ſimplicitas loquentium manifeſtetur, & audientium remoueatur ſcandalum. Dicturus ergo vnum de Trinitate paſſum, priùs adſerat omnipotentis Dei vnam ſubſtantiam, tres eſſe perſonas: ex quibus vna perſona, id eſt Filius, Deus permanens, homo factus, & natus & paſſus ſit: neque Patre neque Spiritu ſancto pariter incarnato; quamuis opus noſtræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata. Sic autem paſſum eſſe Filium fateatur, vt credens intelligat non potuiſſe eum pati in ipsâ ſubſtantiâ, quâ Deus, & cum Patre & cum Spiritu ſancto vnus Deus eſt; ſed in illâ, quam ſine Patre & Spiritu ſancto ſuſcepit ex matre. Sed ideò diuinitatem Filij recte poſſe à fidelibus dici paſſam fuiſſe, quia ipſius eſt caro quæ paſſa eſt, & ad eius perſonam pertinet, quam cum Patre & Spiritu ſancto non creditur habere communem. Poſtquàm verò & Deum Dei Filium paſſum, & non in diuinitate ipsâ paſſibilem factum, ſed humanitate, quæ paſſibilis fuerat, intellexerit paſſum; confiteatur nihilominùs ipſius vnius Filij Dei Domini Ieſu Chriſti duas eſſe naturas, vel ſubſtantias. Et cùm pleniùs hæc pro modulo ingenij vel eloquij ſui inculcauerit, Calchedonenſis decreta Concilij, & Papæ Leonis epiſtolam ſequi ſe in omnibus profiteatur. Superadiiciens, per incarnationem Filij Dei non creuiſſe Trinitatem, nec quartam Trinitati acceſſiſſe perſonam; quia diuinitatis & humanitatis in Chriſto ſingulariter permanſit ipſa perſona; quod Neſtorius duos introducens filios negat; vt meritò iam ſectatoribus eius, fidelis Catholici lingua reſpondens, ad remouendam quaternitatem dicat, vnum de Trinitate paſſum; quem tamen inſinuet ſecundùm diuinitatem eſſe vnum de Trinitate, ſecundùm humanitatem verò paſſum. Dicturus ergo vnum de Trinitate Chriſtum, priùs iſta quæ diximus dicat; maximè quando contradicentibus, aut malè ſuſpicantibus loquitur; & alium non ædificat, qui eum malo ſenſu talia putat inſtruere. Nolo præ-

dicatorem verbi Dei, testimonio tantùm conscientiæ suæ esse contentum: perducere conetur ad cor aliorum, quod rectè ac fideliter sentiat; nec pigritiâ, nec superbiâ reuocetur, tanquàm inculcans rem dubiam, donec omni careat ambiguitate. Sit multiloquus, quantùm necessitas coëgerit; dum tamen obscurâ breuitate neminem scandalizet. Similiter dicturus Beatam Mariam verè & propriè Deum genuisse, priùs illa omnia confitens, diuinitatem Filij Dei iam de Patre natam, nec nasci, nec propriè nasci adserat potuisse; nisi carnem nostri generis, & animæ rationalis substantiam, id est, plenum hominem suscepisset: neque initium diuinitati per natiuitatem temporalem datum fuisse, sed carni; cuius initium vel conceptio non fuit nisi susceptio diuinitatis. Priùs etiàm confiteatur nec ea quæ sunt diuinitatis, posse ab humanitate, nec ea quæ sunt humanitatis, posse à diuinitate Christi separari; sed siue illud quod secundùm diuinitatem, siue illud quod secundùm humanitatem dictum, gestum, toleratúmve est, vtrique substantiæ eius esse commune. Propter vnam (quod sæpè non piget inculcare) personam, quam prædicat rectæ fidei prædicator; quamuis nouerit, secundùm humanitatem de visceribus matris propriè natam fuisse diuinitatem; securus tamen dicit; Maria Deum propriè genuit: illum genuit, qui sic homo creditur, vt Deus non negetur. Ille autem qui has dubitat proferre sententias, si cuncta quæ solent sub hæretico latere sensu, manifestis absolutísque sermonibus audierit refutari; careat suspicionibus, omittat contentiones, & de cætero vnum de Trinitate passum, vel Mariam propriè matrem Dei esse sic accipiens, quomodò dicitur à Catholicis, etiàm si aliter hoc adfirmare nitantur hæretici, doctoribus orthodoxis aures simplices præbeat.

FINIS.

VITA

BEATI FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS,

A

FERRANDO CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONO,

EIVS QVONDAM DISCIPVLO CONSCRIPTA,

Ad Felicianum Episcopum Fulgentij successorem.

PROLOGVS.

OMNIS noui testamenti fidelissimus dispensator, in quo loquitur Christus, sancte Pater Feliciane, vt exemplo suo credendum sibi facilè persuadeat, operum bonorum curam maximam gerit: & quicquid aliis faciendum dicit, ipse primitus facit. Sine causâ quippe nititur docere sapienter, nisi vixerit innocenter. Duo igitur Ecclesiæ catholicæ Doctoribus necessaria iudicantur: vita bona, & sana doctrina. Vita enim bona commendat sapienter docentem: doctrina sana ornat bene viuentem. Vita bona facit amabilem: doctrina sana laudabilem. Vita bona continuò creditur imitanda: doctrina sana nunquàm iudicatur esse repudianda. Vita bona tollit occa-

siones detrahentibus: doctrina sana resistit contradicentibus. Propterea mihi diutissimè Beati Fulgentij Pontificis, tui scilicet prædecessoris (à quo simul nutriti sumus) & nomen & gratiam cogitanti, dum frequenter ante oculos cordis mei magister egregius versaretur, dolebam tanti viri solatio caruisse populos Africanos. Et quamuis ille gaudiis cœlestibus oblectandus ad meliora migrauerit; apud nos tamen modò similem deesse Doctorem, sapientiæ eius bene conscius suspirabam. Dabatur sanè flebili recordationi quædam respiratio, quoties dulcissimos libros eius, aut epistolas, aut quos edidit populo præsente sermones, vel ego legebam, vel legentes alios audiebam. Verumtamen in illis præclaris opusculis ingenium viri sapientiámque posse agnosci, tacitus considerabam: cuius autem iustitiæ, probitatis, & misericordiæ fuerit, & quomodò laudabiliter vitam suam (quod tu bene nosti) cum familiaribus suis transegerit; sicut docuit viuens, scire plerosque non dubitabam, latere tamen plurimos sentiebam. In posterum verò, ne obliuione longâ, conuersationis eius bona nescirentur, semper & vehementiùs formidabam. Dixi ergo diù cogitans; Ecce fulget Beati Fulgentij doctrina, quoniam leguntur ab omnibus libri eius: quasi ipse loquitur, quando codex, eius titulatus nomine, legitur: quî autem fiet, vt similiter nota sit omnibus vita eius bona? Quamdiù viuunt adhuc, qui nouerunt eum, vel à certissimis testibus aliquid de eius virtutibus audierunt, potest illi præsens memoria verum testimonium perhibere. Quid aget ventura progenies? Quid in transmarinis partibus longè constituta fidelium turba? Cùm peruenerint ad notitiam lectionis, in quâ idem beatissimus Pontifex absens loquitur, & mortuus viuit, admirabuntur profectò sapientiam: vnde cognoscent innocentiam? Sicut ergo clara est eius doctrina, sic clarior fiat etiàm vita. Loquamur & narremus fratribus nostris quomodò tantus Pontifex vixerit. Nec timendum est, ne minore facundiâ Sacerdotem, qui per vniuersas orbis Ecclesias magnum nomen obtinuit, ego faciam paruum. Cuiuslibet enim sit meriti oratio, nec augere poterit ta[n]ti viri merita, nec minuere: sed proficere tantummodò ad testimonium caritatis: in quâ illi semper inhærere desiderans, salutiferis eius monitis ad suscipiendam professionem

mona-

monachorum conuersus, in illo paruissimo monasterio quod sibi apud Sardiniam pro Christi nomine relegatus effecerat, vbi iam tu Presbyter habitabas, diebus ac noctibus ante eum positus vixi; quando me super mel & fauum dulciora cœlestis eius eloquij flumina frequenter irrigabant: Et nisi sterilitas arentis ingenij præpediret, centesimum fructum gleba nostri pectoris attulisset. Sed indignus ego de tantâ plenitudine vix exiguam capere valui portionem. Tuæ tamen paternitatis orationibus fretus, libelli præsentis laborem suscipere cogitaui: in quo omnia quæ memoriter nobis audientibus ipse referebat, & illa insuper quæ oculis nostris adspeximus, aut vt iam positi in doctrinâ illius, quemadmodùm sint gesta non ignoramus, breuiter explicabo: notam falsitatis incurrere nullatenus timens; cuncta quippe senilem tuam paternitatem minimè latent. Nec tibi nunc aliqua quasi nescienti dicuntur, sed tuo potiùs testimonio confirmanda simpliciter digeruntur.

CAPVT I.

Beatus igitur & verè Fulgentius, nobili secundùm carnem genere procreatus, parentes habuit ex numero Carthaginensium Senatorum. Auus denique eius nomine Gordianus, dum Rex Geysericus memoratam Carthaginem victor inuadens, Senatores plurimos, immò cunctos, amissis omnibus bonis, ad Italiam nauigare compelleret, inter cæteros etiàm ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit, volens saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem. Post cuius obitum, duo ex filiis eius, spe recuperãdæ hæreditatis, Africanam prouinciam repetentes, manere iam intrà Carthaginem minimè potuerunt; domo propriâ donatâ Sacerdotibus Arrianis. Sed possessionibus suis ex parte per auctoritatem regiam repetitis ad Bizacium perrexerunt. Ibique in Tellepte ciuitate vnus eorũ nomine Claudius, ex coniuge nomine Marianâ, * Christianâ scilicet & honestâ fœminâ, istum, cui tanta gloria debebatur, feliciter genuit, cúmque statim quasi præscius qualis esset futurus, Fulgentium nominauit. Quem religiosa mater, moriente celeriter patre, Græcis litteris imbuendum primitus tradidit: & quamdiù totum simul Homerum

* *al.* Marrianâ.

memoriter reddidiſſet, Menandri quoque multa percurreret, nihil de Latinis permiſit litteris edoceri: volens eum peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionẽ, quò faciliùs poſſet victurus inter Afros locutionem Græcã, ſeruatis aſpirationibus tanquam ibi nutritus exprimere. Nec fefellit matrem piam cauta prouiſio. Sic enim quoties ei Græcè loqui placebat, poſt longã conſuetudinem locutionis eius & lectionis, non incõditis ſonis verba proferebat; vt quaſi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Litterarum proinde Græcarum præceptâ ſcientiâ, Latinis litteris (quas magiſtri ludi docere conſueuerunt) in domo edoctus, artis etiã Grammaticæ traditur auditorio: magnitudine ingenij cuncta ſibi tradita memoriter & veraciter retinens. Inde tamen domeſticorum negotiorum cogente neceſſitate citò ſublatus, paternæ domus gubernationem ſuſcepit adoleſcens; ita ſe maternis imperiis ſubdens, vt ibi quoque Chriſti exiſteret imitator, de quo ſacra Euangelia conteſtantur: *Et erat ſubditus illis*, id eſt, parentibus. Gaudebat venerabilis mater, & præclarâ indole ſapientis filij, mœrorem viri amiſſi conſolabatur. Cœperat in illâ familiâ eſſe, qui amicis obſequium beneuolus redderet, inimicos rationabiliter repelleret, ſeruos manſuetus & ſeuerus regeret atque corrigeret, patrimonium diligens coleret, ſublimioribus poteſtatibus cariſſimus fieret. Cuius rei gratiâ, creſcente per ſingulos dies famâ eius, repentè Procurator ordinatur, hinc initium ſumens imperandi, & conſulendi, ac gubernandi quamplurimos.

Luc. 2. 51.

CAPVT II.

ACceptâ tamen hac poteſtate, dum clementer vtitur, & neminem lædere pro ingenitâ ſibi bonitate deſiderat, atque in exigendis penſionibus crudelitatem iubetur exercere, cœpit ſæcularium negotiorum grauis apparere ſarcina, & diſplicere felicitas vna: paulatímque laudabili patientiâ ſuccedente, vitæ ſpiritalis amor exurgere: deſiderium lectionis inſuper, & orationis indefeſſum creſcere ſtudium. Monaſteriorum proinde ſuauiſſimos greges frequentiùs viſitans, ſeruorum Dei mores propoſitúmque diſcebat. Inter abſtinentes nulla

esse gaudia sæculi, sed nulla esse etiàm tædia sentiebat. In summâ abstinentiâ viuentes, videbat neminem calumniatorem timere, sed se inuicem diligere. Considerabat etiàm multos adolescentes perpetuæ continentiæ deditos, ab omni posse abstinere concubitu. Talibus apud semetipsum cogitationibus fluctuabat, atque in hæc verba prorumpens; Cur obsecro, aiebat, sine spe futurorum bonorum laboramus in sæculo? Quid nobis aliquando præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus (licèt sit meliùs bene flere, quàm malè gaudere) quantò meliùs tamen gaudent quorum sic in Deum tranquilla est conscientia? quos minimè terret exactoris improbi violentia? qui nihil timent nisi peccata? nihil agunt nisi vnde possunt diuina implere mandata? Non fatigantur publicis excursibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miserabiliter, aut timere deformiter. Operantes manibus suis non aduersantur vtilitatibus alienis: viuunt inter se se pacifici, sobrij, mites, humiles, atque concordes. Nulla illis cura libidinis; immò magna sollicitudo & iugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros. Arripiamus hanc bene viuendi constantiam. Sit nobis vtile quod gratiâ Dei reuelante meruimus meliora cognoscere. Abiiciamus pristinos mores, & mutemus labores. Nitebamur priùs inter amicos nobiles, apparere nobiliores; nitamur modò inter seruos Dei pauperes, effici pauperiores. Si coacti sumus exigere debitores, conemur modò conuertere peccatores. Solet etiàm de publicis exactoribus efficere Christus Dominus noster magistros Ecclesiæ: de telonio enim vocatus est Matthæus, vt Apostolus fieret. Neque nos huic honori personam conuenire credimus nostram: Sed si ille deposito officio exactionis, accepit officium prædicationis; mihi non licebit, post depositam procurationem, pœnitentis assumere lamentationem? Refugium nostrum Deus est. Nulla de ætatis imbecillitate nascatur excusatio: potens est quippe Deus, qui dat continentiam tantis adolescentibus, quos videmus in monasteriis viuere, mihi quoque peccatori similem gratiam donare.

CAPVT III.

POst hæc verba diutiùs in suo pectore ruminata, decreuit Spiritu sancto reuelante, sæcularibus omnino renunciare delictis, & illius vitæ socius fieri quam laudabat. Priùs tamen cogitans, ne subita mutatio mentem simul corpúsque perturbans, inter ipsa conuersionis initia, grauissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret, occultè arripuit rara exercere ieiunia: dehinc paulatim progrediens, antiquorum sodalium tentabat vitare consortia. Segregatus frequenter à turbis, in possessione propriâ, nescientibus omnibus parentibus & clientibus, quasi propter actionis laborem tintis sedebat; & ibi orabat, legebat, ieiunabat, epularúmque immoderatam copiam minuebat, ad balneas penitùs non accedens. Et sub ipsâ adhuc professione laïcâ, plenus iam monachus conuersabatur. Stupebant omnes qui nouerant eum, & tam delicati viri mirabilem parsimoniam; causamque mutationis huius interpretabantur ex angustiâ natam pusillanimitatis. Apud illum verò per singulos dies amor sanctæ professionis, & mortificationis impensior cura crescebat. Aliquando igitur vbi omnia quæ sibi dura videbantur expertus, adiutorio gratiæ spiritalis voluntati suæ sensit suppetere facultatem, Beati Augustini exponentis tricesimum sextum Psalmum disputatione commonitus & compunctus, publicare suum statuit votum: mutare gestiens habitum, ne vel amicabiliter ad se venientes pati cogeretur cum quibus diu sæculariter vixerat. Cogitabat autem vir prudentissimus conuersionem sui cordis sibi soli vtilem futuram, si latere potuisset: publicatam verò, multis aliis exemplum bonum dimittendi peccata pristina præstaturam. Quis enim mediocris aut pauper fieri monachus erubesceret, dum Fulgentium videret genuini fastus arrogantiâ recedente, duras abstinentiæ vias, patientiæ gressibus ambulantem?

CAPVT IV.

FVit autem tunc temporis Episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus, qui pro fide catholica non

longè à cathedra suâ iussus fuerat relegari. De multis enim Sacerdotibus hoc Hunerici tyranni persecutoris astuta malignitas ordinauerat, vt iuxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinentes, ad negandum Deum facile flecterentur. In eodem proinde loco vbi relegatus tenebatur, monasterium sibi construxerat, in quo spiritaliter viuens, apud omnes Christianos honorabilis habebatur. Ad hunc ergo Sanctus Fulgentius, quippe ei notissimus alacriter venit, eique votum sui cordis fideliter indicauit. Ille autem sciens sæcularem omnino iuuenem, verebatur talia credere pollicenti, dicens ei; Quare fili mentiris, vt seruos Dei fallere delecteris? Tunc eris monachus, aut antiquam deliciarum tuarum consuetudinem sic repentè mutabis, vt escarum vilium negligentior apparatus, & vestium sordidarum tuum animum non offendat abiectio? Prius est, vt sis saltem laicus minùs deliciosus, & tunc forsitan credibile putabo, quòd renunciare sæculo aut velis, aut valeas. Ad hæc ille iuuenis magìs ac magîs inflammatus, repellentis manum suppliciter osculatus, sic oculis in terram depositis precabatur; Potens est, Domine Pater, dare volenti facultatem, qui nolenti tribuit voluntatem. Permitte me tantùm tuis inhærere vestigiis, aperi mihi ianuam monasterij, præbe sanctæ ædificationis adiutorium, fac me vnum de discipulis tuis: & Deus nouit quomodò me liberet ab iniquitatibus meis. Hæc audiens beatissimus senex, grauissimum putauit supplicantem diutiùs spernere. Tandémque flexus ad consentiendum; Mane, inquit, nobiscum, fili, sicut vis: experiamur paucis diebus, vtrùm verbis facta concordent. Vtinàm superfluus sit timor meus, & professio tua inueniatur stabilis. Postquàm igitur supplicanti consensum præbuit Sanctus Faustus Episcopus, sonuit illico per affines & notos, Fulgentium monachum factum. Gratulabantur boni, confundebantur mali. Quosdam faciebat vita eius transacta in deliciis, desperare: quosdam singularis ingenij notissima scientia magnum aliquid suadebat de profectu eius velociter sperare. Quidam verò familiares eius, quibus ab infantiâ carissimus amicus & fidelissimus fuerat, eum imitari cupientes, ipsi quoque sæculum contempserunt, & se monasteriorum gregibus mortificatâ voluntate iunxerunt.

CAPVT V.

AVdit hoc mater referentibus multis, ad conſortia monachorum fugiſſe Fulgentium, totiúſque domus regendæ atque gubernandæ curam penitùs dimiſiſſe, nec omnino iam poſſe de tali propoſito reuocari. Turbatur, expaueſcit, & amoris nimij deſiderio concitante, quaſi iam Fulgentius moreretur, (quamuìs bene moreretur, qui ſic moriebatur) cœlum nimiis lamentationibus pulſat, & ſicut ſolent matres in funeribus filiorum, modum neſcit habere lacrymarum. Rapitur inconſideratis curſibus ad monaſterium furibunda, contumeliis & conuitiis Sanctum Fauſtum nihil dubitans aggreditur. Redde, inquiens, filium matri, redde dominum ſeruis. Sacerdotes ſemper multa beneficia viduis præſtant, quare nunc domus viduæ per te perit? Cui patienter reſpondebat Epiſcopus; Si tu mihi filium tuliſſes, ego te mulier deberem quantùm dolor imperaret arguere: modò tu mihi iuſtè contumeliam facis, quia ego tibi filium tuli. Quando enim tibi diſplicet, quia ſeruiturus eſt Chriſto, benè facis, contumelias inferens Fauſto. Sub his etiàm ſermonibus æquanimiter tolerans & affabiliter arridens, videndi ſaltem filium nullam prorſus dat licentiam. Illa ſciens quantùm diligeretur à filio, magnis ante ianuam monaſterij clamoribus eiulabat: & Fulgentij nomen frequentiùs inclamans, deſolationem ſuam miſerabiliter allegabat. Hæc prima Beatum Fulgentium tentatio multis viribus impulit; dum ſuam genitricem, quam ſemper amauerat, cui maximâ deuotione ſeruierat, audiret auribus ſuis flere. Surſum tamen corde poſitus, audiebat & non audiebat: nec illius preces aduertere dignum putabat, quia pietatem ſolitam religiosâ crudelitate vincebat. Ibi iam futuræ patientiæ in laboribus multis exemplum fideliſſimum præbebat, & ſimilis ebrio per ſpiritalem gratiam factus, vtrùm mater eſſet, quodammodò ignorabat. Hìc eum Beatus Fauſtus Epiſcopus ex toto corde conuerſum primitus approbauit, & cum gaudio cæteris fratribus dixit; Facilè poterit hic iuuenis tolerare quemcumque impoſuerimus laborem, qui poteſt maternum iam deſpicere dolorem. Illa mater dum ſe plangere ſæpiùs, nec

ad se filium prodire cognosceret, in eodem loco eum iam non esse credebat: quia si ibi esset, non ferre posse dolorem matris, adhuc virtutis eius nescia putabat. Sæpè ergo iens ac rediens, & Episcopo molestias, & filio plurimas afferebat insidias, donec tædio victa propriam reuerteretur ad domum.

CAPVT VI.

BEatus ergo Fulgentius supra credibilem modum laboribus abstinentiæ se cruciabat, sinè vino & oleo manducans & bibens, sic parcè & tenuiter, vt inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diuersis vlceribus cogeret: ac superductâ quam dicunt impetigine, delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi tunc Beatum Fulgentium sub occasione ipsius infirmitatis aut recessurum simul à proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parsimoniam custodiret. Ille verò contra spem omnium, misericordiæ Dei præuenientis auxilio gubernatus, ex infirmitate corporis ampliores animi vires capiebat, & tantò abstinentior, quantô debilior, de salute perpetuâ iugiter cogitabat: salutem verò corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicens; Scimus omnes ex epulis vitam solere seruari, non sanitatem posse conferri. Nam vt sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas, quare infirmantur etiàm illi qui conuiuiis lautioribus quotidiè saginantur? Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercebat abstinentiam satìs humiliter. Paruum namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis eius miserator & misericors Deus adiutorio superni iuuaminis fulciens, velociter ei corporalem restituit sanitatem.

CAPVT VII.

TVnc animus viri sapientis altiori pietate commotus, cùm totâ mente mundum sibi crucifigeret, & ipse mundo crucifixus, iter rectum *à iuuentute suâ*, sicut scriptum est, ambularet: portionem substantiæ propriæ, quamuis haberet fra-

Thren. 3. 27.

trem iuniorem nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, vt à matre postmodùm, si benè seruiuisset, donaretur & fratri. Sic salubri consilio superbiam iunioris fratris edomare desiderans, vt qui esse nolebat humilis propter pietatem, disceret humilis esse propter hæreditatem: mater quoque sanctissima post discessum dulcissimi filij, cuius iam non poterat obsequio lætificari, eius meruisset beneficio consolari. Quantas tunc ibi vniuersi laudes & gratias Domino retulerunt! cùm viderent Beatum Fulgentium sæculari cupiditate calcatâ, rebus quas distrahere & donare pauperibus non poterat ne offenderet bonam matrem, renunciasse penitùs, vt Christum inuenire mereretur doctorem. Finita iam erant cuncta quæ eum in conuersionis primordio videbantur affligere.

CAPVT VIII.

SEd quia hæc vita nunquàm potest sine suis tentationibus præteriri, nascitur rursus talis persecutio fidei, vt sanctæ memoriæ Faustum Episcopum cogeret per diuersas latebras commigrare, nec in ipso monasterio iugiter sineret requiescere. Tunc Beatus Fulgentius timens aut in illo loco solus remanere, aut de loco in locum frequentiùs transmigrare, consulto priùs Episcopo Fausto, vicinum monasterium petiit: vbi paucis, sed simplicibus fratribus Felix nomine Abbas præerat, amicus eius ab adolescentiâ, cum quo semper etiàm laïcus familiariter vixerat. Tunc igitur eum Felix Abbas cum gaudio suscipiens, imparémque se eius virtutibus sciens, & nomen & potestatem ei tradidit Abbatis. Ille plenus studio humilitatis, excusat priuilegium potestatis: & post multa certamina pietatis, ex consensu totius congregationis, passus violentiam caritatis, vix consentit esse collega boni consortis. Ita duo viri sanctissimi, diligentes æqualiter Deum & proximum, ambo moribus similes; ambo meliores proposito, conuersatione æquales, vnus scientiâ superior, iugum bonum gubernandæ congregationis excipiunt. O quàm felix seruorum Dei numerus fuit, quibus cœperat præesse Fulgentius! O quantùm fulgebat illud monasterium, cui dispensator permanserat

mANSERAT

manſerat Felix! Dabant ſibi mutuis nominibus etiàm ipſi non minoris laudis auſpicium. Felix vocabatur Fulgentius viam Domini currens, & famâ creſcente Fulgentij, capiebat fructum ſui culminis Felix. Vnus tamen eorum, Beatus videlicet Fulgentius, docendis fratribus peculiariter vacabat: alter in quotidiano miniſterio ſollicitiùs laborabat. Superuenientibus fratribus, vnus verbum Dei ſingulariter prædicabat: alter hoſpitalitatem diligenter præparabat, & hilariter offerebat. Nihil alter ſine conſenſu alterius faciens, ſed ſic ambo cæteris erant imperantes, vt ſub vnius ſe regulâ crederent conſtitutos. Ita dum timebat Fulgentium offendere Felix, Felicémque Fulgentius, mortificatis voluntatibus propriis, vterque viuebat, & de fratrum quibus conſulebant vtilitate laudabiles, & de mutuâ quam ſibi reddebant inuicèm ſubiectione ſublimes. Quis iſtius affectus explicare poſſit loquendo virtutem? Quos quieta pax adunauerat, nec bella valuerunt feralia ſeparare.

CAPVT IX.

SEd cùm ſubitò barbaricæ multitudinis prouincia turbaretur incurſu, videntes ſalutem temporalem fugæ præſidio vindicandam, labores illico perferendæ peregrinationis excipiunt; limatóque conſilio procul abſcedunt, vbi nulla belli naſcentis opinio, conſtruendi monaſterij præberet integram facultatem. Promouent igitur caſtra ſpiritalia Duces inclyti cœleſtis exercitus, & per ignotas Africæ regiones, monachorum ſuorum cateruâ comitante pariter gradiuntur; vbique gaudium facientes bonis, inuidiam malis. In territorio denique Siccenſi dum cogitant certas ſedes ſtatuere, regionis fœcunditate delectati, virorum etiam fidelium deuotione ſuſcepti; Presbyter quidam ſectæ Arrianæ in fundo Gabardillâ perfidiam prædicans, cui nomen quidem inter homines Felix, ſed voluntas aduersùs Deum ſemper infelix: natione barbarus, moribus ſæuus, facultatibus potens, Catholicorum perſecutor acerrimus. Hic Beati Fulgentij nomen in illis regionibus clarum fieri ſentiens, reconciliandos occultè multos quos deceperat, ſuſpicatur. Nec virum dignum ſacerdotio,

verè adhuc esse monachum credidit, sed eum sub habitu monachi, Sacerdotis officium implere putat. Et reuerà Sacerdotis officium laudabiliter etiàm tunc implebat, non tantùm aliquos reconciliando, sed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis inuitando. Cuius sermo dulcis & rectus, quia dura quoque corda molliebat, nec immeritò hunc Presbyterum sic timere pro suâ perfidiâ compellebat. Arripit igitur Presbyter, insani furoris stimulis concitatus, seruos Dei crudeliter persequi, & per omnes vias custodibus deputatis, ambulantium simpliciter obsidet itinera. Necessarium quippe fuerat athletas fortissimos voluntariis abstinentiæ laboribus ad omnem tolerantiam præparatos, persequentium paululùm tradi manibus; vt martyrialis agonis participes effecti, illata discerent supplicia tolerare; probaturi quid profecissent, si flagellis membra omnia dissipantibus à fide verâ minimè defecissent. Nescientes ergo cogitationes maligni serpentis, habentésque fiduciam conscientiæ, nihil timentes, ambo simul gradiebantur secum loquentes.

CAPVT X.

ET ecce subitò quasi violentia sæuissimæ tempestatis inuadit incautos, diuidit iunctos, ligat diuisos, & feralibus vinculis oneratos perducit ad Presbyterum vinctos. Efficiuntur subitò sine crimine rei, sine belli sorte captiui. Quibus enim fugientibus nihil nocere potuerunt Mauri, pœnas ingerunt Arriani. Tunc antequàm tenerentur, Felix Abbas paucos solidos, vnde fratrum sustentabatur inopia, simpliciter vbi metus suaserat proiecit, & custodiendos Dei seruis, ipsi Deo committit. O diuini singularis potentia miraculi! Nemo valuit solidos illos proiectos aspicere, nullus permissus est victum pauperum pauperibus tollere: sed illi soli qui sic probandi fuerant, tenentur, ligantur, ad Presbyterum perducuntur. Quibus ore terribili violentus Presbyter intonat; Cur ex vestris regionibus occultè venistis Christianos Reges euertere? Bene enim miser Christianos Reges esse dicebat, in quibus Christum Regem Regum miserabiliter exsufflauerat, & quos Filium Patri æqualem negare similis Antichristo docue-

rat. Illis ad hæc veracissimæ responsionis verba parantibus, inferri præcepit verbera primitus. Igitur Felix Abbas vehementi caritate commotus; Parcite, ait, fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre: Nolite istum cædere, inter vestras manus forsitan moriturum: Conuertatur in me vestra crudelitas: ego scio quid confitear, in me est omnis causa. Tunc dilectionis admiratione stupefactus, remoueri paulisper Beatum Fulgentium iubet, atque illum grauiùs cædi ministris sæuissimis imperat. Tunc hilari animo Felix Abbas verberibus subditur. Dolorem quippe cum gaudio sustinebat, quia Beatum Fulgentium nihil adhuc pati videbat. Ecce qualis fuit Beatus Fulgentius circa amicos, vt vsque ad mortem diligi mereretur. Ista quippe caritas Beati Felicis, vitæ illius sanctæ magnum perhibet testimonium. Neque enim salutem suam pro illius salute despiceret, nisi sibi primitus & multis vtilem iocundúmque sentiret. Imitentur vtrosque qui Deo placere desiderant. Alios doceat Beatus Fulgentius sic viuere inter fratres, vt amentur, foueantur, & in summis necessitatibus adiuuandi, etiàm si periculum non defuerit, iudicentur. Sumant alij de bono facto Felicis Abbatis exemplum, melioribus fratribus & in Dei timore plùs proficientibus, omnem gratiam bonæ voluntatis impendere. Quando enim talis caritas inter fratres fuerit, qualis inter sanctissimos viros fuit, vis totius tentationis facilè superatur, inimicorum verò pertinacia continuò frangitur: quamuìs sæuissimus Presbyter etiàm tunc de Felicis Abbatis iniuriâ minimè satiatus, nec Beato Fulgentio parcendum putauit.

CAPVT XI.

Beatus verò Fulgentius, vir omnino delicati corporis, vtpote ex familiâ natus illustri, violentos impetus fustium repentini doloris acerbitate crescente vix tolerans, sicut ipse nobis posteà referebat, cogitauit Presbyteri furentis insaniam vel mollire si posset, vel certè paululùm donec recrudesceret auocare; quò faciliùs inter ipsas moras inueniret spatium respirandi, ne continuata pœna omnino intolerabilis fieret; Dico aliquid, si loquendi potestas tribuitur, dum cæderetur, ex-

clamat. Tunc Presbyter putans eum confiteri velle, iubet quiescere cædentes, & sic adhuc ad flagella suspensum loqui præcepit quod volebat. Vbi dum Beatus Fulgentius eloquentiæ solitæ sermonibus blandis, suæ peregrinationis est narrare aggressus historiam, Presbyterum facit attonitum, diúque nimiâ verborum suauitate delinitum, penè totius crudelitatis reddit oblitum. Miratur Presbyter Beati Fulgentij facundiam, probat sapientiam, magnúmque aliquem virum coniiciens, erubescit inferre violentiam. Sed ne suis proderet suam superatam fuisse sæuitiam; Cædite ait iterum fortiter, & multiplicatis flagellis lacerate verbosum. Etiàm me puto seducere cogitat, longóque inanis fabulæ circuitu quid conficere moliatur ignoro. Recrudescit iterum manus vesana tortoris, flagellisque innumeris Beatus Fulgentius exaratur. Tandem Presbyter de illatâ cæde confusus, virorum laudabilium merita sentit; nec apud se eos tenere diutiùs ausus est, sed deformiter decaluatos, ablatis etiàm omnibus vestimentis, ex domo suâ nudos inanésque proiecit. Sed nec illa decaluatio viris sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem: quia tolerata propter amorem religionis iniuria, primæ iam confessionis decorauerat ornamento, supernâ gratiâ fulciendos. Processerunt itaque de domo Presbyteri tanquam de loco gloriosi certaminis, insignis victoriæ laureis coronati. Reuersíque per campum vbi fuerant capti, solidos quos Abbatem Felicem proiecisse diximus, integro ibi numero seruatos inueniunt, & quasi ex diuinâ manu restitutos hilariter accipiunt, agentésque ineffabiles Deo gratias, qui consolatur humiles in omni tribulatione eorum, reuertuntur ad proximos fratres. Huius autem crudelissimi facti detestabilis opinio cunctam simul mœstificat regionem; nunciatur etiàm Carthagine fama. Inter alios quoque Arrianorum Episcopus dolet mactatum graui cæde Beatum Fulgentium. Et quia parentes eius cognitos habebat idem Episcopus, ipsúmque Beatum Fulgentium singulariter adhuc laïcum dilexerat, aduersùs Presbyterum suæ religionis & parochiæ, qui cædis auctor extiterat, grauiter commouetur; vindicare Beatum Fulgentium parans, si querelam de memorato Presbytero deponere voluisset. Sed Beatus Fulgentius multis vt hoc faceret suadentibus;

Non licet, ait, in hoc sæculo vindictam quærere Christiano. Nouit Deus quomodò seruorum suorum defendat iniurias. Iste Presbyter si grauissimi sceleris inter homines me agente receperit vltionem, patientiæ nos apud Deum perdimus retributionem: maximè quia multos paruulos scandalizare poterit, si Episcopi Arriani iudicium qualiscumque peccator, tamen Catholicus & monachus quæram. Nolens ergo retribuere mala pro malis, & vitam suam sciens necessariam bonis, ne quam forsan hæreticorum violentiam denuo paterentur, ex illâ prouinciâ rursus egrediuntur, & ad vicina prouinciæ suæ loca celeriter regrediuntur; eligentes vicinos potiùs habere Mauros, quàm pati molestissimos Arrianos.

CAPVT XII.

IVxta ciuitatem proinde quæ Ididi nuncupatur, fundare monasterium incipiunt: vbi paruo tempore Domino seruientes insistebant operibus caritatis: donec subitò Beatus Fulgentius Ægyptiorum Monachorum vitas admirabiles legens, Institutionum simul atque Collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras nauigio petere statuit: duabus videlicet ex causis, vt vel ibi deposito nomine Abbatis, sub regulâ viueret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. Et quia desiderium suum impediri poterat publicatum, quærit primitus occasionem proficiscendi Carthaginem. Dehinc veniens ad ipsius mœnia ciuitatis, vno tantùm fratre, cui nomen erat Redemptus, socio peregrinationis electo, nauim conscendit, Alexandriam petiturus: nullos fortè sumptus tantæ peregrinationi necessarios secum ferens, sed in Deo qui diues est, spem suam firmiter ponens, suauiter canebat cum Dauid; *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit*: *Psal. 22. 1.* Ventis itaque flatu prospero consequentibus, Syracusanum contigit feliciter portum, Deíque summi prouidentiâ gubernante ductus est ad hanc ciuitatem, vbi tunc Ecclesiam catholicam beatus Papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ caritatis: in cuius corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus, multos talentorum dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim

discretionis super omnia decoratus, monachorum professionem singulariter diligebat; habens etiàm ipse monasterium proprium, cui semper adhærebat, quotiens ab ecclesiasticis actibus vacabat. Ad hunc ergo Beatus Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipitur; neque tamen diù latere permittitur. Mox enim, sicut moris est in conuiuio Sacerdotis, dum de diuinis rebus ortus est sermo, virum singularis scientiæ locutio sua continuò prodidit. Intellexit Episcopus ex ornatu sermonis, & responsionum moderatione, sub monachico habitu magnum latêre Doctorem: distulit tamen, eundem vel quis esset, cúrve aduenisset, conuiuis præsentibus inter epulas quærere. Post prandium verò cùm meridianis horis ante vesperam in domo suâ deambularet, Episcopus per fenestram respiciens, obseruantem sibi sicut cæteros Beatum Fulgentium vidit. Quem continuò peculiariter vocans; De Institutionibus, ait, & Collationibus loqui cœperas, cùm pranderemus: Affer, obsecro, mihi codicem si portas. Ille sine morâ iussis obediens codicem detulit, in quo quid cõtineretur verbis propriis iussus exponit. Admiratur Sanctus Eulalius scientiam iuuenis, & tali hospite delectatus, cur ex Africâ venerit, diligenter inquirit. Ille metuens arrogantiæ notam, si desiderium suum fateretur, incurrere; Parentes, inquit, meos requiro, quos illis in partibus viuere peregrinos audiui. Verè enim parentes suos requirebat, quorum suauissimos mores imitari cupiebat. Intellexit Episcopus responsum non manifestum, totiúsque itineris eius per alterum fratrem qui fuit simplex, inuestigat causas. Ibi tunc Beatus Fulgentius salubriter proditus, veritatem simpliciter confitetur: Iturúmque se ad vltimam Thebaidæ regionis eremum dicit, vt illic sicut lectio monebat, mundo mortuus viueret, vbi maior scilicet abstinentium numerus assumptioni suæ nullum gigneret impedimentum, sed forte potiùs præberet exemplum. Rectè facis, respondit Episcopus, cupiens meliora sectari, sed scis quoniam Deo sine fide impossibile est placere. Terras ad quas pergere concupiscis, à communione Beati Petri perfida dissensio separauit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum altaris Sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere ieiuniis corpus, vbi

Hebr. 11. 6.

ſolatiis ſpiritalibus indigebit anima, quæ multò melior eſt corpore? Reuertere fili, ne vitæ melioris intuitu, periculum rectæ fidei patiaris. Ecce & ego quondam iuuenis, antequàm me pontificalis honoris gratia præueniret indignum, diù cogitaui ſanctiſſimæ huius profeſſionis in ipſius prouinciæ monaſteriis adimplere propoſitum: ſed hæc cauſa me prohibuit aſſumpta perficere. Conſentit Beatus Fulgentius monentis Patris conſilio ſalutari, ſuæque intentionis feruore depoſito, ſuadetur ibi apud Syracuſam paucis menſibus degere, Sancto Eulalio præbente victum & hoſpitium congruum. Sed quia bonæ indolis mens nunquam vacat, caritatis opera ſemper exercens, in ipſo paruiſſimi hoſpitij quod acceperat habitaculo, cœpit hoſpitalitatem multis superuenientibus exhibere peregrinis, & alterius indigens ſolatio conſolandos ſuſcipere peregrinos. Miratur Sanctus Eulalius affluentem ſancti animi libertatem, magnóque gaudio ſaginatur, dum per manum Beati Fulgentij, cui victum quotidianum nihil habenti miniſtrabat, alimenta miniſtrari non habentibus videret: & ſi fas eſt dicere comparatione minorum creſcere ſolere maiores, quamuìs eſſet Sanctus Eulalius in pauperibus gubernandis omnino perfectus, opera tamen Beati Fulgentij conſiderans, de die in diem plùs miſericors efficiebatur & largus.

CAPVT XIII.

PEracto itaque præſentis hyemis tempore, cura vehemens Beatum Fulgentium cõmouet, Epiſcopum quendam Rufinianum nomine, qui perſecutionis violentiam fugiendo declinans, ex Byzaceno Concilio nauigarat, ibíque prouinciæ Siciliȩ vicinus in quâdam breuiſſimâ commorabatur inſulâ, vitam monachi laudabiliter gerens, videre indifferenter: vt eius admonitione ſecundò firmatus, quid facere deberet, agnoſceret. Hoc autem volebat, non quia Eulalio Pontifici minùs credebat, ſed in rebus dubiis vtiliſſimum ſemper eſſe multorum conſilium ſentiebat. Per * multos itaque pedeſtris labores itineris ad illum Siciliæ veniens locum, cui plùs propinquior illa inſula fuerat, vbi Sanctus Rufinianus Epiſcopus habitabat, modicâ nauiculâ deportatus, Sacerdoti venerabili velociter præ-

* al. Post

ſentatur. A quo ſimiliter ne in Ægyptum proficiſci perſeueraret admonitus, redire protinus ad proprium monaſteriũ, neque tamen Apoſtolorũ memoriam prætermittere ſtatuit. Occaſione igitur nauigij felicioris inuentâ Romam venit, & auctorum ſæcularium conſono ſemper ore laudatam, capútque mundi veraciter appellatam, feſtinus ingreditur ciuitatem. Fuit autem tunc in Vrbe maximum gaudium; Theoderici Regis præſentiâ, Romani Senatus & populi lætificante conuentum. Vnde contigit, vt Beatus Fulgentius, cui mundus olim fuerat crucifixus, poſtquàm ſacra Martyrum loca venerabiliter circuiuit, omnéſque ſeruos Dei, quorum in breui capere notitiam potuit, humili obſequio ſalutauit: in loco, qui Palma Aurea dicitur, memorato Theoderico Rege concionem faciente, Romanæ curiæ nobilitatem, decus, ordinémque diſtinctis decoratum gradibus adſpectaret, & fauores liberi populi caſtis audiens auribus, qualis eſſet huius ſæculi glorioſa pompa cognoſceret. Neque tamen in hoc ſpectaculo libenter aliquid intuitus, nugis illis ſæcularibus ſuperfluâ illectus delectatione conſenſit; ſed inde potiùs ad illam ſupernæ ciuitatis Ieruſalem deſiderandam felicitatem vehementer exarſit: ſalubri diſputatione præſentes ſic admonens Fratres; Quàm ſpecioſa poteſt eſſe Ieruſalem cœleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris! Et ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem: qualis honor & gloria & pax præſtabitur Sanctis contemplantibus veritatem!

CAPVT XIV.

MVlta his ſimilia Beatus Fulgentius illo die ſalubriter diſputauit, & iam toto corde monaſterium ſuum reuiſere cupiens, ad Africam velociter per Sardiniam nauigauit: vix credentibus præ nimio gaudio monachis ſuis Beatum Fulgentium rediiſſe. Neſciebat planè ſancta fraternitas quid primitus ageret; vtrùm de abſentiâ Patris quereretur, an potiùs de præſentiâ lætaretur. Nullus tamen auſus eſt eum quia diſceſſerat culpare: ſed cuncti potiùs ſatagebant pro reditu eius Deo gratias agere. Iunguntur ſeruorum Dei gaudiis etiàm laïci: lætantur omnes honeſti ac nobiles viri, quòd Beatus Fulgentius

tius Africanæ Ecclesiæ Doctor prædestinatus, non diù fuisset transmarinis regionibus occupatus. Certatim denique singuli properant ampliora præbere solatia pietatis, quibus foueretur animus reuertentis. Offertur denique à quodam, nomine Siluestro, bene Christiano, & prouinciæ Byzacenæ primario, locus aptus monasterio fabricando, cuius gleba pinguis ac fertilis, instituendis hortis optabili fœcunditate congrueret, & quod plùs eligendum videbatur, longè adhuc à furore bellico constitutus, quietissimæ pacis securitatem plenissimam daret: honestis plurimis per vicinas possessiones commanentibus, quorum frequens oblatio transactionem monachis facillimam promittebat; vt regnum Dei quærentibus, nulla cura sæcularis transactionis obstreperet. Libenter itaque Beatus Fulgentius hominis religiosi deuotam suscipiens oblationem, sine morâ in loco sibi concesso monasterium fundat, plurimósque ad conuersionem piis monitis inuitando, monachorum numerum multiplicat, & magnæ congregationis efficitur Pater. Qui quamuis spiritalia meditari iugiter concupisceret, ampliori tamen sollicitudine discendi cōpellitur; otium sanctum quærens ex dilectione veritatis, negotia multa suscipiens ex necessitate caritatis. Vnde victus aliquando contemplatione meliorum, lectioni & orationi tantùm vacare desiderans, cogitauit diù quomodò sarcinam præsentis oneris abiiceret, & sub aliorum regimine ipse potiùs constitutus, sub regulâ viueret, quàm viuendi regulam cæteris traderet: secundùm præceptum Domini, magis vtile iudicans imperantibus obedire, quàm obedientibus imperare. Cogitanti verò ista diutiùs, talis subitò sentētia nascitur. Est in medio vadosi maris sinu, monasterium Vicensi proximum littori, Benefensi autem maximâ ex parte contiguum, vbi neque hortos colere, paruissimi scopuli limes finit angustus, neque ligni vel potabilis aquę consolatio saltem ministratur exigua: sed rei vtriusque breuissimis nauiculis quotidiè sufficientia præparatur. In hoc monasterio rigidi propositi disciplina antiqua seruatur; ab infantiâ suâ plurimis vsque ad decrepitam senectutem sanctissimè ibi viuentibus, sanctæque professioni opera congrua laudabiliter exercentibus. Vbi tunc duo Presbyteri peculiares & meritò mirabiles, & immaculatæ senectutis honore venerabiles, Abbatis

officio fungebantur: nunquàm de cœnobio recedentes, sed ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes. Ad hoc ergo monasterium clam Beatus Fulgentius proficiscitur, ibíque in congregatione tam maximâ nomen deponit Abbatis: & adunatus multitudini monachorum, fulget quidem super cæteros mirabili scientiâ, eloquentiáque spiritali; sed subiicitur omnibus laudabili humilitate atque obedientiâ singulari. Memor quippe illius euangelicæ sententiæ, quâ Dominus noster dicit; *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me*: omnes suas mortificat voluntates; ieiuniis insuper, orationibus, vigiliis, & abstinentiæ vacans, totúmque se cum vitiis & concupiscentiis sæcularibus crucifigens, manibus etiàm suis delectabiliter operabatur. Nam & scriptoris arte laudabiliter vtebatur, & ex palmarum foliis flabellos sæpissimè contexebat. Cui operi etiàm cùm fuisset Abbas, in suo monasterio vacabat: lectioni autem in cellulâ frequenter coram fratribus insistebat, apud omnes amabilis, honorabilis, & iocundus.

Ioan. 6. 38.

CAPVT XV.

SEd quanta in eodem monasterio lætitia, tanta in illius proprio exorta est repentè tristitia. Gaudebant isti qui eum susceperant, dolebant illi qui amiserant. Nascitur inter eos noua pugna caritatis. Isti nouum socium tenaciter amplectuntur, illi antiquum Patrem reddi sibi suppliciter deprecantur: Isti se ornari de præsentiâ eius, illi de absentiâ deficere confitentur. Beatus verò Fulgentius magìs volens discere quàm docere, consentit hìc esse vbi fuit inferior; & trepidat illuc redire, vbi cunctis possit esse superior. Tunc Abbatis Felicis & omnium fratrum quos reliquerat, dolor ex necessitate consilium sumens, patrocinio Sancti Fausti Episcopi insulanos monachos pulsat. Ille protinus episcopali auctoritate suum esse monachum Fulgentium allegat; sibíque reddi, & vbi ipse iusserit, viuere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus: ipsum verò Fulgentium, nisi consentiat, inobedientibus similem pronunciat iudicandum. Quid multa? Deponitur rursus Beatus Fulgentius ad monasterium

proprium, subire præcipitur Abbatis officium. Et ne iterum à desiderio spiritali mutabilis fieret, repentè eum Sacerdos consecrat Presbyterum: vt Abbatis & Presbyteri decoratus officio, nec monasterium relinquere, nec in aliâ posset Ecclesiâ forsitan ordinari. Victus igitur, & honoris compedibus vinctus, cœpit iam Beatus Fulgentius æquanimiter monasterium suum regere, famâque crescente laudabili, super omnes Africæ prouincias innotescere; in ipso autem Nuntorum territorio tanquam proprius Episcopus honorari; paratis omnibus, quandocumque facultas ordinandi Episcopum concessisset, Beato Fulgentio primum sacerdotium vocibus & mentibus petere; nec alterum nisi Beatum Fulgentium sibi consecrari permittere. Desiderium deinde populorum Deus videbat, ipsum quoque Beatum Fulgentium non latebat.

CAPVT XVI.

SEd quia tunc regalis auctoritas Episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus prouidere Pastores licebat; securus interdictionis huius tempora transigebat: superfluum iudicans, honorem fugæ præsidio recusare, quem nec dare alicui fas erat, nec accipere. Postquàm verò sacra turba Pontificum qui remanserant, communicato inter se consilio definierunt, aduersùs præceptum Regis in omnibus locis ordinationes celebrare Pontificum: cogitantes aut Regis iracundiam, si qua forsitan existeret, mitigandam, quò faciliùs ordinati in suis plebibus viuerent; aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiàm fidei confessione quos dignos inueniebant promotione: ministerium verò suum faciliùs impleturos, atque inter ipsas tribulationes propriis plebibus solatia præstaturos. Fit repentè communis assumptio, Presbyteros, Diaconos, & si quos inueniret electio, rapere, benedicere, consecrare certatim locis singulis properantibus; ne in tali studio aliquis aut tardus, aut nouissimus videretur. Tunc Beatus Fulgentius eligentium vota velociori præueniens fugâ, latebris incertis abscõditur, nec quæsitus vllatenus inuenitur. Plebs ipsius loci vbi fuerat monasterium constitutum, differre suam prorsus electionem, donec inueniret Beatum Fulgen-

tium, cogitabat. Verumtamen timens ne dum diù Beatus Fulgentius quæritur, fama hæc Carthaginem perueniret, atque inde rursus regalis interdictio nasceretur: ita compellente festinationis necessitate suadentur sibi de suis clericis alterum quærere. Sic per multa loca vbi Beatus Fulgentius aut priùs, aut solus electus est, postquàm minimè potuit inueniri, dedit aliis honoris sumendi licentiam. Repleta iam fuerat prouincia Byzacena nouis Sacerdotibus, & penè vix paucarum plebium cathedræ remanserant destitutæ. Regis quoque commota sæuitia cunctos iam decreuerat exilio mancipandos: in ipsum primitus ordinatorem, id est, Primatem, nomine Victorem, procedente sententiâ, qui iam a seruis Regis exeuntibus captus, ad Carthaginem ducebatur. Et omnino succedente maiore tristitiâ, versa fuit in publicos luctus ordinationis assumptæ lætitia. Tunc occultis nunciis edocentibus transisse tempus faciendæ ordinationis, Beatus Fulgentius putans cathedris quàm maximè proximis Episcopos haberi proprios, ipse rursus monasterij sui congregationem gubernare reuertitur; nihil dubitans, neque formidans, sed omnino pontificalis dignitatis se euasisse sarcinam gaudens.

CAPVT XVII.

VErumtamen altiori consilio Deus noster prædestinata perficiens, cui dederat docendi salubriter facultatem, doctrinæ salutaris dare iam volebat auctoritatem; ne deesset fidei catholicæ contra Arrianos fidelissimus prædicator. In tempore ergo tribulationis abscondere noluit vas electionis, per quem implere disposuerat officium prædicationis. Erat adhuc Ruspense oppidum nobile, clarissimis habitatoribus prorsus illustre, cui nullus fuerat Episcopus ordinatus: quia Diaconus quidam Felix nomine, qui ambire voluerat repudiatus, honorem Pontificis in illo loco nec ipse merebatur, nec alterum recipere patiebatur. Frater quippe eius germanus, amicus Procuratoris, per potentiam sæcularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum ciuium mentes vehemens exagitabat, cur soli remansissent sinè Patre spiritali, qui videbantur super cæteros excellere nobilitate carnali.

Tum repentè fama verax dolentibus nunciat, Beatum Fulgentium, quem tot loca primo sacerdotio iudicauerant dignum, nullatenus tempore ordinationis inuentum, remansisse Presbyterum: gloriâ maiore vestitum, quòd honoris superioris sic calcauerat appetitum. Ille quibus displicebat superbus ambitor, placet iste laudabilis excusator. Consentitur ab omnibus istum sibi esse seruatum, propterea minimè tantis plebibus ambientibus ordinatum. Nesciente igitur Beato Fulgentio, Victor Primas in itinere petitur à Ruspensibus: vt vicinis Episcopis ordinandi Fulgentium licentiam donaret. Tunc eo annuente aggregatâ violentæ multitudinis manu, repentè Beatus Fulgentius, dolens oculos in cellulâ propriâ reperitur, inuaditur, tenetur, ducitur; & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Inde ad Episcopum, qui admonitus fuerat ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi constituitur Pater: ita vt in illo propheticum illud compleri videretur oraculum; *Populus quem non cognoui seruiuit mihi*. Nimìs autem gratissimus viri sapientis aspectus, & fauores populi suffragantis augebat: & à quocumque tunc videbatur incognitus, humilitate vestium blandus, modestóque incessu venerabilis habebatur. Cùm verò loqui quippiam cogente interdum ratione voluisset, in ore eius omnis turba pendebat: ex locutione familiari considerans, qualis esset spiritalis magistri futura doctrina. Propter quod ex omnibus possessionibus vbicumque transibat, populus confluebat ad fauendum; Ruspensi Ecclesiæ, quantò seriùs, tantò meliorem confitentes prouenisse Pontificem. Diaconus porrò videns suæ ambitionis conatus vanissimos defecisse, quod solum remanere deluso poterat, sæuit, & traditoribus innumeris congregatis, venienti Sancto Pontifici, filio pacis, *scandalum* (sicut sacer loquitur Psalmus) *iuxta semitam ponit*. Viam igitur per quam veniebat Dei seruus electus, obsedit ambitor infestus. Sed vbique simplicibus subuenit Christus: nec impediri potest ab homine, Sacerdotis electio quam non præcedit ambitio. Nescio quo sancti Spiritus admonentis imperio, per alteram viam populus qui præcedebat ambulauit, & Beatum Fulgentium dum adhuc hostis sederet in viâ, super suam cathedram collocauit. Celebrata sunt eodem die diuina sollemniter Sacramenta: & de manibus Bea-

Psal. 17. 45.

Psal. 139. 6.

ti Fulgentij communicans omnis populus lætus abſceſſit. Quod poſteà Diaconus audiens, diuinæ voluntati, licèt tardiùs, ceſſit. Hunc illico reuertentem Beatus Fulgentius benignè, affabiliter, clementérque excepit: ità vt eum poſteà Presbyterum ordinaret. Sed vltionem debitam diuina iuſtitia demonſtrauit omnino velociter. Et ipſe enim Diaconus iam Presbyter intrà annum mortuus, & Procurator ei conſentiens ad penuriam eſt redactus. Dederunt enim pœnas temporalis audaciæ, quibus potens eſt Deus præparare in futuro gratiam cœleſtis indulgentiæ. Nos iſtud propterea commemorandum putauimus, vt oſtenderemus hinc Beato Fulgentio maiorem creuiſſe circa ſingulos auctoritatem, dum cognoſcerent in iſtis vigilaſſe diuinam ſeueritatem.

CAPVT XVIII.

SVſcepit interim Beatus Fulgentius epiſcopatum, ſine aliquâ ambitione, cum maximâ deuotione: manente in contradictoribus Domini vltione. Nec ita factus eſt Epiſcopus, vt eſſe deſiſteret monachus: ſed acceptâ Pontificis dignitate, profeſſionis præteritæ ſeruauit integritatem. Seruata verò profeſſionis integritas, plùs ornauit Pontificis dignitatem. Nunquàm denique pretioſa veſtimenta quæſiuit, aut quotidiana ieiunia prætermiſit, aut condîtos ſuauiter cibos vel inter hoſpites manducauit, aut diſcumbendo ſaltem requieſcere & reſoluere rigidum propoſitum voluit: ſed vnâ tantùm viliſſimâ tunicâ, ſiue per æſtatem, ſiue per hyemem eſt patienter indutus. Orario quidem, ſicut omnes Epiſcopi, nullatenùs vtebatur: pellicio cingulo tanquam monachus vtebatur. Sic ſtudio humilitatis ambitionem veſtium corporalium fugiens, vt nec ipſa calceamenta ſuſcipiens clericorum, aut vltimis caligis in tempore hyemis, aut in tempore æſtatis caligulis ſimpliciter vteretur. Intrà monaſterium ſanè interdum ſoleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Caſulam pretioſam vel ſuperbi coloris, nec ipſe habuit, nec monachos ſuos habere permiſit. Subtus caſulam nigello vel lactinio pallio circumdatus inceſſit. Quando temperies aëris inuitabat, ſolo pallio intrà monaſterium eſt coopertus. Scapulis verò nudis

nunquàm à nobis visus est: nec deposito saltim cingulo somnum petiuit. Suæ autem continentiæ, Deo teste, fiduciam gerens, in quâ tunicâ dormiebat, in ipsâ sacrificabat: & in tempore Sacrificij, mutanda esse corda potiùs quàm vestimenta dicebat. Huic beatissimo Sacerdoti nullus aliquando extorsit cuiuslibet generis carnes accipere: sed sola simpliciter olera, ptisanas, & oua quàmdiù fuit iuuenis, sinè oleo; postquàm verò senuit, superfuso oleo manducauit: ideò plùs suasus oleum accipere, ne caligo præualens oculorum, lectionis impediret officium. A vino autem semper sanus abstinuit. Si quando verò compellente infirmitatis necessitate vino modico vti compulsus est; calicibus plenis aquâ, superfundens quippiam meri, nec saporis eius nec odoris iocunditate fruebatur. Antequàm vigiliæ nunciarentur à fratribus, ipse semper corde & corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicumque spiritali meditationi solus vacabat: quia se per diem filiorum Ecclesiæ necessitatibus occupari iugiter sciebat. Ad agendas cum seruis Dei vigilias interdum descendebat; sed priuatas apud se vigilias, studiis quibus dixi, multò laudabiliùs exercebat.

CAPVT XIX.

IN nullo autem loco visus est sine monachis habitare: propter quod à ciuibus Ruspensibus hoc primum beneficium ordinatus Episcopus postulauit, vt fabricando monasterio locum congruum darent. Tunc ex pluribus ciuibus obedire festinantibus, optimo Sacerdoti quidam nomine Postumianus, Christianissimus, & inter suos nobilissimus ciuis, agellum proprium fideliter obtulit, non longè ab ecclesiâ constitutum: vbi pinis surgentibus in excelsum, speciosi nemoris virebat amœnitas. Excepit Beatus Fulgentius libentissimè locum, cuius etiàm ligna, necessaria futuræ fabricæ conspiciebat: protinúsque beatum Abbatem Felicem venire velociùs persuasit, cum maximâ penè totius congregationis multitudine: nisi quòd paucissimos fratres in illo monasterio dereliquit, quibus vnum è fratribus nomine Vitalem præposuit: tali caritatis lege monasteria vtraque præcipiens viuere: vt quasi non fuis-

ſent locis diuiſa, ſic eſſent vnanimitate coniuncta. Si quos autem nouos monachos, vel in iſto vel in illo monaſterio Chriſtus acquireret, tempus inter ſe conuerſionis, ordinémque ſeruarent. Et ſi quando ad ſe videndos iubentibus dumtaxàt prioribus venirent; non vt hoſpites, ſedquaſi vnius congregationis homines ſuſciperentur. Beati verò Fulgentij Epiſcopi prouiſionibus communiter gubernati, patrem ſpiritalem ſimplici venerarentur affectu: ſic Beato Fulgentio ſingula diſponente, ne ſuſceptâ regendorum ſarcinâ clericorum, curam vel conſolationem poſtponeret monachorum.

CAPVT XX.

INtereà repentè diriguntur miniſtri regalis furoris: vt detentus etiàm ipſe cum cæteris, in exilium Sardiniæ Confeſſor Chriſti nobilis truderetur. Abductus ergo velociter, licèt doleret Eccleſiam ſuam nullis adhuc eloquiorum ſuorum monitis eruditam, remanſuram protinus deſtitutam: ſapienter tamen triſtitiam gaudio maiore vincebat, quòd tam glorioſæ confeſsionis eſſe particeps inchoabat. Comitantibus ergo monachis ſimul & clericis, magiſter egregius vtriuſque profeſsionis, exit flentibus omnibus laïcis, de cathedrâ honoris ad locum beati certaminis: paratus fidem catholicam mente liberâ, voce forti, coràm Regibus & poteſtatibus confiteri. Suſcepit eum Carthago venientem, fructúmque notitiæ eius in paucis ſuis fideliter guſtans, multa obtulit munera: quæ Beatus Fulgentius monaſterio illi quod fabricari delegauerat, profutura mandauit. Ipſe verò nauim crucifixo corde & corpore nudus aſcendit: habens ſecum plurimas diuitias ſcientiæ ſingularis, quibus omnes, vbicumque veniebat, indeficiente largitate paſcebat. Inter alios ſanè Epiſcopos cum quibus exilium commune ſuſceperat, tempore ordinationis erat inferior, ſed patientiæ & caritatis virtute non inferior. In rebus enim dubiis, vbi quàm maximè conſilium petebatur, ſi quando inter ſe Confeſſores beatiſsimi de communi vtilitate tractabant, vltimus quidem ſedebat; verumtamen ipſius ſententiam primas, vel omnes qui primatem ſequebantur, audire & facere cupiebant; quamuìs ille nihil per inanem gloriam ſibi vendicans, deferret

deferret honorem congruum prioribus suis. Sic enim cogebatur respondere consulentibus vt paratus esset semper obedire iubentibus, nec præsumeret aliquid extorquere nolentibus. Post deliberationis autem longissimas moras, quicquid diffinitio communis inuenerat, eloquenter allegandum sensibus cæterorum Beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiàm, quandocumque transmarinis litteris de fide vel de diuersis quæstionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ Antistes inter sua priuilegia meruit, vt litteras ex Africano Concilio dandas ipse solus scriberet: sic iste meruerat, vt litteras ex illo Concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe & amplius Episcopos tunc catena ligabat exilij, quorum lingua & ingenium Beatus Fulgentius Episcopus fuit. Propterea quandocumque rescribebant consulentibus, Episcoporum cunctorum nomina edicebantur in titulo, sed solius Beati Fulgentij sermo tenebatur in stylo. Præter istas quoque publici tractatus epistolas, si quis forte ex ipsis Episcopis absentem plebem suam corrigere vel monere voluisset: ad Beatum Fulgentium suppliciter accedebat, & per ministerium linguæ eius, officium suæ dispensationis implebat. O mirabilem virum, non sibi soli, sed omnibus natum! Sola eum Ruspensis Ecclesia Doctorem meruerat, & pars maxima Concilij Byzaceni de ipsius sermone viuebat. Quicumque in quâlibet Sacerdotum exulantium plebe tentabat inquietus existere, vel Episcopi proprij iussa contemnere, Beato Fulgentio dictante sic corripiebatur absens, vt satisfactionis remedium quærens, enauigato mari continuò fieret præsens: & per ipsum Beatum Fulgentium, cuius eloquentiam senserat excommunicatus, impetraret veniam salubriter humiliatus. Ipse namque Beatus Fulgentius erat vltor, ipse intercessor: cum collegâ vltor, pro ministro intercessor. Ab ipso procedebat gladius, vnde superborum ceruix dura cæderetur: & per ipsum rursus beneuolentiæ medicina præbebatur, donec supplicum fratrum pusillanimitas sanaretur. Inter ipsa planè primordia gloriosi exilij, monasterium congregare, paucos secum ducens monachos, minimè potuit: sine fraternâ tamen congregatione vitam ducere nesciens, Coepiscopos suos,

Illustrem scilicet, & Ianuarium habitare secum persuasit volentes. Quibus vnico seruiens caritatis affectu, similitudinem magni cuiusdam monasterij monachis & clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune cellarium: communis oratio, simul & lectio. Nullus se super alterum insolenter efferebat, neque propriis fratribus ampliùs aut peculiariùs consulebat: nisi quòd magìs illi monachi qui Beatum Fulgentium sequebantur, districtioris abstinentiæ regulam custodientes, nihil omnino proprium possidebant. Talis erat Beati Fulgentij eruditio, quæ spiritalibus monitis ita subiectorum sibi corda transferret à terrenis voluptatibus ad spiritales cœlestésque delicias: vt boni propositi manente censurâ, non seducerentur infirmorum fratrum inertiâ, nolentium imitari quæ quotidie ante oculos eorum gerebantur exempla. Quis illius habitationis digne explicet laudes? Domus illa tunc Caralitanæ ciuitatis oraculũ fuit. Illuc enim veniebat afflictus percipere remedium consolationis: ibi gerebantur inter discordantes pacis & concordiæ pacta fidelia: diuinam volentibus audire diligentiùs lectionem, ministrabat ibi Dominus plenissimæ expositionis ædificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie Beatum Fulgentium cernere disputantem: libebat indigentiam sustinentes inde petere suppliciter eleemosynam corporalem, vnde doctrinam quoque sumerent spiritalem. Frequenter enim Beatus Fulgentius quos multa largiendo de temporali fame liberabat, renunciare sæculo sapienter ammonendo faciebat: & quamuìs nihil habentes, habendi voluntatem contemnere suadebat: ita cupidus semper acquirendæ ad cænobium fraternitatis, vt quamuìs omnibus omnia nosset esse; monachorum tamen professioni sociare cunctos & optaret & vellet. Hæc fama per dies singulos crescens, Carthaginensis quoque Ecclesiæ populos ad maiora gaudia prouocabat: & certissimis testibus ex illâ prouinciâ venientibus Beatum Fulgentium commendabat absentibus.

CAPVT XXI.

INtereà Trasamundi Regis aduersùs religionem catholicam mens implacabilis, & ira terribilis, inter asperas persecu-

tiones, ſubdoláſque factiones, quibus æqualem Deo Patri negare Chriſtum, Catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promiſſionibus inuitabat: ſub intentione plùs decipiendæ multitudinis, ſimulare cœpit rationem ſe ſimpliciter inquirere catholicæ religionis: reperiri neminem putans, cuius poſſet in ſuis erroribus aſſertione conuinci. Proponebat denique multas ineptarum tendiculas quæſtionum: nec ſi quis ei reſpondere voluiſſet, aut deſpiciebat, aut repellebat; immò quaſi patienter audiens, ſatisfacere ſibi non poſſe iactabat. Et reuerà quis homo tam obdurato cordi valuiſſet lumen oſtendere veritatis? Efficiebat tamen plurimos religioſos audax fidei ſuæ conſtantia, per occaſiones à Domino præparatas, ſtudioſi Regis conuincere blaſphemias. Dicitur tandem requirenti diutiùs, quis pleniſſimè poſſet teſtimoniis euidentibus vindicare veritatem catholici dogmatis, eſſe inter Epiſcopos exulantes BEATUM FULGENTIUM, cui nihil deeſſet in ſcientiâ, plurimùm redundaret in gratiâ, qui ſapienter & eloquenter roganti Regi ſatisfaceret. Protinus Rex probare cupiens Sacerdotem, cui generaliter teſtimonium bonum tota religionis noſtræ perhibebat Eccleſia, ſeruum ſtrenuum celeriter dirigit: à quo ſine morâ ductus atque perductus, intrauit Carthaginem lætus. Vbi tanquam fideliſſimus diſpenſator, erogandi talenta ſibi credita reperiens occaſionem, cœpit in hoſpitiolo proprio venientes ad ſe Catholicos orthodoxos diligenter docere: rationem reddens quomodò Pater & FILIUS & Spiritus ſanctus, manente trium perſonarum differentiâ, Deus vnus à fidelibus prædicetur. Tanta autem fuit BEATO FULGENTIO facundi ſermonis ſuauitas, tanta in vultu eius micabat hilaritas: vt certatim fideles vniuerſos ſancta caritas traheret, vel interrogare doctiſſimum virum, vel audire quotiens ad interrogata reſpondebat. Ille verò verbum Dei ſine inuidiâ tabeſcente communicans, occurrebat interrogationibus omnium, neminem deſpiciens, nullum iudicans improbum; paratus etiàm ipſe, ſi cui fortè Deus per Spiritum ſanctum meliùs reuelaſſet, audire vel diſcere, tenere, ſequi, approbare: ſub officio Doctoris, humilitatem diſcipuli benignus & mitis exercens. Vnde contigit, vt multò doctior & ſe ipſo melior fieret, lucra Chriſto maiora perquirens. Alios enim iam rebaptizatos, errorem ſuum

plangere docebat, & reconciliabat: alios autem ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat. Et quos iam perditioni proximos sentiebat, ità blandis sermonibus leniebat, vt propter eius beneuolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reuersique velociter agerent pœnitentiam. Confortati alij verbis eius, & doctrinæ eius sale conditi, redarguebant Arrianos hæreticos cum omni fiduciâ. Sic mirabili gratiâ factum fuit, vt per vnum Sacerdotem, cuius sapientiam Rex voluerat experiri, sapientum numerus apud Carthaginem cresceret: & per ministerium persecutoris, fides catholica incrementum potiùs, quàm defectum acciperet.

CAPVT XXII.

HÆc omnia Rex per occultos nuncios discens, egregij Sacerdotis ingenium, sapientiam, doctrinam, fidem, pietatem, mansuetudinem, continentiam probat; & conuenientem famæ suæ præconiis, talem esse qualis prædicabatur priùs agnoscit. Dicta proinde quædam veneno perfidiæ plena, legenda ei celeriter dirigit, responsionem sibi flagitans reddi. Suscepit hæc doctissimus Pontifex: & longissimæ narrationis ineptias per obiectionum capitula diuidens, responsiones subiecit breues, probabiles, necessarias, auctoritate testimoniorum graues, & totius rationis lumine radiantes. Quas cum multis sapientibus viris diù multúmque collatas, & ad populi fidelis notitiam perductas, Regi quoque longâ expectatione suspenso tradidit ingerendas. Quas ille Rex barbarus intentissimè perlegens, quia nunquàm prædestinatus fuerat ad salutem, laudat sapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem; neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginensis autem populus triumphi spiritalis interpres, propositiones Regis fuisse conuictas læto murmure confitetur: & catholicam fidem semper esse victricem, coniunctis Beati Fulgentij laudibus gloriatur.

CAPVT XXIII.

ADhuc tamen Rex virum doctissimum probare desiderans, de aliis eum quæstionibus rursus interrogat: & interrogationem suam semel tantùm Beato Fulgentio præcepit legi; neque meditandi, neque describendi tribuens facultatem. Timebat enim ne verba eius conuincenda sicut priùs, sermonibus eius insererentur: totiúsque iudicio ciuitatis, victus esse iterum probaretur. Beatus verò Fulgentius semel sibi lecta vix recolere præualens, respondere differebat: sed respondere eum Rex magìs ac magìs imperabat, responsionis arguens moras, & cautelam viri sanctissimi, diffidentiam iudicans. Vnde idem Pontifex discretionis virtute subnixus, ne qua forsitan per populum mendacia spargerentur, quibus fingeretur aut non potuisse, aut noluisse Beatum Fulgentium regalibus quæstionibus obuiare; tres libellos mirabiles facit: vbi memoratum Regem simpliciter alloquens, totius quæstionis seriem quam tenui auditu perceperat, latè reuentilabat, docens animam rationalem Christo Domino in susceptione carnis minimè defuisse. Tunc Rex admiratione maximâ repletus, nihil est ampliùs interrogare ausus: nisi quòd vnus ex Episcopis eius, Pinta nomine, quasi respondere conatus, tacere potiùs noluit quàm respondere aliquid potuit. Cui tamen illico Beatus Fulgentius alterius operis, quod aduersùs Pintam titulauit, disputatione veridicâ restitit: & in primâ defensione suâ victos aduersarios, temerariè satìs ostendit repetiisse certamen.

CAPVT XXIV.

DE Spiritu sancto interroganti Presbytero Abragilæ, per commonitorium paruissimum testimonia protulit plura; docens eum cum Patre & Filio vnum Deum simpliciter confitendum. Cuius etiàm commonitorij sententias, inter vtrumque illius temporis opus ordinauit oportere describi: legentibus omnibus fidelibus Catholicis & mirantibus; erubescentibus Arrianis, & dolore contra ipsum murmurantibus: donec malæ suggestionis occasione repertâ, volenti eum Regi intrà

Carthaginem diutiùs retinere, diceretur ab impiis & malis hominibus; Sine causâ Rex laboras: nihil tua diligentia proficit. In tantùm quippe iam doctrina Fulgentij Episcopi præualuit, vt de Sacerdotibus tuis reconciliet aliquantos. Proinde nisi citô subueneris, religio nostra deficiet: & quicumque à nobis est baptizatus, homousion iterum prædicabit publicè reconciliatus: nec si persecutionem volueris excitare, timeri poterit regalis sæuitia: multùm quippe confortat, & stabiles facit omnes Episcopos Fulgentij præsentia.

CAPVT XXV.

SVggerentibus talia Rex quasi magnâ necessitate constrictus, assentit: & Beatum Fulgentium rursum ad exilium Sardiniæ reuocare compellit. Intempestâ igitur nocte, (sic enim Rex fieri delegauerat) ad nauim Beatus Fulgentius populo ignorante perducitur. Sed contrario flatu resistentibus ventis, super littus tantas passus est moras, vt per dies plurimos omnis penè illuc ciuitas conueniret, & de manu eius valefaciens communicaret. Ibi autem prophetica gratia per Spiritum sanctum repletus, Iuliateo viro religioso nimis afflicto, grauitérque pro discessu beati Pontificis ingemiscenti; Diutiùs, ait, flere noli: citò reuertemur ad vos: catholicæ Ecclesiæ libertate reparatâ videbitis nos. Hoc autem quæso secretum sit apud te: quod nimia caritas me tibi compulit dicere. Sic sollicitè semper Beatus Fulgentius iactantiam fugit: nec in donis spiritalibus humanam gloriam quæsiuit, testimonio conscientiæ suæ contentus, & solâ Dei misericordiâ fretus. Vnde etiàm mirabilia facere nunquàm delectatus, hanc gratiam sibi dari nullatenus desiderauit. Sed si quando petebatur pro infirmis & laborantibus, vel necessitatem tribulationum temporalium tolerantibus Dominum deprecari, preces suas sub hac deuotione fundebat; Scis Domine quid animarum nostrarum saluti conueniat. Poscentibus ergo nobis quod admonet necessitas, hoc misericordia tua concedat vnde spiritalis non impediatur vtilitas. Oratio igitur nostræ humilitatis, si expedit tunc ità à te exaudiatur, vt voluntas tua principaliter compleatur. Et frequenter quidem Deus omnipotens

oranti Sacerdoti suo multa concessit: sed ille nihil propriis tribuens meritis, eorum potiùs fidei pro quibus exaudiebatur omnia deputabat, neque sibi, sed illis hoc concessum fuisse dicebat.

CAPVT XXVI.

SEd ne diù moras longissimas patiamur, vnam eius sententiam de faciendis mirabilibus inseramus. Mirabilia, aiebat, non conferunt homini iustitiam, sed hominum notitiam. Quisquis autem hominibus fuerit notus, nisi fuerit iustus, ad æterna perueniet supplicia condemnatus. Ille verò qui misericordiæ cælestis operâ iustificatus, in conspectu Dei solius vixerit iustus, etiàm si parum sit hominibus notus, beata Sanctorum gaudia percipiet coronatus. Vir igitur mirabilis timuit habere laudem de mirabilibus: quamuìs ampliora quotidiè miracula faceret; exhortatione sanctissimâ multos infideles credere, multos hæreticos reconciliari; multos pessimis moribus deditos, continentiæ faciens leges excipere: dum per eius saluberrima monita sobrietatem discerent ebriosi, castitatem sectarentur adulteri, distribuere omnia pauperibus auari rapacésque docerentur: & mutato proposito superbis humilitas, litigiosis pax, inobedientibus obedientia fieret dulcis. Talibus planè mirabilibus Beatus Fulgentius piam semper operam dedit: quibus secum comitantibus, in omni loco & tempore gloriosus, fauente aliquando sereni aëris tranquillitate Sardiniam deportatus, exulantium Coepiscoporum lætos animos reddidit: ipsámque prouinciam cui tantorum præsentia Sacerdotum tribuebat ornatum, præsentiæ suæ luce fecit splendidam: concurrentibus vndique cum gaudio Christianis hominibus, videre athletam Christi fortissimum, qui certamine singulari sæuientis impetum Regis fregerat, ad diuina castra redisse insignibus laureis adornatum; & antiquis commilitonibus iunctum, tantò ampliùs singulis exhibuisse laudabiliter humilitatem, quantò sciebat suam plùs enituisse virtutem: memor sinè dubio Scripturæ monentis; *Fili, quanto magnus es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.*

Eccli. 3. 20.

CAPVT XXVII.

NOluit planè iam Beatus Fulgentius in priore domo multis fratribus comitantibus diutiùs habitare: sed iuxta basilicam sancti Martyris Saturnini, procul à strepitu ciuitatis vacantem reperiens locum, Brumasio Caralitanæ ciuitatis Antistite venerabili priùs sicut decuit postulato, nouum propriis sumptibus monasterium fabricauit. In quo quadraginta & ampliùs fratribus congregatis, disciplinæ cœnobialis ordinem custodiuit illæsum: nemini dans licentiam professionis sanctæ regulam præterire, sed principaliter hoc obseruandum monachis tradens, vt nullus eorum quicquam proprium sibi vindicaret, sed essent omnibus omnia communia. Dicebat enim frequenter, nec debere nec posse monachum iudicari, cui voluntas habere priuatum peculium persuaserit. Vt enim monachus lautioribus forsitan cibis vtatur, interdum cogit infirmitas corporis: vt autem cupiat in quamlibèt exiguis rebus iuris proprij dominium vindicare, superbæ voluntatis est & auaræ cupiditatis euidens testimonium. Distribuebat sanè ipse cum summâ discretione seruis Dei necessaria vitæ subsidia: singulorum vires infirmitatémque considerans. Verumtamen quibuscumque plùs cæteris consulebat, eos humilitatem custodire ampliùs admonebat, dicens eis, De substantiâ communi quisquis aliquid plùs accipit, omnium fit debitor quorum est illa substantia: porrò debitorem sola iuuat humilitas. Sic efficiebat, ne quis scandalum pateretur, quando vni propter infirmitatem plùs dare aliquid videbatur. Erat quoque ei nimia sollicitudo præuenire cunctorum monachorum petitiones: ante tribuendo quicquid tribuendum cuilibet vel necessitas, vel ratio manifesta monstraret. Si quis autem præsumpsisset priusquàm acciperet petere, negabat ei continuò, etiàm si mereretur accipere; dicens, monachos debere iis quæ acceperint esse contentos. Cæterùm qui sibi antè quàm accipiant petunt, desideriis adhuc carnalibus seruiunt, & omnino non perfectè de cælestibus cogitant, quamdiù quid sibi necessarium sit, ipsi sibi quia non possunt negotiando, petendo saltem prouidere festinant. Illos quoque veros esse monachos

dicebat,

dicebat, qui mortificatis voluntatibus ſuis parati eſſent nihil velle, nihil nolle: ſed Abbatis tantummodò conſilia vel præcepta ſeruare. Proptereà ſine ſuo conſilio nec eum fratrem qui Præpoſiti gerebat officium, ſinebat aliquid agere. Laborantes fratres, & opera carnalia indefeſſis viribus exercentes, lectionis autem ſtudium non habentes, minùs diligebat, nec honore maximo dignos iudicabat. In quo autem fuiſſet ſcientiæ ſpiritalis affectus, etiàm ſi virtute corporis deſtitutus operari manibus nunquàm poſſet, ab eo peculiariter habebatur dilectus & gratus. Amabat autem quando coram fratribus diſputabat, ſi quis ei quæſtiones propoſuiſſet acerrimas, in quibus excellentiſsimo laboraret ingenio: licebátque generaliter omnibus fratribus, etiàm naturâ ſimplicibus, parúmve intelligentibus, vnde vellent, interrogare: nec priuſquàm ſatisfactum ſibi conſiterentur, rationem reddere, victus tædio vel labore, ceſſabat. Erat enim maxima ei & mirabilis gratia, corripere inquietos corde trãquillo: ita vt tum magìs quando putabatur ab aliis vehementer iraſci, ſumma in eo vigeret regnarétque placiditas: & ſinè perturbatione perturbato ſimilis, multos malè agentes ſalutari impetu perturbabat. Odiens enim vitia, diligens homines, tamdiù ſeuerus apparebat, quamdiù diſciplinæ ſpiritalis vtilitas exigebat. Aliàs autem circa ſingulos ita manſuetus fuit, & communis, & facilis, vt neminem fratrum puro nomine clamitaret: neque cum typho ſæcularis dominationis aliquibus quamuìs paruulis imperaret.

CAPVT XXVIII.

SCripſit eo tempore Carthaginenſibus epiſtolam ſublimi exhortatione perſpicuam: vbi penè cunctos dolos & fallacia blandimenta, quibus infelices animæ ſeducebantur ad mortem, grauiſſimâ conqueſtione digeſſit. Tunc etiàm de remiſſione peccatorum conſulenti Euthymio viro religioſo, duobus libellis ſine morâ reſpondit. Teſtimonia quoque prædeſtinationis, & gratiæ differentias cupientem noſſe, ſalubriter diſputans docuit. Iam familiares epiſtolas, in quibus tamen ſpiritalis ædificatio continetur, & ibi apud Sardiniam comma-

nentibus, & in Africâ degentibus, & Romanis, præcipuè Senatoribus, viduisque, ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam virginem de Ieiunio & Oratione libellos duos conscripsit. Ita namque notior fuit pænè omnibus gentibus, vt etiam illi duo libri quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis, sed tamen Catholicus volens videri, Constantinopoli offensis plurimis fratribus, ad Beatum Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit: plùs laborans exponere quàm conuincere; quia dubios sermones eius exponere, hoc erat delirantis argumenta conuincere. Magni planè huius operis labor mercedem debitam citò suscepit. Mox enim vt est dictatio ipsa finita, protinus est longissimæ captiuitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginensi plebi proprium donauit Antistitem: cunctisque in locis ordinationes Pontificum fieri, clementissimâ auctoritate mandauit.

CAPVT XXIX.

BEatus itaque Fulgentius postquàm sapienter expugnauit Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos. Inde secundùm quòd per eum Spiritus sanctus prædixerat, reuersus est Carthaginem cum omnibus Consacerdotibus, vnde solus exierat. Inuenit lætos, quos reliquerat mæstos. Inuenit nimiâ exultatione feruentes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes. Inuenit habentes spiritalem Patrem, quos reliquerat dolentes viduatam Ecclesiam matrem. Inuenit expectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio. Tanta autem fuit deuotio Carthaginensium ciuium, Beatum Fulgentium reuisere cupientium: sic vniuersus populus expectabat ardenter, quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter; vt aliis Episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super littus staret, oculis & mentibus inter omnes Episcopos Beatum Fulgentium (quem familiariter nouerat) quæ-

rens, & eum à cunctis nauibus expetens. Vbi verò facies eius apparuit, immensus nascitur clamor; altercantibus omnibus quis primò salutaret agnoscendum, quis caput supponeret benedicendum, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Resonabat diuina laus ex omnibus linguis. Ad Sancti quippe Agilei basilicam sequens populus & præcedens, Confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi, Beatum Fulgentium quem plùs cæteris honorabat, concurrens alacriter, comprimebat: donec sancta quorundam Christianorum prouisio rotam in circuitu faciens æstuanti, liberum præberet iter in medio transeunti. Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium caritatem, copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundauit. Sed quis opera pietatis enarrare valeat absque dispendio veritatis? Immensa pluuia neminem terruit, aut obsequium Sacerdoti religioso præbere prohibuit: immò potiùs velut benedictione cælesti desuper descendente, tantùm fides nobilium creuit, vt planetis suis super Beatum Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, & nouum tabernaculi genus artificiosâ caritate componerent: imitatores eorum effecti, qui prioribus temporibus Saluatori super pullum asinæ confidenti, & Ierosolymam venienti, *vestimenta sua* (sicut Euangelium loquitur) *in viâ sternebant*. Tale quippe aliquid & isti faciebant, qui propriis indumentis Beati Fulgentij nudum caput vnanimiter protegebant. Vix ergo appropinquante vespere, sanctæ memoriæ Bonifacio Episcopo repræsentati, benedixerunt omnes & laudauerunt communiter Deum. Tunc Beatus Fulgentius, per omnes vicos Carthaginensis ciuitatis vbicumque transibat, manibus & oculis demonstrabatur: laudibúsque innumeris prædicabatur. Postquàm verò domos omnium diligentium se petitus visitauit; benedixit, & gaudere dignatus cum gaudentibus, qui priùs fleuerat cum flentibus, cunctorum desideria satiauit, valefaciens fratribus, egressus est de Carthagine, per omnes prolixi itineris vias gaudia maiora reperiens, in occursum suum populis vndique tendentibus, cum lucernis & lampadibus & arborum frondibus: agentibus Deo gratias ineffabiles qui Beatum Fulgentium mirabiliter in conspe-

Matth. 21. 8.

ctu omnium fecerat gratiosum. Per omnes Ecclesias tanquam proprius Episcopus suscipiebatur: & sic de reditu eius omnis Byzacena prouincia velut plebs vna gaudebat. Quem obsecro gloriæ huius non extolleret magnitudo? Beatum tamen Fulgentium ad maioris humilitatis studium prouocauit. Veniens namque cum gloriâ populari, & dignitatem Pontificis priuilegio specialis venerationis accumulans, postquàm cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desiderauit. Et ne videretur Abbatis Felicis aduentu suo minuere potestatem, imperandi monachis omnem sibi ademit voluntariè facultatem; non suam, sed alterius volens ipse quoque facere voluntatem: & qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, iam Episcopus dominari noluit in proprio monasterio. sic sollicitè cauens ne Felicem contristaret Abbatem, vt exhibens superuenientibus hospitalitatem, si quando vel multiplicari panem, vel aliquid ampliùs exhiberi necessitas expetisset, Abbatis primò Felicis consilium requireret. In omni denique Concilio Byzaceno de rebus maioribus ipse primus consulebatur: in monasterio proprio, de rebus etiàm minimis Abbatem Felicem suppliciter consulebat. Parum fuit Beato Fulgentio verbis & operibus hanc humilitatem sequi ac retinere, nisi per scripturam quoque firmaret, nihil se in illo monasterio proprium vindicare; nec pro potestate, sed pro caritate inter monachos habitare. Considerans enim vir prouidus, ne quod serui Dei simplices præiudicium posteà paterentur, obicem contradictionis in hac scripturâ successoribus suis opposuit; quia vtilitati monachorum Deo seruientium nihil præposuit. Emit tamen iuxta ecclesiam domum, cui fabricandæ curam maximam diligenter impendit; ne futuro successori suo deesset hospitium. Clericorum verò si qua defuerunt ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratribus monachis ad ecclesiasticam militiam transtulit: ibi quoque caritati consulens, vt dum penè omnes clericos ex illo monasterio ordinat, antiquæ familiaritatis monente notitiâ, nulla lis aliquando monachos & clericos ventilaret. Summam quoque diligentiam præbuit, ne quis clericus ambitiosis vestibus ornaretur; ac negotiis sæcularibus occupatus, ab officio ecclesiastico diutiùs vacaret: iubens omnes non longè ab ecclesiâ domos habere,

manibus propriis hortum colere, psallendíque suauiter aut pronunciandi curam maximam gerere. Per singulas septimanas omnes clericos ac viduas, & quicumque potuisset ex laïcis, quartâ & sextâ feriâ statuit ieiunare: quotidianis vigiliis, matutinis & vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes. Aliquantos inquietos verbis, aliquantos verberibus coercebat, quos culpa manifesta flagellari coegerat. Ita vitia cunctorum salubri disputatione mordebat, vt nullius interserens nomen, omnes cogeret metuere, & latentia quoque peccata salubriter timendo deserere. Verumtamen quomodò inter proprios clericos minorem posset habere cautelam, qui diuturnas etiàm finitimarum plebium lites, & contentiosa certamina dirimebat? Ipse denique Maximianensis animositatem plebis, ordinatum sibi Episcopum recipere nolentis, salubri admonitione sedauit: debitúmque finem grauissimo scandalo statuens, cuncta inter eos modestè & salubriter pacificans ordinauit. In Concilio quoque Vincensi, iudicio Sacerdotum omnium qui conuenerant, Episcopo cuidam nomine Quoduultdeo, qui priorem se illius existere confirmabat, antepositus & prælatus, ipso die & tempore tacuit; nec auctoritatem Concilij excusando minuere voluit. Sed vbi post Concilium dolere sensit Episcopum, timens propter suum honorem generare fratri scandalum, meliúsque iudicans per caritatem se fieri minorem, quàm sine caritate maiorem: Sufetani posteà Concilij gloriosum respiciens adesse conuentum, precem supplicem coram omnibus fudit, vt sibi rursum se volente Quoduultdeus Episcopus præferretur: vt nomine suo posteriùs recitato, lætus deinceps viueret Consacerdotis animo reconciliato. Mirati sunt Episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristare voluerunt offerentem Deo sacrificium humilitatis, ad custodiendam societatem spiritus in vinculo caritatis. Vbi sunt nunc illi quibus eminendi super cæteros dominatur affectus; qui se etiàm suis prioribus anteponunt, indebita sibi priuilegia vindicantes? Ecce Beatus Fulgentius nec primatum quem meruit, defendere voluit, quia sinè caritate prior esse alicui minimè concupiuit. Catholicæ Ecclesiæ singularis magister & Doctor, quamlibet inter varias occupationes hìc in Africâ parum vacaret; plurimos tamen ecclesiasticos sermo-

nes, quos in populis diceret, scribendo dictauit. Vbicumque sermonem faciebat, mulcens animos omnium, non inanes & vanissimos plausus, sed compunctionem generabat cordis. Postulauit eum aliquando sanctæ memoriæ Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, apud Burnos * ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente tractare: quandò tantùm delectatus est audire verbum Domini de ore eius, vt donec ille sermonem finiret, ipse lacrymis genas rigaret; agens gratias Deo, cuius gratia semper in Ecclesiâ catholicâ summos excitat præclarósque Doctores. Multa iam reuersus de exilio condidit noua: decem libros, Fabiani mentientis falsa gesta conuincens: de veritate prædestinationis & gratiæ libellos conficiens tres: aliáque multa, quæ si quis scire voluerit, in eius monasterio veraciter scripta reperiet.

* al. Furnos.

CAPVT XXX.

NObis autem iam tempus est dicere, quomodò post omnia bona opera sua requieuerit, ad cæli regna translatus. Ante annum ferme quàm de isto sæculo raperetur, profundâ cordis compunctione permotus, reliquit subitò ecclesiasticas occupationes. Et de ipso quoque monasterio suo secretò recedens, ad insulam Circinam paucis comitantibus fratribus nauigauit: vbi in quodam breui scopulo, cui nomen est Chilmi, vbi iam monasterium fabricari mandauerat, lectioni & orationi ac ieiuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit. Et quamuìs tota vita eius, ex quo monachorum professionem conuersus ex toto corde suscepit, pœnitentiæ fuerit tempus; in hac tamen insulâ multò ampliùs ac multò diligentiùs, inchoanti similis membra sua mortificauit, & in conspectu solius Dei fleuit. Inde iam plurimis de absentiâ Sacerdotis murmurantibus, caritatis necessitate constrictus, iterum descendit ad monasterium suum consueta religiosis hominibus exhibere solatia, laborésque durissimos pro vtilitatibus proximorum longanimiter sustinere. Non multi autem fluxerant dies, & ecce seruum fidelem bonus Dominus requirebat. In-

cidit enim repentè in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, vbi septuaginta prope diebus ægritudine fatigatus, hoc solùm frequenter dicebat; *Domine, da mihi modò hìc patientiam, postea indulgentiam.* Nec ab isto sermone aliquandò cessauit; siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siue lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis vt lauacris balnearibus vteretur: Numquid balneæ, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis expleto vitæ suæ tempore moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere; cur mihi obsecro persuadetis, vt rigorem diù seruatæ professionis in fine dissoluam? Sic salutem suam supernæ voluntati fideliter credens, postquàm se sensit sine aliquâ dubitatione dissoluendum, vocans vniuersos clericos suos, præsentibus monachis, allocutus est eos dicens; *Ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan & difficilis extiti: & ideò obsecro vos, vt ignoscat mihi quisquis aliquid dolet. Et si forsitan seueritas nostra modum transgressa est debitum, orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum.* Cúmque talia Beato Fulgentio lacrymosis singultibus exprimente, cuncti simul super genua eius caderent, semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, inuigilasse clamantes; *Prouideat ergo vobis*, ait, *Dominus Deus meus Pastorem dignum se.* Tunc imperato silentio paululùm requieuit. Et deinde pauperum curam gerens, requisitâ summâ pecuniæ, de quâ fidelissimus dispensator quotidiè egentibus ministrabat, totum iussit expendi: per seipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorúmque illic indigentium nomina, quibus quid singillatim daretur propriâ deliberatione constituit: hæredes in hoc sæculo non habens, hæreditatem tamen huius beneuolæ sollicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec suos clericos debitâ benedictione fraudauit: ipsorúmque paupertati misericorditer consulens, ac secretè omnibus ordinatis, orans iugiter & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sanâ mente permansit. Postremò, die Kalendarum Ianuariarum, post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit; annum sui episcopatus agens vicesimumquintum,

vitæ autem totius sexagesimumquintum; sicut multis antè fratribus morti proximus indicauit. Ipso autem die sanctum corpus eius sepeliri minimè potuit: sed in oratorio monasterij constitutum, totâ nocte illâ in psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus vigilare monachos simul & clericos inuitauit. Manè verò postquàm multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, Sacerdotum manibus ad ecclesiam ciuitatis, quæ Secunda dicitur, vbi etiàm reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum. Primus planè in eâdem basilicâ Pontifex poni meruit; vbi nullum mortuum neque Sacerdotem, neque laïcum sepeliri consuetudo sinebat antiqua. Sed magna vis dilectionis remouerat impedimentum consuetudinis: ambientibus vniuersis ciuibus, & cum summâ deuotione quærentibus, vt vbi vir sanctus & Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiàm localiter videretur adiunctus. Probauerant quippe sæpiùs quanta bona illis oratio Beati Fulgentij præstiterat, & quanta mala repulerat: sicut posteà manifestis indiciis euidenter apparuit, quando post non plurimos dies accersitionis eius, inimica gens Maurorum Ruspense territorium repentè vexauit: rapinis, cædibus, incendiis multa deuastans, atque intrà ipsos ecclesiæ parietes, quos inuenire potuit iugulans. Quis Beati Fulgentij gratiam non miretur? Quamdiù vixit, furorem belli ciuitas illi commissa non sensit: & cùm tota penè prouincia captiuitatem sustineret horribilem, Ruspa fuit incolumis, propter Sacerdotem venerabilem, cuius vita propriis ciuibus murus fuit. Nec hoc interim prætereundum silentio iudicaui, quòd dum ei successor idoneus quæreretur, discordantibus laicis & clericis, annum prope integrum prolixitas contentionis exegit: & illo die sanctitas tua super cathedram eius sedit, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc priuilegio meruit prima sollemnitas eius depositionis, vt multò ampliùs venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis. Vis autem nosse quomodò non fortuitis motibus ista prouenerunt, sed illius orationibus demonstrantur esse concessa? Recole visionem fidelissimam Beati Pontiani Episcopi Thenitani, quam sic ipse narrauit. Eunti mihi secundùm præceptum Datiani Primatis, vt Ruspensi ecclesiæ eligeretur Antistes,

Antistes, idem beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit; & affabili (sicut solebat) aspectu salutans amicabiliter; Quò, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondi, vt Episcopus Ruspensi Ecclesiæ eligatur. Ille verò subridens; Iam, inquit, ordinatus est. Nónne apparet ipsius orationibus fuisse perfectum, quod est visitante prædictum? Qui ergo confirmationem nouerat necdum vel electi vel ordinati, diem quoque quo in cathedrâ consedere poterat ordinatus, iam orando meruerat. Votis itaque continuis & fideli deuotione semper optamus, vt gloriæ illius factus particeps in æternum, non indignus tanto præcessore, feliciter viuas: operísque huius de perfectione nobiscum Domino gratias agas: & pro his quæ minùs fortè dicta sunt eloquenter, ab omnibus sapientibus lectoribus veniam petas.

FINIS.

FERRANDI CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ DIACONI EPISTOLA,

AD PELAGIVM ET ANATOLIVM DIACONOS VRBIS ROMÆ.

Pro Epistolâ Ibæ Episcopi Edesseni, adeóque pro tribus capitulis Concilij Calchedonensis: aduersùs Acephalos.

I. DOMINIS beatissimis, & deuotis obsequiis venerabiliter prosequendis, sanctis fratribus, & Condiaconis, Pelagio, & Anatolio Ferrandus exiguus. Valde maximas sum passus angustias, quando scripta vestra suscepimus: cuius perturbationis indicium longa taciturnitas fuit. Nam si considerare dignemini quàm festinus esse soleam semper ad obediendum iussionibus vestris, non minori deuotioni responsionis huius deputabitis moras. Quare enim diù silerem, nisi trepidarem, non veritatem dicere de quæstione nuper exortâ; silentibus sed adhuc Africanis Ecclesiis, ante tempus proferre sermonem? Simpliciter tamen, compellente iussione vestrâ, quod credimus loquimur; vt scire dignemini quia vobiscum corde, vobiscum fide, vobiscum secundùm bonam spem, vobiscum in caritate non fictâ. Quæcumque enim sapienter, breuiter, veraciter intimatis, eadem credimus, eadem sentimus, eadem loquimur.

II. Verbis apoſtolicis ſuadeam miniſtros ſedis apoſtolicæ glorioſos; *State, & tenete traditiones quas didiciſtis.* Non expedit antiquorum Patrum, qui Calchedonenſi noſcuntur interfuiſſe Concilio, vituperari deliberationem, retractari iudicium, mutari ſententiam; ne Synodus venerabilis, apud omnes Eccleſias Orientis, & Occidentis per annos tam plurimos ſine aliquâ dubitatione firmata, perdat ſubitò reuerentiam ſuam; nec poſſit in definitionibus fidei robur inflexibile cuſtodire, ſi cœperit ex aliquâ parte fragilis aut reprehenſione digna conuinci. Quicquid ſemel ſtatuitur in Concilio, & congregatione ſanctorum Patrum, perpetuam debet obtinere iugiter firmitatem. Quâ enim fronte cantabimus; *Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis*: ſi quotiens libet, totiens licet eorum decreta reſcindere? Per illos ſapientiſſimos iudices Eccleſia catholica dixit quod catholica Eccleſia cuſtodiret, vel potiùs quod vſque nunc cuſtodiuit: cur hodiernis nunc iterum diſputationibus, minimè tunc reprobatam reprobamus epiſtolam? Fons eſt ſignatus catholica Eccleſia: Iacobus verò Apoſtolus clamat; *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Si dulcis aqua manauit ad proferendas fidei definitiones ex ore priſtinorum Sacerdotum, quomodò fieri potuit vt ex ore eorum, non aliorum, quaſi ex eorum foramine manaret in negotio venerabilis Ibæ Epiſcopi, non dulcis aqua, ſed amarior felle? Cum timore ac tremore dico, ſed tamen dico; Si tunc in quolibet negotio propinauit fidelibus amarum guſtum, Calchedonenſis Concilij laudabilis diſputatio, demus manus hæreticis, vt liceat eis ſalutaris antidoti potionem quaſi mortiferam criminari; nobis præbentibus occaſionem, *dum in verbis pugna eſt, dum de nouitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de auribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum de conſenſu difficultas eſt.* Quæ verba, non mea, ſed Beati Hilarij, in ſecundo Libro contineri quem ad Conſtantium Imperatorem ſcribit, beatitudo veſtra pleniùs nouit. Perpendite ergo, fratres, inter quos ſcopulos fluctuet nauis euangelicæ prædicationis. Clamat Eſaias, *Væ his qui ponunt tenebras lucem*; & nos audemus adſerere, quia patres noſtri tenebras lucem eſſe dixerunt, quando epiſtolam Neſtorio fauentem damnare noluerunt,

2. Theſſ. 2. 14.

Pſal. 77. 3.

Iacob. 3. 11.

Eſaia 5. 20.

immò etiàm suscipere voluerunt? Ergóne patribus nostris coaptabitur prophetica maledictio, *Væ his qui ponunt tenebras lucem*? Nónne ipsi fuerunt sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, quorum fides imposuit silentium perfidis? quibus rectè credentibus omnis credidit mundus?

Isaiæ 5. 20.

III. An dicitur; Bene crediderunt, sed Ibæ venerabilis epistolam malè susceperunt? in suâ confessione veraces fuerunt, sed fallaci confessioni præbuerunt incautam consensionem? Quis ferat tortuosas inutilium quæstionum contentiones? Si pars aliqua displicet in Concilio Calchedonensi, cum periculo displicendi totum placet. Vas electionis sanctissimus Paulus manifestè profitetur; *Modicum fermenti totam massam corrumpit*. Si in illâ massâ sanctarum definitionum, vel exigui fermenti potest acida commixtio reperiri, tota massa iudicabitur noxia; vel certè (vt magna extenuemus) inutilis ad efficiendum panem, qui confirmat cor hominis. Quid igitur profuit quia ibi Nestorius, ibi Eutyches anathematizantur? Ecce, damnatores Nestorij, & Eutychetis, recepisse culpantur epistolam, blasphemiis fauentem Nestorij, vel ambiguis, vel manifestis. Quid vtique? Si nescientes admiserunt, ignorantiæ notam (quod absit) incurrisse videbuntur, vt eorum penitùs euacuetur auctoritas: si verò scientes, aliud fortasse senserunt, aliud sunt interlocuti, fictionis crimine non carebunt: resistentes verò eorum dogmatibus, multò ampliùs insultando clamabunt; Ecce, congregata apud Calchedona Synodus, *sidera* * magnum pondus auctoritatis minimè dubitatis, vno atque eodem tempore Nestorium damnauit, & Nestorij reuocauit * errorem, recipiens epistolam fidei catholicæ omnino contrariam; sicut modò sentire cœpistis, intelligentes (quamuis serò) quam toti illi Episcopi noluerunt intelligere veritatem. Plangamus, & oremus, vt citò talis error abolitus transeat, repudiatus euanescat, & perpetuo silentio sepeliatur. Totum Concilium Calchedonense, cùm est totum Concilium Calchedonense, verum est: nulla pars illius habet vllam reprehensionem: quicquid ibi dictum, gestum, iudicatum nouimus, atque firmatum, sancti Spiritus operata est ineffabilis & secreta potentia. Quare tot iustorum memoriam repentinis contradictionibus infamamus, cùm Salomon plenus

1. Cor. 5. 6.

* Videtur legendum *cui dare*

* Codex Aruernensis *roborauit*

Spiritu Sancto manifestè pronunciet; *Memoria iusti cum laudibus?* Prou. 10. 7.

IV. Quid si procedentes è tumulis suis, coram Deo cui viuunt, apud quem fideliter requiescunt, in nouissimâ resurrectione dicant viri religiosi; Cur epistolam reprobastis, cuius catholicam esse dictionem sensimus, diximus, iudicauimus, & iudicium nostrum subscribendo firmauimus? An quia venerabilis Ibas, Alexandrinæ Ecclesiæ Pontificem sanctum Cyrillum vituperauit? Sed idem Sancto Cyrillo posteà se communicasse significauit. Si merebatur pro Beati Cyrilli vituperatione culpam, merebatur pro restauratâ communione non minimam gratiam. Vt Sancti Cyrilli capitula propter ambiguitatem, & locutionis obscuritatem, cum orientalibus Episcopis, parum intelligendo culparet, humanæ fuit infirmitatis; vt dicta sua bene interpretanti faciliùs crederet, ac libentissimè consentiret, omnino sacerdotalis fuerat caritatis, sine vllo dispendio veritatis. Cur epistolam nos damnaremus, vbi tanquàm præterita, sunt vtraque narrata per illius Sancti Cyrilli fideles interpretationes? Ipse, ipse Sanctus Cyrillus non vni Ibæ, sed pluribus orientalibus Episcopis auferre scandalum malæ intelligentiæ properauit, bene interpretando capitula sua: & nos pro iniuriis eius, historiæ modo quid contigerat reprobaremus epistolam? Si contraria veræ fidei regulis in illâ epistolâ venerabilis Ibas Episcopus locutus fuisse firmatur, propter aliquanta vel ambigua, vel obscura quæ faciunt hoc videri; nostra debet esse setentia melior, quia nos ex ore eius qui dictauit epistolâ, sensum valuimus inuestigare verborum. Postremò quare putaremus epistolam fauere Nestorio, cuius auctor nobis præsentibus, iubentibus, audientibus, voce viuâ minimè dubitauit anathemare Nestorium, suscipiens tomum Papæ Leonis, & confessionem veræ fidei nobiscum subscribendo confirmans? Hæc audientes, quale responsum daturi sumus tot inclytis rectoribus, & magistris Ecclesiarum? Præcipuè cùm Rex iustus sederit in throno?

V. Caueamus, fratres, insidias diaboli. Si nefandus error Nestorij latere putatur in hac epistolâ venerabilis Ibæ Episcopi, quam Patres receperunt, neque magnis neque paruulis nocet: error quippe Nestorij publicè damnatus est in Calche-

donensi Concilio. Si vituperatio sanctissimæ recordationis Cyrilli scandalum mouet, vt abiiciatur epistola quam Patres receperunt; laudatus est ibi, multúmque laudatus; quando eius dictorum suorum interpretatio, remouisse firmatur sinistræ suspicionis offensionem, reconciliatis paci eius orientalibus Episcopis: in quâ pace omnes sibi communicantes pariter dormierunt, & hanc epistolam talia referentem ne leuiter culpandam esse dixerunt. Meritò tunc præsente Marciano Imperatore religioso, Sacerdotes omnes qui Concilium pacis mentibus pacificis inchoatum, definitionibus ecclesiasticæ paci conuenientibus finierunt, in pace fraternâ redierunt ad suarum plebium loca, sine odio, sine inuidiâ, sine contentione, concordes, vnanimes, commune testimonium perhibentes. Ibi fuit in Legatis suis sedes apostolica, primatum tenens vniuersalis Ecclesiæ: ibi aliarum venerabilium sedium Pontifices, astuti vt serpentes, simplices vt columbæ: ibi ex minoribus ciuitatibus ingens turba Pastorum, dominici gregis caulas pastorali sollicitudine gubernantium. Nemo ibi damnauit aliquem nolentibus cæteris, nemo absoluit nolentibus cæteris: omnes sibi consentientes, & Doctoris gentium verba libenter implentes, obedierunt dicenti sibi; *Obsecro vos, fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Ideò eorum iudicium mansit, & in suâ stabilitate permansit nullatenus immutandum, quia iudicantium Sacerdotum nec dignitas fuit inferior, nec numerus paruus, nec auctoritas minor, nec ignobilis electio, nec superflua præsumptio, nec insipiens deliberatio, nec vulgaris adsensus, nec infructuosus labor, nec tranquillitati Ecclesiarum contrarius finis. Ad sedandas præteritas contentiones venerunt, præsentes amputauerunt, etiàm futuras mitigauerunt: addere quippiam post eorum definitiones, mutare, minuere, nihil est aliud quàm nouas seminare discordias. Nemo culpare festinet bene deposita, nemo recta corrigere. Quid erit firmum, si quod statuit Calchedonense Concilium vocatur in dubium?

1. *Cor.* 1. 10.

VI. Plura hinc possem querelis luctuosis sub quadam tragœdiâ flebiliter deplorare; sed sufficere mihi videtur quòd Ecclesia Iustinianæ Carthaginis, per linguam gloriosi Pontificis sui beatæ memoriæ Capreoli, clementissimo Principi Theo-

dosio scribentis, rationabiliter definiuit, dicens; *Nihil in diuinis humanísque actibus, nihil tam in sacris quàm in publicis rebus obtinere vllam poterit firmitatem, si ea quæ debito sententiæ iudicialis fine clauduntur, post annorum spatia, & quælibet volumina sæculorum, tanquàm in emendatione Patrum velut instructor, præsumat emendare posteritas.* Et in aliâ epistolâ ad Ephesenum Concilium per Versulam directa Diaconum; *Habet quicquid fortè nuper exoritur, discussionis necessitatem, vt aut recipi probatum, aut damnatum possit excludi. Ea verò de quibus anteà iam iudicatum est si quis admiserit in retractationem vocari,* * *videbitur, quàm de fide quam nunc vsque tenuit, ipse dubitare.* Ecce iam non statuta tantùm synodalia, sed penè cunctorum firmata iudicia, vocari rursus in examen nimìs esse culpabile, memorabilis Doctor Carthaginensis Ecclesiæ profitetur: quomodò ergo nunc olim iudicata iudicabuntur? Si tunc aliquis accusator epistolæ, cuius catholica esse dictatio claruit, ad maiora iudicia prouocaret, appellationi forsitan secundùm consuetudinem locus pateret; sed quò iret? aut vbi maiores reperiret in Ecclesiâ iudices? ante se habens in Legatis suis apostolicam sedem; quâ consentiente, quicquid illa definiuit Synodus, accepit robur inuictum? Vox igitur adempta volentibus malè adsumpta defendere, quomodò iterum restituetur? quis erit post tantos ac tales Pontifices, negotij iam peracti nouus & idoneus cognitor? ex quibus mundi partibus, aut ciuitatibus meliores antiquis Episcopis congregabuntur Episcopi, quibus potestas detur sententias emendare maiorum? vel quâ spe confidenter adsumant aliquid definire, videntes talium virorum iudicia repente cassari? Quomodò successoribus nostris poterit placere quod agimus, si per nos docebuntur irritum facere, quod præcessores suos gessisse cognouerint? Vnde hæc noua cautela? numquid post Papam Leonem, Anatolium, Maximum, Iuuenalem, vel cæteros illius temporis Sacerdotes, nullus fuit ex eorum successoribus, qui legeret adtentiùs, & intelligeret, epistolam venerabilis Ibæ Episcopi malè Synodo insertam fuisse? Modò cœpit hæreticorum querela mouere Catholicos, vt cogitent hanc epistolam reprobare.

* *Hic restitue* nihil aliud; *ex Græco* οὐδὲν ἕτερον.

VII. Habeo dicere; si retractentur Calchedonensis decreta Concilij, de Nicænâ Synodo cogitemus, ne simile periculum

patiatur. Vniuersalia Concilia, præcipuè illa quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post canonicos libros tenent. Sicut legentibus Scripturam diuinitùs inspiratam non licet aliquid reprehendere, quamuis minimè valeant altitudinem cœlestis oraculi comprehendere; sed pius lector & quod non intelligit credit, vt quod credit mereatur intelligere: sic omnino, nec aliter Concilia quæ vetustas firmauit, & custodiuit deuota posteritas, obedientiam de nobis exigunt, nullam relinquentes dubitandi necessitatem. Longè illa sunt, de quibus Apostolus dicit; *Omnia probate: quod bonum est tenete: ab omni specie mali abstinete vos.* Quæ autem finiuntur iudicantibus Episcopis sanctis, & ad Beati * memoriam perducta, diligentiùs examinantur atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt: in retractatione sub quâlibet pietatis occasione teneri non debent; præcipuè apud posteros, iam secundùm carnem mortuis qui iudicium protulerunt; & ibi iam constitutis, vbi iuxta Euangelium, *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Quid prodest cum dormientibus habere certamen, aut pro dormientibus Ecclesiam perturbare? Si quis adhuc in corpore mortis huius accusatus & damnatus, antequàm mereretur absolui, de sæculo raptus est, absolui non potest vlteriùs humano iudicio. Si quis accusatus & absolutus, in pace Ecclesiæ transiuit ad Dominum; condemnari non potest humano iudicio. Si quis accusatus, ante diem sacerdotalis examinis repentinâ vocatione præuentus est, intrà sinum matris Ecclesiæ constitutus, diuino intelligendus est iudicio reseruatus; de hoc nullus homo potest manifestam proferre sententiam: cui si Deus indulgentiam dedit, nihil nocet nostra seueritas; si supplicium præparauit, nihil prodest nostra benignitas.

1. Thess. 5. 21. 22.

* Hic videtur deesse *Petri*

Ioan. 5. 22.

Rom. 12. 3.

VIII. Vetat nos Apostolus *plùs sapere quàm oportet sapere*: quicumque ergo aliter sentit, & rectum putat esse quod sentit; sub hac deuotione pietatis loquatur, scribat, disputet, in negotio præsertim religionis, vt neminem dictis suis obedire compellat inuitum; nec vnius hominis sententiam valere tantùm credat, vt præiudicium generet aliter sentientibus. Potest vnusquisque rectam prædicans fidem, quod sentit scribere, non tamen ad subscribendum quæ ipse scripserat, alios prouocare.

prouocare. Quantùm laborauerunt in prædicatione verbi, post Apostolos, sanctissimi illi præclaríque Doctores; quibus per Spiritum sapientiæ & scientiæ, concesserat Dominus docere Catholicos, & hæreticos expugnare? libros tamen suos à nemine subscriptos posteris reliquerunt. Consideremus quid Beatus Apostolus moneat; *Prophetæ duo vel tres dicant, vel cæteri examinent.* Numquid dixit, subscribant, aut subscribere compellantur? diligentiùs examinari quæ dicta sunt iubet, ne consensus facilis incurrat errorem: sit vnicuique liberum, postquàm legerit quod vnus homo dictauit, non ita dicta eius accipere quasi canonicas Scripturas; sed cogitare quid eligat, quid respuat; quid sequatur statim, quid cum prudentioribus arbitretur fratribus conferendum: nulla fiat necessitas generare sibi præiudicium subscribendo; ne aliud posteà sentiat, si aliud posteà sentiendum reuelata demonstrauerit veritas: patienter autem ferat pius scriptor sollicitudinem piam requirentium veritatem, nec festinet auditorum tenere manum, sed per suauem sensum paratus meliora sentientibus consentire.

1. Cor. 14. 29.

IX. Cuius humilitatis exemplum beatus Pontifex Augustinus, in caritate Christi pænè omnibus catholicæ Ecclesiæ Doctoribus præbens, in primo libro de Trinitate; *Nec pigebit,* inquit, *me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit si erro, dicere. Proinde quisquis hæc legit, vbi pariter certus est, pergat mecum; vbi pariter hæsitat, quærat mecum; vbi errorem suum agnoscit, redeat ad me; vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur simul caritatis viam; tendentes ad eum de quo dictum est,* Quærite faciem eius semper. *Et hoc placitum, pium, atque iustum coram Domino Deo nostro. Cum omnibus interim qui ea quæ scribo legunt,* &c. Sola enim sunt, vt superiùs iam sæpè diximus, in canonicis libris præcepta diuina, & in generalibus Synodis paterna decreta, non refutanda nec respuenda, sed custodienda & amplectenda; præcipiente sanctâ Scripturâ; *Audi, fili, legem patris tui, & ne spernas consilium matris tuæ.* Lex enim patris fulget, quantùm mihi videtur, in canonicis libris; consilium matris in vniuersalibus Conciliis continetur, vbi propterea qui conueniunt tales Sacerdotes statuta sua subscribunt, vt dubium non relinquatur à quibus est habita disputatio: cæterùm præter illos qui statuunt quæ statuenda sunt, nullus cogit vltrà subscribere; sufficere enim

Aug. l. 1. de Trin. c. 2. & 3.

Prou. 1. 8. & 6. 20.

iudicatur ad plenam confirmationem, si perducta in notitiam totius Ecclesiæ, nullum offendiculum moueant, vel scandalum fratribus; sed apostolicæ fidei conuenire firmentur, apostolicæ Sedis roborata consensu.

X. Dignetur itaque beatitudo vestra tres istas regulas ordine & sermone quo potuimus intimatas, diligenter attendere, & (si nostra placet humilis persuasio) custodire. Vt Concilij Calchedonensis, vel similium nulla retractatio placeat; sed quæ semel statuta sunt, intemerata seruentur. Vt pro mortuis fratribus nulla generentur inter viuos scandala. Vt nullus libro suo per subscriptiones plurimorum, dare velit auctoritatem, quam solis canonicis libris Ecclesia catholica detulit. Illud quoque tranquillitati Ecclesiarum proficere poterit, si nullus velit præscribere quid sequatur Ecclesia, sed tenere quod Ecclesia docet; ipso Domino per Moysen in Cantico Deuteronomij dicente; *Interroga patrem tuum, & adnunciabit tibi; seniores tuos, & dicent tibi omnia.* Tunc quippe implebitur etiam Doctoris gentium suauis doctrina, Corinthios admonentis, & dicentis; *Cùm conueneritis, vnusquisque vestrum psalmum habet: doctrinam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.* Ecce, interrogatus, propter obedientiam silere non potui, respondens magistris discipulus, doctis indoctus, maioribus minor. Examinate quæsumus, propter caritatem; si potuit hæc parua responsio comprehendere veritatem: &, si quidem placuerit, discretio vestra perpendat vtrum prodi debeat fratribus.

Deut. 32. 7.

1. Cor. 14. 26.

FINIS.

NOTÆ IN PRÆMISSA OPVSCVLA.

Prænotanda nonnulla de Ferrandi & Cresconij Breuiariorum canonicorum comparatione, quoad methodum, & res contentas.

I. FERRANDI in canonibus vnus tantùm fuit labor, qui Breuiatio canonum inscribitur. At Concordia seu Collectio canonum Cresconij, duas habet quasi partes: prior est Breuiarium canonum, in quo disciplina omnis ecclesiastica, ad Ferrandi exemplum, breuibus comprehenditur summulis; citatis tantùm ad singulas canonibus Conciliorum, aut Pontificum decretis quæ ad rem spectant: posterior integros ipsos canones ac decreta expandit, eo ipso ordine quo in Breuiario allegantur. Priorem hìc dumtaxàt partem, hoc est, Breuiarium damus: à quo quantùm in Ferrandi opus, ac vicissim in hoc ab illo affundatur lucis, vtriusque comparatio aperiet.

II. Si formam spectes, paria sunt ferè omnia. Non enim hi duo, vtì Dionysius Abbas, Conciliorum ordinem tenuere; vt primò omnes Apostolorum canones, tum Nicænas omnes regulas, exinde Ancyranas, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenas, cæteràsque describerent: sed materiarum ratione habitâ, canonicam omnem scientiam, Ferrandus duobus &

triginta ſupra ducenta, Creſconius omnino trecentis capitibus digeſſit, certis ad ſingula ſubnotatis canonibus aut decretis. In quo Ferrandi præſertim eſt ordo ſpectabilis: nam primò ea quæ Epiſcopos, tum quæ Præsbyteros, deinde quæ Diaconos; ad extremum quæ aut clericos ſimul omnes, aut ſolos laïcos, aut clericos pariter & laïcos ſpectant, breuiter & accuratè collegit.

III. At ſi de materiâ quæritur, intelligo hoc mihi faciendum quod Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo: qui (vt refert Hieronymus præfatione in quatuor Euangelia ad Damaſum) cùm quatuor Euangelia inter ſe comparare haberet, ſepoſuit quæ cuiuſque propria eſſent, quæ duobus, aut tribus, aut etiam omnibus communia: vnde exiſtunt illi celebratiſſimi euangelicæ hiſtoriæ canones decem Euſebiani, qui vtcumque expreſſi à typographis habẽtur apud Hieronymum ante caput primum Matthæi: extántque paſſim in antiquis codicibus. Sed vſum nullum habent, niſi cum textu quatuor Euangeliorum, iis diſtincto ſectionibus, ad quas referuntur.

IV. Ferrandi abſque dubio propria ſunt quæcumque refert ex Conciliis, Conſtantinopolitano, Zellenſi ſeu Tiellenſi, Sufetulenſi, Septimunicenſi, Macrianenſi, Iuncenſi, Marazanenſi ſeu Maradianenſi, Thenitano, & Thuſdritano: quorum Creſconius ne meminit quidem.

Creſconij proprij ſunt Canones Apoſtolorum, & Calchedonenſes: decreta item Siricij, Innocentij, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, & Gelaſij Romanorum Pontificum: quæ à Ferrando nuſquam laudata ſunt.

Ferrando & Creſconio communes ſunt canones Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiocheni, Laodicenſes, & Sardicenſes. Sed cum hoc diſcrimine, quòd Creſconius has ſeptem Synodos Dionyſianis vbique verbis ac numeris profert: non item Ferrandus, qui codicibus vſus eſt, horum canonum paulò diuerſam à vulgatâ Dionyſianâ partitionem exhibentibus.

V De Conciliis, Hipponiregienſi, Mileuitano, & Carthaginenſibus plurimis à Ferrando citatis maior eſt difficultas, an in vno, alteróue Carthaginenſi (quo vſus eſt Creſconius) omnia comprehendantur. Quod vt explicem, videndum priùs de

collectione Africanâ, sitne ea priuati cuiuspiam auctoris opus; an Concilium aliquod Africanum, vnum aut duplex. Quâ de quæstione doctissimè in vtramque partem disseruit Cardinalis Perronius; rem in medio relinquens: quamuis decem ob rationes propensior vt existimet, eam esse priuatum opus; nec nisi abusiuè Concilium appellari: eâ planè ratione, quâ Martini Braccarensis Collectio Græcarum Synodorum, appellatur à Gratiano & alijs, *Concilium Martini Papæ*.

En la replique à la responce du Roy de la Grand Bretaigne. chap. XLIX.

VI. At ego, pace tanti viri dixerim, inclino in partem oppositam: secutus non modò recentiores plerosque, sed etiam antiquos optimæ notæ scriptores. Nam Dionysius Abbas in præfatione suæ Collectionis, eos canones appellat Concilium Africanum: & in contextu, *Incipit Synodus*, inquit, *apud Carthaginem Africanorum*, *quæ constituit canones num. CXXXVIII.* quanquam (vt infrà ostendam) ex hoc numero deducendæ sunt, cum Nicænâ fidei professione, quatuor epistolæ ad finem adiectæ; ac præsertim vltima Concilij Africani ad Cælestinum Papam, quæ prioris illius, de quo agimus, Concilij chronologiæ non congruit; vt sint tantùm veri & proprij canones CXXXIII. Eosdem canones passim citatos reperies in Capitulari Caroli magni, & in aliis Collectionibus anonymis quas euoluimus, sub titulo; *Ex Concilio Africano.* Et hunc ipsum habent titulum in antiquis membranis, ex quibus in Codicem veterem canonum Ecclesiæ Romanæ, atque in vulgatos Conciliorum tomos deriuati sunt. Prætereà Cresconius cap. XXX. & CLIV. hanc ipsam Africanam Synodum appellat *Concilium Carthaginense vniuersale*: non eo sensu quo *vniuersalis* nomine designari solet Concilium totius Africæ, (alioqui Carthaginenses plerasque alias Synodos, æquè *vniuersales* appellare potuisset;) sed quod illud ex pluribus Conciliis Africanis quasi compositum, compactúmque sit. Accedit quòd post primos tres & triginta huius Concilij canones hæc habentur in textu; *Recitata sunt etiam in istâ Synodo diuersa Concilia vniuersæ prouinciæ Africæ, transactis temporibus Aurelij Carthaginensis Episcopi*: quo testimonio quid potest proferri euidentius? Immò ante ipsos XXXIII. primos canones sic legitur; *Deinde quæ in Concilijs Africanis promulgata sunt, actis præsentibus inserta noscuntur*: nam & illi ipsi priores canones XXXIII.

desumpti sunt ex I. & II. Carthaginiensibus Conciliis, & ex Hipponiensi, vt infrà ostendam.

VII. His igitur argumentis planè censeo; cùm ante annum Christi CDXIX. qui notatus est, Post consulatum Honorij XII. & Theodosij VIII. plurima exstarent Africana Concilia, quorum canones sæpiùs inculcarentur: & iam tædio esset ac labori nimio, earum Synodorum tot curare exemplaria ad cleri numerosissimi vsus: placuisse Aurelio Primati Carthaginiensi, vt ex iis Conciliis illi canones delibarentur, qui ad stabiliendam ecclesiasticam disciplinam potiores essent. Quod factum anno illo CDXIX. in Concilio Carthaginiensi. Cuius Concilij quamuìs tres tantùm in contextu designantur sessiones, nempe octauo, tertio, & pridie Kalendas Iunias: verisimile est tamen, etiàm quatuor diebus interiectis inter octauum & tertium Kalendas, vacatum esse audiendis præcedentium Conciliorum excerptis, quæ in eo adnotata habentur, saltem à delectis à toto Patrum cœtu: vix enim potuissent vnâ illâ die VIII. Kalendas Iunias omnia recognosci. Sessione ergo primâ, & sequentibus quatuor diebus, sanciti seu probati sunt ante omnia priores canones XXXIII. magnam partem desumpti ex Concilio Carthaginiensi secundo, & ex Hipponiregiensi; quod ad numerum XXXIII. celebratum memoratur, octauo Idus Octobris, Theodosio III. & Abundantio Coss. hoc est, anno Christi CCCXCIII.

VIII. Deinde recitati, confirmatíque sunt qui sequuntur canones XCIV. carptim delibati è sedecim aliis Conciliis sub Aurelio Carthaginiensi Episcopo habitis, quorum hæc est series.

1. Carthaginiense, Arcadio III. & Honorio II. Coss. anno Christi CCCXCIV. sexto Kalendas Iulias. *Num. XXXIII.*

2. Carthaginiense, Cæsario & Attico Coss. anno Christi CCCXCVII. quinto Kalendas Septembris. *A num. XXXIII. ad LVI. inclusiuè.*

3. Carthaginiense, iisdem Consulibus, VI. Kalendas Iulias; quod illi præcedenti præmittendum fuisse videtur. *Num LVI.*

4. Carthaginiense, P. C. Honorij IV. & Eutychiani, anno Christi CCCXCIX. quinto Kalendas Maias. *Num. LVI.*

5. Carthaginiense, P. C. Stiliconis, anno Christi CDI. de-

cimoquarto Kalendas Iulias. *A num. LVI. ad LXV.*

6. Carthaginienſe, Vincentio & Frauito Coſſ. anno Chriſti CDI. Idibus Septembris. *A num. LXV. ad LXXXV.*

7. Mileuitanum, Arcadio & Honorio V. Coſſ. anno Chriſti CDII. ſexto Kalendas Septembris. *A num. LXXXV. ad XC.*

8. Carthaginienſe, Theodoſio & Rumorido Coſſ. anno Chriſti CDIII. nono Kalendas Septembris. *A num XC ad XCII.*

9. Carthaginienſe, Honorio VI. Conſule, anno Chriſti CDIV. duodecimo Kalendas Iulias. *Num. XCIII.*

10. Carthaginienſe, Stilicone II. & Arthemio Coſſ. anno Chriſti CDV. decimo Kalendas Septembris. *Num. XCIV.*

11. Carthaginienſe, Honorio VII. & Theodoſio II. Coſſ. anno Chriſti CDVII. Idibus Iuniis. *A num. XCIV. ad CVI.*

12. Carthaginienſe, Baſſo & Philippo Coſſ. anno Chriſti CDVIII. ſextodecimo Kalendas Iulias. *Num. CVI.*

13. Carthaginienſe, iiſdem Conſulibus, III. Idus Octobris. *Num. CVI.*

14. Carthaginienſe, Honorio VIII. & Theodoſio III. Coſſ. anno Chriſti CDIX. decimoſeptimo Kalendas Iulias. *Num CVII.*

15. Carthaginienſe, P. C. Honorij VIII. & Theodoſij III. anno Chriſti CDX. decimooctauo Kalendas Iulias *Num. CVII.*

16. Carthaginienſe, Honorio XII. & Theodoſio VIII Coſſ. anno Chriſti CDXVIII. Kalendis Maij. *A num. CVIII. ad CXXVII.*

IX. Alterâ ſeſſione, ad III. Kalendas Iunias, deliberatum eſt de concludendâ Synodo in poſterum diem: ac delecti ſunt ex omnibus Patribus vigintiduo, qui cæteris ad ſuas ſedes digredientibus, Carthagine remanerent, reliquarum quæſtionum futuri iudices. Ad hæc, in eâdem ſeſſione ſanciti ſunt, & à CCXVII. Epiſcopis ſubſcripti ſex alij canones, qui cum prædictis ſummam conficiunt CXXXIII. Atque hic finis canonum. Sequenti die, pridie Kalendas Iunij, ſeſſione vltimâ, recognita eſt & ſubſcripta à CCXVII. Patribus epiſtola Concilij ad Bonifacium Papam: ac dimiſſa eſt Synodus. Ea epiſtola in actis Concilij ſubiecta eſt prędictis canonibus CXXXIII. & in quibuſdam exemplaribus notata numero CXXXIV. Sequuntur in antiquis codicibus epiſtolę duę, Cyrilli Alexandrini, & Attici Conſtantinopolitani Patriarcharum; quę cum exemplari fidei

Nicænæ, à XXII. Carthagine restantibus Episcopis acceptæ, ad Bonifacium Romanum Pontificem, sexto Kalendas Decembris, anni eiusdem CDXIX. destinatæ sunt. Epistolis his duabus, & formulæ Nicænæ appicti tres numeri, summam faciunt CXXXVII. Sed in epistolâ Cyrilli, vbi dicit, *De Pascha verò, vt scripsistis nunciamus vobis, XVII. Kalendas Maias nos futurâ Indictione celebrare.* legendum, *XIIII. Kalendas Maias;* qui fuit dies Paschæ anni Christi CDXX. Quæ denique ad calcem adiicitur epistola Concilij Africani ad Cælestinum Papam, in causâ Apiarij Presbyteri; data est longè post hæc tempora, vt Cælestini chronologia euincit: neque hìc locum habet nisi ratione argumenti; nam de Apiario Presbytero actum iam fuerat in Synodo anni CDXIX. vt narratur in epistolâ ad Bonifacium, de quâ suprà.

X. Nec me ab hac sententiâ dimouent, disertissimi Cardinalis Perronij rationes decem in contrarium prolatæ. Nam ad primam, iam dixi, epistolam ad Cælestinum Papam, non esse partem Concilij anno CDXIX. celebrati; sed consequentiam quandam causæ Apiarij in eo agitari cœptæ.

Ad secundam. Mirum est malæ fidei notari collectorem, quòd in prioribus tribus & triginta canonibus plerosque Hipponienses contineri dicat. Nam qui Hipponienses canones vel in Breuiario Hipponensi recensentur (quod Concilij III. Carthaginiensis actis insertum est) vel citantur à Ferrando, capitibus XXXIV. XXXV. XXXVIII. XLVII. LIV. XCV. & CXCVIII. suæ Breuiationis; ij plerique omnes, XXXIII. illis canonibus comprehenduntur; vt inspicienti patebit, & ex infrà dicendis satis intelligetur.

Ad III. & IV. Fateor, has clausulas; *Gesta in authenticis qui quærit, inueniet. Huius Concilij gesta non ex integro descripsi*, & similes, quæ habentur præsertim numero LVI. & XCIII. priuatum aliquem collectorem prodere: nempe primicerium notariorum, aut alium quempiam, cui erat ab vniuerso Concilio imperatus labor spicilegij huius. Sed quemadmodùm quæ Faustinus, vel Augustinus, vel Alypius proprio nomine in Synodo proferunt, ad Synodi tamen acta pertinent: ità & quæ iste collector in cœtu Patrum à se adnotata recitauit.

Ad V. Quis neget, licuisse collectori, pro arbitrio aut separare

parare connexa, aut disparata coniungere?

XI. Ad VI. de clausulâ; (*Secretè tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet,*) quæ habetur cap. XCIX. editionis Moguntinæ; video eam ineptam esse, & iuri ac rationi contrariam. Sed cùm illa desideretur apud Græcos, & in Dionysio Iustelli, ad optimos codices recensito; apparet eam glossema esse imperiti alicuius, quòd in textum irrepserit.

Ad VII. & VIII. plana est responsio ex dictis. Quid enim non ad rem, quòd Aurelius Primas de Synodo postridie soluendâ Patres admoneat? quódque eo ipso die delectis duobus & viginti Carthagine restituris reliquarum quæstionum iudicibus, omnes Episcopi CCXVII. ei sessioni subscribant; cùm & iidem omnes adhuc die sequenti, epistolæ vniuersi Concilij ad Papam Bonifacium datæ subscripsisse legantur?

Ad IX. respondeo, priores canones tres & triginta, esse verè de corpore Concilij, quod anno Christi CDXIX. ab octauo Kalendas Iunias, vsque ad diem ante Kalendas eiusdem mensis actum ostendimus. Vnde & à Dionysio Iustelli, & à Græcis vnâ serie recensentur omnes eius canones CXXXIII. quamuis (vt mox dicam) in duo quasi diuersa Concilia à plerisque aliis diuidatur.

Ad X. respondit ipse sibi eruditissimus Cardinalis, dum ea verba protulit è numero XXXIII. collectionis (quæ & nos suprà dedimus,) ex quibus constet, *in istâ Synodo*, plurima Africana Concilia recitata.

XII. Tanti autem est habitum Concilium illud, quod (vt iam monui) vniuersale singulari ex causâ nuncupatum est; vt quemadmodùm Trogi Pompeij, Titi Liuij, & Dionis iustis operibus exitio fuere suæ epitomes; ita ea Synodus, Africanorum penè omnium Conciliorum acta integra tantùm non aboleuerit: adeò vt extra illam vix vnum, alterúmve Africanum Concilium benè integrum sanúmque nobis hodie superfit. Illa certè vnica satìs fuit Græcis, satìs Dionysio, satìs etiam Cresconio Episcopo Africano: qui præter illam ne vnum quidem canonem Africanum collectionibus suis inseru ere.

XIII Neque tamen pariter omnes eâ vsi sunt. Nam Græci quidem, & Dionysius omnes eius CXXXIII. canones vno tenore numerarunt; tanquam vnius tantùm (vt verè sunt) Sy-

nodi. At alij ex vnâ Synodo quasi duas effecerunt: nec eodem planè modò. Nam Codex vetus canonum Ecclesiæ Romanæ, priùs exhibet primos XXXIII. canones, sub nomine Concilij Carthaginensis: deinde centum reliquos sub nomine Concilij Africani; quod & in aliquot antiquis collectionibus obseruatum notauimus. Eâdem partitione vsus est Cresconius, qui canones illos priores XXXIII. Concilio adscripsit Carthaginensi absque adiuncto: sed alios centum velut ex altero Concilio retulit, quod capite XXX. & CLIV. appellauit Carthaginense vniuersale. At Ferrando minùs placuisse videtur ista collectio: siue in eâ quædam deesse, quædam redundare, alia inconcinnè vel seiuncta vel connexa esse deprehendit: siue (quod acriorum ingeniorum est) fontes ipsos adire, quàm riuulos sectari maluit. Quare, è toto illo Concilio anni Christi CDXIX. sex tantùm vltimos canones (qui soli eius proprij sunt) spectauit: & ex eis titulos II. III. IV. & VI. capitibus suis, LXXIII. CXCV. CXCVI. & CXCVII. inseruit. Reliquos canones ex quibus coaluit Africana collectio, non ex ipsâ collectione, sed è singulorum integris actis retulit. Idémque facturi fuisse videntur Græci cum Dionysio, si externis hominibus æquè Africani codices ad manum fuissent: & certè fecisset Cresconius Afer, si ducentis ferè post Ferrandum annis scribenti, supra Vandalicas clades, trium insuper Capitulorum diuturna tempestas, & Arabum denique in Africam irruptio, sat multa integrorum Conciliorum exemplaria reliquissent. Porrò tituli XXI. XLVI. XLVIII. XLIX. & L. quos adnotat Ferrandus capitibus XXXIX. CCXXIX. CLXXV. IV. & V. quamuìs incurrant fortuitò in similes numeros collectionis Africanæ secundùm Dionysium; non tamen à Ferrando citantur ex eâ collectione, sed ex antiquâ serie canonum Concilij Carthaginensis, tertii vulgò dicti, quod anno Christi CCCXCVII. celebratum est: quódque solum *vniuersale* appellat Ferrandus, vt infrà ostendam.

XIV. Atque ex his causis nata est in adnotandis ad canones numeris diuersitas. Cùm enim Dionysius (sicut & Græci) canones vno ductu numeret CXXXIII. Cresconius autem primùm XXXIII. deinde rursùs ab vnitate repetito initio, centum; necesse est vt numeri posterioris Concilii, apud Cresconium sint semper ternario & tricenario minores; quamuìs in priore

Concilio cum numeris Dionysianis planè conueniant. Quo etiam ex indicio facilè deprehendes, quandonam Cresconius nomine Concilii Carthaginensis intelligat prius, & quando posterius: nam de priori ex canonibus XXXIII. composito refert canones XXVII. iisdem quibus apud Dionysium numeris adnotatos: ex posteriori autem, centum canonibus constante citat canones diuersis locis LX. ad quorum singulos numeros Cresconianos addi debent XXXIII. vt Dionysianos exęquent. At in Ferrando diuersę ferè vbique sunt à Cresconianis & Dionysianis notę numerales canonum, ob dictam causam. Cęterùm, monendus es obitèr (mi Lector), à recentioribus compilatoribus, qui Concilii huius rationem, & in eo illigatę collectionis methodum minimè perspectam habuerunt, totam horum Canonum Africanorum compagem miserè fuisse discerptam. Adeò vt eius prolegomena, quę vno tenore decurrunt, ipsi decem numeris distinguerent, & *Concilium Carthaginense sextum* appellarent. Deinde ex duobus Conciliis, anni Christi CDI. (qui apud Dionysium à numero LVI. ad XXCV. extenduntur) delibatos plerosque canones XV. *Concilium Carthaginense quintum* inscriberent. Et denique è Sessione ad tertium Kalendas Iunias habitâ, collecta quinque capita, *Concilij septimi Carthaginensis* nomine promulgarent.

XV. Nunc ad quęstionem initio propositam; An eadem omnino ex Conciliis Carthaginiensibus, Hipponiregiensi, & Mileuitano protulerit Ferrandus, quę Cresconius ex collectione Africanâ; in promptu est responsio, in plerisque eos conuenire, at non planè in omnibus. Nam pauca quædam ex his apud Ferrandum reperies, quæ non habet Cresconius: sic & nonnulla apud Cresconium, quæ Ferrandus non attigit. Quæ autem alterius in altero desint, deprehendes ferè à margine: cùm enim in iis quæ communia sunt, alterum alteri à latere adnotauerimus; vbi nihil adnotatum videris, id quod in textu occurret vel eo ipso singulare esse agnosces.

NOTÆ
IN
BREVIATIONEM CANONVM FVLGENTII FERRANDI.

IN PRÆFATIONEM.

A margine numerus barbarus paginam, Romanus capitulum in Ferrandi & Cresconij Breuiariis, littera a. *primam paginæ partem,* b. *mediam,* c. *tertiam & vltimam designat.*

I. b. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS] Ab vno tamen Valentiniano edita est hæc constitutio. Notum est enim Iurisconsultis, post diuisum à Constantino imperium in orientale & occidentale, prodire solitas sanctiones, vtriusque ditionis Imperatorum præfixo nomine; quamuis in altero tantùm imperio, & ab altero tantùm Principe ederentur. Hoc euidens præsertim in legibus nouellis: etenim nouellæ Theodosij solius à Theodosio & Valentiniano, nouellæ Valentiniani solius ab iisdem, nouellæ Marciani à Valentiniano & Marciano, nouellæ Maioriani à Leone & Maioriano, nouellæ Seueri à Leone & Seuero, nouellæ denique Anthemij à Leone & Anthemio prænotantur. At in corpore Theodosiani & Iustiniani Codicum, vter è duobus Imperator constitutionem ediderit, agnoscere licet interdum è subscriptis Consulibus; cùm vt plurimùm orientales suum, itémque suum occidentales priore loco appellarent: vt plurimùm ex loco datæ constitutionis: nonnunquam ex argumenti ratione atque adiunctis: sæpe etiam ex Præsidis, seu Præfecti cui lex inscripta est, origine aut præfecturâ aliunde compertis.

I. c. VIRVM] Ità codex Corbeiensis peruetustus. Neque planè

ignotū hoc nomen; nam *Virum* Turonensem Episcopum lego apud Greg. Tur. lib. II. Hist. cap. XXVI. & lib. X. cap. vltimo: & *Viri* Viēnensis Episcopi, qui Desiderio Martyri decessit, mentio ad Idus Ianuarias in veteri Martyrol. Ecclesiæ Viennensis, & apud Greg. Tur. lib. VIII. Hist. cap. XXXIX. qui & lib. X. cap. VIII. *Virum* commemorat Eulalij Comitis nepotem. Sed quia sunt omnia hæc testimonia æui posterioris, quo iam eas Galliarum prouincias externi Romanis eripuerant: neque id nominis veteri latio notum fuisse vlla (quòd sciam) inscriptio probat; *Verum* pro Viro reponendum putauerim: aut certè *Virium*; nam & Virios multos in Romanâ republicâ, ex antiquis profert Gruterus in Inscriptionibus, & Ioannes Glandorpius in Onomastico Romano.

PRÆFECTVM PRÆTORII] Erant in imperio Romano præfecturæ prætorianæ quatuor à Constantino magno institutæ, teste Zosimo lib. II. vna Orientis, altera Illyrici, tertia Italiæ atque Africæ, quarta Galliarum quæ & Hispanias & Britanniam spectabat. Vrbis mentio in hac lege, præfecturam indicat Italiæ, cuius caput Roma; vel certè Orientis, cuius caput Constantinopolis. Porrò Theodosio XIII. & Valentiniano Augg. Coss. hoc est, anno Christi CDXXX. erat Antiochus Præfectus prætorio Orientis, vt apparet ex constitutione Theodosij, Cod. Theod. *l. 6. De conlatione donatarum vel releuatarum possessionum.* Fuit igitur Virus, seu Verus, aut Virius, Præfectus prætorio Italiæ & Africæ: successor Volusiani, qui præfuerat Felice & Tauro Coss. itémque P. C. Felicis & Tauri, quod est Florentio & Dionysio Coss. nempe annis Christi CDXXVIII. & CDXXIX. Cod. Theod. *l. 22. De tyronibus: l. 35. De annonâ & tributis: & l. 32. De susceptoribus, præpositis, & arcariis.* Decessor autem Flauiani P F. P. primùm Basso & Antiocho Coss. deinde consulatu Aëtij & Valerij; hoc est, annis Christi CDXXXI. & CDXXXII. Cod. Theod. *l. 32. De annona & tributis: & l. 3. De decurionibus & silentiarijs.*

SECVNDIS SACERDOTIBVS] Hoc est, Presbyteris: quos & S. Leo Papa primus, sermone X. de Quadragesimâ, & Sidonius lib. IV. epistolâ vltimâ, *secundi ordinis Sacerdotes* appellarunt. Immò Sacerdotum nomine Imperator etiam Diaconos comprehendit: etenim factâ mentione initio legis, de Sa-

cerdotibus, secundis Sacerdotibus, & Leuitis; versùs finem rursus distinguit Episcopum, Presbyterum, & Diaconum; quibus omnibus ius azyli conferens, rationem addit; *Quoniam in Sacerdotibus Ecclesia constat;* hoc est, in sacris ministris, Episcopo, Presbytero, & Diacono. Sic & Optatus Mileuitanus lib. I. contrà Parmenianum, Diaconis sacerdotium tribuit, hoc est, sacrum ordinem, vel sacrum ministerium. *Quid commemorem*, inquit, *laïcos qui tunc in Ecclesiâ, nullâ fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid Diacones in tertio, quid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices & principes omnium aliqui Episcopi, &c.* Quàm longè autem à rectâ fide, sinceráque Ecclesiæ doctrinâ aberrent, qui ex his ac similibus Patrum dictis concludunt, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, in veteri Ecclesiâ inter se & à laïcis solo externo munere, non etiam sacri Ordinis charactere fuisse distinctos, copiosè & eruditè ostendit Dionysius Petauius noster, libris tribus de ecclesiasticâ Hierarchiâ; quos tu consule.

I. c. OMNIS TERRA CAPVT INCLINAT] Vetus collectio canonum S. Benigni Diuionensis, numero CVIIII. *Nam Episcopos, & Sacerdotes, quibus omnis terra caput inclinat, per quos & nostrum pollet imperium, admodùm honorari & venerari omnes monemus. Nec eos accusari, aut blasphemari, vel detrahi à quoquam volumus: quia detractio Sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice legatione funguntur in Ecclesiâ.* Sumpsit hic auctor ex Capitulari Caroli magni, lib. V. cap. CLXX. in quod ea Sacerdotum commendatio ex hac ipsa Valentiniani lege manauerat.

I. c. IN VRBEM] Ità codex Corbeiensis; non, *in Vrbe*: & rectè: erat enim Roma & Ecclesiæ catholicæ, & imperij occidentalis caput, quod significat Imperator, eâ vnâ clericis illatâ iniuriâ peti: & idcircò addit, eam (vt loquitur) perfidiam *ad Deum viuum, & imperium nostrum fieri.*

I. c. AVSVS] Nisi mendum est in codice, *ausum* dixit pro *audaci*: quemadmodùm subinde intulit, *Ecclesiæ, vel clerico audere*; quod nos diceremus, *eos aggredi, seu cum iniuriâ lacessere.*

I. c. CENTVM PONDO AVRI, ET CENTVM PONDO ARGENTI] Centum auri pondo, ac totidem argenti (si Budæi calcalis vtimur) nummos aureos nostrates colligunt

duodecies mille & ducentos. Multa sanè ingens, priscis maximè illis sæculis, cùm summa esset auri raritas atque argenti, adeò vt ne Præfectis quidem prætorio vltrà quinquaginta libras auri multare quenquam liceret. *l. 4. C. de modo multarum.* Ex quo & mentem Principis agnoscere promptum est: nam primo suo consulatu (ad annum Christi CDXXV.) legem tulerat in hæc verba; *Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares Iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reseruamus. l. 47. Cod. Theod. De Episcopis, ecclesiis, & clericis.* Nunc tertiùm Consul, anno Christi CDXXX. pœnam addit comminatoriam vsque adeò grauem, vt nemo omnium futurus esset, qui non eâ facilè ab accusandis clericis deterrendus videretur.

NVNQVAM OBREPTO PATRIMONIO] Obscurus aliàs locus; quo tamen sic interpuncto plana est sententia. *Qui patrimonium nostrum*, inquit Imperator, *ne leuiter quidem vnquam attigerit*; metu scilicet nostræ maiestatis, ac reuerentiâ prohibitus; *nescio quâ perfidiâ tentare audeat militantes in palatio* Regis Regum *Christi.* 2. a.

TERRÆ CVRIÆ HVNC ADDVCI] Interpretor, *ad laicum iudicem pertrahi*: nisi mauis, *ad illius loci tribunal in quo reus sortitur forum.* 2. a.

MANVS EIVS IMPLVMBARI] Plumbi pœna ferè triplex in iure Romano. Prima, plumbi liquentis ingestio. *C. TH. l. 1. de raptu virginum.* Altera, plumbi seu plumbatarum verbera. *C. TH. l. 3. & 7. De exactionibus.* Tertia plumbatarum pondera. *C. TH. l. 3. De exactionibus.* Ammianus item Marcellinus lib. XXIX. non longè ab initio; *Intenduntur eculei, expediuntur pondera plumbea, cum fidiculis & verberibus.* Manus ergo implumbari, interpretor; non plumbatis verberari, quæ tergo potiùs incutiebantur, sed plumbeis ponderibus distorqueri: aut fortasse plumbo liquefacto perfundi; si tamen ea pœna non solis rei capitalis damnatis infligebatur: alioqui parum æquus videretur Princeps, qui tenuiores damnaret capitis, cùm opulentiores eiusdem facinoris reos, multâ tantùm pecuniariâ coerceret. 2. a.

OBNOXIIS] Pœnæ obligatis propter delictum. *Festus.* 2. a.

IN SACERDOTIBVS ECCLESIA CONSTAT] Ca- 2. a.

pitulare Caroli magni lib. VI. cap. XCVIII. *Sancta verò Ecclesia in Sacerdotibus constat. Idcircò magnâ pœnâ plectendi sunt qui Episcopis, vel reliquis Sacerdotibus iniuriam, vel contumeliam fecerint.* Sed insignis est locus, quem mihi pro suâ beneuolentiâ indicauit, & è locupletissimæ suæ bibliothecæ codice manuscripto protulit vir clarissimus Ioannes Bohierius, regius in senatu Diuionensi Consiliarius. Collectio est Episcopi sedis incertæ; incertique nominis, peruetusta: è Floro (opinor) Lugdunensi tum alia nonnulla referens, tum quindecim quà leges, quà canones, hoc titulo. *Item capitula legum & canonum recepta, de coërcitione Iudæorum: & de auctoritate, ac firmitate iudicij, & testimonij Episcoporum.* adnotatúrque ad marginem. *Hæc à domno Floro, viro prudenti collecta sunt ex Lege, & Canonibus.* Ibi cap. XIII. describuntur huius ipsius constitutionis priores aliquot versus: tum additur. *Et post pauca; De obnoxiis verò, inquiunt* (nempe Imperatores Theodosius, & Valentinianus;) *Siquis ambulauerit cum Episcopo, vel cum Presbytero, vel etiàm cum Diacono: siue in plateâ, siue in agro, siue in quolibet loco: nullo pacto eos retineri vel obstringi iubemus: quoniam in Sacerdotibus Ecclesia constat. Reges isti Christianissimi qui tantâ reuerentiâ de Ecclesiâ loquuntur, non frustrà audierant;* Et nunc Reges, intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Mira autem & vera sententia, quòd Ecclesia non tam in lapidibus, quàm in Sacerdotibus constat. Et ideò iustè nunc & religiosè sancitur, vt reuerentia quæ altari & templo exhibetur, eadem Sacerdotibus exhibeatur. Et sicut iuxta templum vel altare, ibi nemo reum, & crimini vel etiàm morti obnoxium contingit; ità neque à latere Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, quolibet loco abripere vel contingere audeat.* Hæc antiquus ille Iurisperitus: quæ sanè spectasse videtur vir sanctus, Hugo Lincolniensis Episcopus, cùm reum patibulo addictum, qui ad se perfugerat, liberum dimitti iussit; *Soluite eum,* inquiens, *& sinite abire. Vbi enim Episcopus cum fidelium populo congregatus est, ibi est Ecclesia: nec minor immunitas debetur lapidibus viuis quàm mortuis.* Videntur autem iuris huius nullam habuisse notitiam, Maffeius in vitâ prædicti S. Hugonis Italicè conscriptâ, & Gambacurta de immunitate ecclesiarum lib. IV. cap. VI. Alioqui non dicturi, immunitatem perfugij solis esse concessam ecclesiis materialibus:

Psal. 2. 10.

Vita S. *Hugonis, apud Surium 14. Nouembris.*

acte ... 272 [handwritten marginal note]

rialibus: neque vllâ vel ciuili vel canonicâ lege vnquam attributam Ecclesiæ viuæ; *neque soli Episcopo*, *neque illi simul cum suâ plebe*: cùm eam ista Valentiniani constitutio, etiam Presbytero, immò & Diacono, Eucharistiam licèt non deferentibus, apertè tribuat. Hæc ipsa Flori quindecim capitulorum collectio, capite I. & X. magnam partem exhibet eius constitutionis, quæ incipit, *Priuilegia Ecclesiarum*: & est in Appendice Codicis Theodosiani sexta. Inscribitur autem in antiquo hoc codice; *Imperator Theodosius, & Valentinianus Cæsar, Almachio viro illustri, Præfecto prætorio Galliarum.* At in editione Sirmondi nostri, *Amatio* leges haud absque mendi suspicione, pro *Almachio*: itemque in contextu, *iugi solidata æternitate*; vbi MS. codex, *iugi soliditate.* quæ te, Lector, obiter admonitum volui. Ergo, consulatu Theodosij XI. qui huic constitutioni subnotatur, hoc est, anno Christi CDXXVI. Præfectus prætorio Galliarum fuit Almachius. Quod nomen Latio non fuisse ignotum, ostendit Almachius Romæ martyr, Kalendis Ianuariis: & in Actis Cæciliæ Virginis, Almachius Præfectus.

THEODOSIO XIII.] Habet antiquus codex, *Theudosio decies*: sed manifestum mendum sustulimus; nam decimum consulatum gessit Theodosius cum Honorio; porrò vndecimum, & duodecimum cum Valentiniani primo & secundo; solum tertiumdecimum cum Valentiniani tertio. 2. A.

IN CAPITVLA
BREVIATIONIS FERRANDI.

CONCILIO NICÆNO tit. II.] Semel hìc admonendus es, mi Lector, non eodem numero ab omnibus collectoribus censeri canones vnius & eiusdem Concilij: quod apparet tum ex iis collectionibus quæ hactenus typis editæ sunt, tum etiam ex manuscriptis, quæ exstant quamplurimæ, maximéque inter se diuersæ. De Nicæ- 2. I.

nis exemplum addo. Dionysius Nicænos canones proponit omnino viginti. Vidi autem ego in codice Thuano eosdem canones, vltimo excepto distractos in septem & viginti. Hos ipsos, excepto pariter vltimo & vicesimo, Ferrandus contraxit in quindecim; vt videre licet in tabulâ sequenti. Porrò vltimus Nicænus Dionysij, est primus Sardicensis Ferrandi, vt infrà dicam, vbi & huius calculi rationem exponam.

Canones Nicæni
secundùm

Capitula Ferrandi.	Ferrandum	Dionysium
145.	1.	1.
1.	2.	2.
122.	3.	3.
4.	4.	4.
53. & 143.	5.	5.
———	6.	6. 7.
172.	7.	8.
87.	8.	9. 10.
146.	9.	11. 12.
———	10.	13. 14.
18.	11.	15.
27.	12.	16.
123.	13.	17.
106.	14.	18.
173.	15.	19.

2. II. CONCILIO SVFETVLENSI] Ità codex Corbeiensis. Trecensis, *Suffetulensi*. Collatio I. Carthaginensis cum Donatistis, habita P. C. Varanis (anno Christi CDXI.) numero CXXVI. *Iocundus Episcopus plebis Sufetulensis*. Codex canonum Africanorum, hoc est, Concilium Carthaginense anni CDXIX. P. C. Honorij XII. & Theodosij VIII. initio, & iterum tit.

CXXXIII. *Iocundus Suffetulensis, vel Ecclesiæ Suffetulæ, Legatus prouinciæ Byzacenæ.* In Concilio Carthaginensi sub S. Cypriano, de rebaptizandis hæreticis, inter opera Cypriani, & apud Augustinum lib. VI. de Baptismo contrà Donatistas, cap. XXVI. *Priuatianus à Sufetulâ.* Victor Episcopus lib. II. de persecutione Africanâ, & in Notitiâ prouinciæ Byzacenæ; *Præsidius Sufetulensis* Episcopus, in exilium actus ab Hunerico Rege. Quod enim hanc Notitiam Episcoporum Africæ, qui Carthaginem conuenire à Rege Hunerico iussi sunt (quam anonymam edidit Sirmondus noster) idem ipse conscripserit, qui auctor est operis de persecutione Africanâ; apparet primùm ex ipsâ ratione argumenti: cùm enim in eâ Notitiâ non sola Episcoporum ac sedium nomina recenseantur, sed & à margine, & ad calcem adnotetur quid cuique acciderit, qui fugerint, qui perierint, qui quò relegati sint; hæc nemo negauerit ad eum pertinere, qui totam ipsam persecutionem describendam susceperat. Apparet deinde ex veteri codice S. Mariæ Laudunensis, in quo ea Notitia (vt refert Sirmondus) sequebatur Rationem fidei ab Eugenio Carthaginiensi Episcopo oblatam Hunerico Regi; adeóque libris de persecutione Africanâ implexa & illigata erat. Apparet denique ex M S. codice, ex quo Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico, ciuitatum Africanarum nomina ex eâdem ipsâ Notitiâ deprompta, passim Victori Vticensi adscribit. Infrà tamen docebimus, Victorem hunc, Vitensem potiùs quàm Vticensem Episcopum fuisse. Cæterùm Sufetulæ Byzacij ciuitatis multoties meminit Antoninus in Itinerario. At Sufetulensis Concilij, extra hunc Ferrandi locum nulla vspiam mentio, quòd quidem sciam.

METROPOLITANI VEL PRIMATIS] Quæ in extraneis Concilijs, Nicæno, Antiocheno, & Laodicensi de Metropolitanis sancita sunt, scitè Ferrandus ad Primates Africanos traxit, qui & in suâ prouinciâ, primæ sedis Episcopi dicebantur. Quamuìs enim hi ab illis in multis diuersi essent, illorum tamen iuribus atque auctoritate pollebant. Erant Metropolitani metropoleon Episcopi, in quibus fixas habebant sedes: & hoc ipso (extra Africam) omnibus suæ prouinciæ Episcopis potiores erant, & ordine priores, quamuìs iuniores promotione. Hoc verò in Africâ soli conueniebat Episcopo

2. IV.

Carthaginiensi, comparatè ad omnes non suę modò prouinciæ Proconsularis, sed etiam Africæ totius Episcopos: non quòd vna tantùm esset in omni Africâ metropolis Carthago (erat enim & Circa seu Constantina Numidiæ, & Cæsarea Mauritanæ Cæsariensis, & Leptis magna Tripolitanæ, aliæque aliarum Africæ prouinciarum secundùm ciuilem statum metropoles); sed quia harum metropoleon Episcopi, nihil planè in alios eiusdem prouinciæ Episcopos iuris habebant, quatenùs tales. Nimirum (vt iam alij monuerunt) primæ sedis Episcopi, & cuiusque prouinciæ Primates habebantur, qui erant inter suos prouinciales promotione siue ordinatione antiquissimi: nisi canonico impedimento arcerentur; quâ de re ortâ contentione in prouinciis, quæstio ad Episcopum Carthaginiensem referebatur, ex Concilio Carthaginensi tit. VII apud Ferrandum cap. LXXXI. Itaque vagæ erant primæ sedes, & non ex loco sed ex antiquioris Episcopi personâ constituebantur: adeóque interdum in minimas & obscurissimas prouinciarum ciuitates conueniebant. Vnde etiam erat, quòd nunquàm ordinarentur Primates, nisi Carthaginienses; sed iam olim ordinati Episcopi, priuilegio ætatis primatum assequerentur: quare, & senis vocabulum sæpè vsurpatum pro Primate. Exempla vide apud Sirmondum nostrum, lib. II. Propemptici cap. IX. Gaudebant tamen Africani Primates omnibus externorum Metropolitanorum priuilegiis, & eo insuper potiores erant quòd longè pluribus imperabant. Etenim extra Africam subsunt Metropolitanis plerumque quaterni, seni, ad summum duodeni Episcopi; (ità Vrbanus Papa II. in priuilegio nondum edito Ecclesiæ Atrebatensis, quod Romæ datum est, x. Kalendas Aprilis, Indictione II. anno dominicæ Incarnationis M. XCIV. pontificatus Vrbani Papæ II. septimo; *Liquet*, inquit, *sanctorum canonum institutis, integram esse prouinciam, & Metropolitanum proprium debere sortiri, quæ duodecim constat episcopatibus.*) At Primatum Africanorum multò latiùs patuisse imperium, ostendit Victor in Notitiâ; in quâ cernere est episcopatus Numidiæ CXXIII. yzacij CXVII. Mauritaniæ Cęsariensis CXXVII vni Primati subiectos.

2. IV. SVB ANTISTITE GENETHLIO] In codice Corbeiensi vbique scribitur *Geneclius*. In actis vulgatis Concilij II.

Carthaginensis, & in Concilio Toletano XII. cap. IV. *Genedius.* In Capitulari Caroli magni, Additione IV, num. L. *Genilius.* Mendosè vbique : notum est enim *Genethlij* nomen & Græcis & Afris, ex etymo, atque ex vsu. Initio actionis primæ Concilij Calchedonensis, mentio est *Comitis sacrorum priuatorum Genethlij.* Et à Græcæ originis nominibus minimè alienos fuisse Afros, ostendunt Eugenius Carthaginiensis, Deuterius Simminensis, Timotheus Tagurensis, Eusebius, Anastasius, Adelphius, Stephanus, & alij passim Episcopi Africani, Conciliis antiquis subscripti, vel inscripti. Fuit autem Genethlius Episcopus Carthaginensis, Grati successor, decessor Aurelij. S. Augustinus epist. CLXIII. *Inde nescio quo modo ventum est ad commemorationem beatæ memoriæ Genethlij Episcopi, quòd nescio quam constitutionem datam contrà illos* (Donatistas) *compresserit, & effectum habere non siuerit. Laudabant illum omnes, & benignissimè præferebant. Inter quas laudes à nobis subiectum est, quòd etiam ipse tamen Genethlius, si in eorum manus incidisset, rebaptizandus censeretur.* In hac epistolâ narrat Augustinus disputationem suam cum Fortunio partis Donati Episcopo Tubursicensi, ex itinere, *cùm* (inquit) *ad Cirtensem Ecclesiam pergeremus.* Quæ verba cùm explicet Baronius de Concilio Cirtensi, quod anno Christi CDXII. celebratum dicit : mirum est, Concilium Carthaginense, vulgò secundum, cui præfuit Genethlius Episcopus, ab eo censeri omnium postremum, & in annum referri Christi CDXXV. Theodosio iuniore XI. & Valentiniano Consulibus notatum. Nam si meminit Augustinus in eâ epistolâ, *beatæ memoriæ Genethlij Episcopi*, vt iam vitâ functi : & constat ex Africanorum Conciliorum epochis, fuisse Aurelium Episcopum Carthaginensem annis Christi CCCXCIII. CCCXCIV. CDXVIII. CDXIX. & interiectis : quomodò Genethlius Episcopus erat Carthaginensis anno CDXXV. Sanè aut duos Genethlios eius sedis Episcopos, contrà antiquitatis fidem inducere necesse erit; aut Concilij II. Carthaginensis tempus malè designatum fateri. Sed nos de hoc infrà pluribus. Moneo interim, ex iis quæ addit Augustinus sub finem eius epistolæ CLXIII. *quià ordinandi Episcopi necessitas nos inde iamiámque rapiebat, diutiùs cum illo* (nempe cum Fortunio Donatistâ Tubursicensi Episcopo) *esse nequiuimus*; videri Augustinum Cirtam eo quidem

tempore non ad Concilium celebrandum, sed ad consecrandum Episcopum contendisse.

§. VI. CONCILIO ZELLENSI] Codex Corbeiensis, *Tiellensi*: cùm in Trecensi legatur *Zellensi*: optimè vtrobique, vt mox dicam. Hoc Concilium celebratum est P. C. Honorij XI. & Constantij II. hoc est, anno Christi CDXVIII. præsidente *Donatiano primæ sedis Episcopo ciuitatis Teleptensis*. Ex quo mirati sumus, duplicem consequentiam à viris doctis deductam. Prima est, dicendam esse hanc Synodum *Teleptensem*, ac mendosè hactenùs *Telensem* appellatam in Conciliorum vulgatis editionibus. Altera, fuisse Teleptem primam sedem, & statam metropolim prouinciæ Byzacenæ.

Ad primam quòd spectat, nego rectè colligi, hanc Synodum Telepte celebratam, ex eo quòd illi præfuerit Donatianus Episcopus Teleptensis: potuit enim præside Metropolitano cogi Concilium extrà metropolim, modò intrà prouinciam: & non semper in metropoli habenda Concilia sancitum est canone Africano XCV. (qui est canon Concilij celebrati Honorio VII. & Theodosio II. Coss. idest, anno Christi CDVII.) sed *vbi opportunitas persuaserit*. Cùm enim vagæ essent primæ sedes (vt iam suprà à nobis dictum est), sæpe euenire necesse erat vt essent ad cogenda Concilia perquàm incommodæ. Zellense porrò, seu Tiellense aut Telense Concilium illud appellauit Ferrandus omnino decies, Teleptense nunquam. Et in manuscriptis Conciliorum exemplaribus, ac præsertim in codice illo Corbeiensi perquàm antiquo (cuius in præfatione ad Lectorem meminimus) hæc Synodus inscribitur *Telensis*; tametsi ei præfuisse dicatur *beatus Pater, primæ sedis Episcopus, Donatianus ciuitatis Teleptensis*.

Meminit quidem Victor in Notitiâ, *Deum habet Thelensis Episcopi* in prouinciâ Proconsulari: at nihil hoc facit ad Byzacenam, in quâ versamur. Nec suspicêre, ciuitatem eandem & Teleptem dictam, & Telem, seu Tiellam: fuisse enim Teleptem mediterraneam docet Antonini Itinerarium, numerans *à Telepte Tacapas per Capsen, M. P. CXLII.* maritima autem fuit Zella, seu Tiella. Strabo lib. XVII. *Propè erant etiam* Ζέλλα. *& Acholla liberæ ciuitates: cœpit autem Cæsar primo impetu insulam, & Thenas oppidulum mari imminens*. Quæ Zella Stra-

boni, eadem Ptolemæo Οὐσίλλα, Tabulæ itinerariæ *Vsilla*, mari imposita, haud procul Ruſpe. Eadem & *Vſula* Antonino in Itinerario; *A Tuſdro coloniâ* (inquit) *Vſulam ciuitatem M. P. XXXII. Ab Vſulâ Thenas coloniam M. P. XXVIII.* Vnde *Victorinus Vſulenſis* Epiſcopus in Notitiâ Byzacenâ.

Verùm, inquies, quomodò eadem *Zella*, quæ *Tiella?* *Za* pro *Dia* ſæpe vſurpatum ab Afris monuerunt viri docti, & ego infrà cùm de vtroque Hippone. Porrò D. & T. vt ſono non differunt apud Germanos, ſic facilè inter ſe transmutantur apud nationes cæteras. Hinc Deus, Θεὸς, & alia huiuſmodi. Ergo *Za* Afris idem quod *Dia*, ſeu *Tia*: adeóque *Z.* idem quod *Di*, vel *Ti*. Quare, idem Concilium *Zellenſe* in Trecenſi codice, quod *Tiellenſe* in Corbeienſi. De Zellâ autem factam Vſillam ſiue Vſulam, & locorum ſitus, & vocum affinitas perſuadet.

Altera, quam diximus, conſequentia ſatìs iam refutata eſt ex dictis ſuprà ad caput IV. Erant enim in vnaquâque Africæ prouinciâ diuerſæ metropoles à primis ſedibus. Metropoles cenſebantur (vtì & extra Africam) vrbes illæ quæ capita erant prouinciarum, ex conſenſu populorum, atque ex Principum edictis, & cuique prouinciæ Præfectorum ſtatæ vt plurimùm ſedes. At erant vagæ ac deſultoriæ primæ ſedes, & ſeniorem cuiuſque prouinciæ Epiſcopum ſequebantur; ſeniorem inquam, non ætate ſed ordinatione: vnâ dumtaxat exceptâ Carthagine, cuius Epiſcopus quamlibet conſecratione poſterior, non ſuæ tantùm prouinciæ Proconſularis, ſed totius etiam Africæ Primas cenſebatur. Vnde eſt quòd in canone LXXXVI. Collectionis Africanæ, ex Concilio Mileuitano, apertè diſtinguitur Conſtantina, quæ fixa erat ſecundùm ſtatum ciuilem Numidiæ metropolis, à primâ ſede, quam ſcilicet obtinebat ſenior Epiſcopus, qui & Primas: ſancitúrque *vt matricula, & archiuus Numidiæ, & apud primam ſedem ſit* (nempe ad vſum Primatis), *& in metropoli, id eſt, Conſtantinâ;* ad tutiorem videlicet cuſtodiam. Ergo & ordinis inter Epiſcopos ſumma ratio habebatur (de quo nos infrà, ad caput LXXVIII) & ex eâ diſciplinâ fiebat, vt mortuo vel abdicato primæ ſedis Epiſcopo, eius ſucceſſor (ſi de nouo ordinaretur Epiſcopus) vltimum in Epiſcoporum ſuæ prouinciæ ſerie locum obtine-

ret: atque ita ea ipsa ciuitas quæ paulò antè prouinciæ prima sedes fuerat, vltima esse inciperet. Iam de Telepte nominatim, quòd non fuerit certa & fixa metropolis prouinciæ Byzacenæ, manifestum est ex Concilio Carthaginensi sub S. Cypriano de rebaptizandis hæreticis; in quo *Iulianus à Telepte*, inter Episcopos Africanos quinque & octoginta, numeratur tantùm quinquagesimus octauus, & post multos Byzacij Episcopos: item ex Victoris Notitiâ Byzacenâ; in quâ primus censetur Vassinassensis Episcopus; porrò *Frumentius Teleptensis*, inter centum & vndecim, octogesimo tertio dumtaxàt loco appellatur.

§. IV. EX EPISTOLA PAPÆ SIRICI] Siricij Papæ duas epistolas in Concilio Zellensi seu Tiellensi fuisse recitatas, eius Concilij acta testantur; tametsi vnam tantùm exhibent, quæ est Siricij quarta, ad Episcopos Africanos. Alteram illam, censeo fuisse Siricij primam, ad Himerium Tarraconensem Episcopum datam, cùm eam mittere iubeatur Himerius etiàm ad Carthaginenses: quæ fortasse audita quidem est in Synodo, sed eius canonibus minimè inserta, quòd pleraque decreta eadem quæ & quarta epistola contineret. Hanc epistolam, Siricij Papæ quartam, tantopere probatam maioribus nostris, qui leuissimis de causis in dubium vocant, næ illi mihi videntur, à morum potiùs integritate, quæ in eâ præcipitur, quàm ab antiquitatis fide abhorrere. Sed quæ ex primo & secundo huius epistolæ decreto retulit Ferrandus, isto VI. & precedenti IV. capitibus, non carent difficultate. Primum epistolæ decretum, est istud; *Vt extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est, Primatis, nemo audeat ordinare. Integrum enim iudicium est, quod plurimorum sententiâ confirmatur.* Sic habet, etiam codex ille vetustissimus Corbeiensis, suprà iam aliquoties memoratus. Ideò non assentior Francisco Florenti, viro docto, qui ad tit. VI. de electione & electi potestate, pag. 194. expungenda censet illa verba, *sedis apostolicæ*; vt scripserit tantùm Siricius, *extrà conscientiam Primatis*. Sed interpretor, *apostolicam sedem*, Primatem ipsum, cui ad hunc effectum apostolica ipsa summa auctoritas iure competeret; vt nihil necesse esset, eo in casu Romanum Pontificem conuenire. Quamuìs enim recentiora sæcula solam Romanam sedem, *apostolicæ* ap-

pellatione

pellatione designent; intuitu videlicet Principis Apostolorum Petri, cuius in locum successere alij ex aliis Romani Pontifices: tamen id nominis ab antiquioribus cuicumque sedi episcopali passim attributum legimus; quòd omnes Episcopi sint Apostolorum successores, vt vulgò docuere Patres, & in his Ambrosius in caput quartum Epistolæ ad Ephesios; Augustinus item in psalmum XLIV. cuius hæc sunt verba; *Quid est, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi.* Inter epistolas Regum & Episcoporum, editas à Marquardo Frehero, Rufus Episcopus epistolâ XXI. ad Nicetium Treuirensem; *Domine sancte*, inquit, *& apostolicæ sedis dignissime:* Memorat item Sidonius lib. VI. epist. I. ad Lupum Episcopum, *in apostolicâ sede* (id est, Trecensi) *nouem iam decursa quinquennia.* Quare & *tui* seu *vestri apostolatus* circumlocutione compellari soliti Episcopi quicumque. Valentinus Augustino (epist. CCLVI.), sancta Trinitas, ait, *apostolatum tuum* conseruet. Eâdem formâ Sidonius lib. VI. epist. IV. & VII. Ennodius lib. VI. epist. XVII. Auiti Viennensis, aut eius æqualium epistolæ XXIII. XXXVII. LIX. Freheri epistolæ antiquæ, XXIV. XXXII. XLIV. XLV. LXX. Item *apostolicæ dignationis vestræ*, in epistolis Freheri, LVIII. & LX. Quin & Honorius Augustus, in epistolâ ad Bonifacium Papam, *sedem apostolicam* appellauit episcopatum quemcumque. Singulari nihilominùs ratione, etiam priscis illis sæculis Romanus pontificatus, *sedis apostolicæ* nomine significatus est; et si vt plurimùm cum aliquâ explicatione, quâ communis appellatio, ad vnam omnium principem sedem restringeretur. Sic enim Anacletus Papa epist. I. tit. IV. cùm grauiores causas ecclesiasticas decernit referendas esse ad *sedem apostolicam*; vt de Romanâ se loqui ostenderet, differentiam adiecit; *super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam: dicente ipso ad Beatum Principem Apostolorum Petrum; Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sic & Patres Concilij Carthaginiensis, anno Christi CDI. celebrati (*collect. Afric. numero LXVIII.*) cùm dixissent; *Deinde placuit vt litteræ mittantur ad fratres, & Coepiscopos nostros, & maximè ad sedem apostolicam*: ne quis fortè sedis apostolicæ appellationem aliò traheret, addunt; *in quâ præsidet memoratus venerabilis frater, & collega no-*

ster Anastasius. Secundùm autem Romanam sedem, *cæteræ* Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum sedes, *apostolicæ* præ aliis dici potuerunt, ob specialem earum conuenientiam cum Apostolorum dignitate; quos non vni tantùm ciuitati, sed Orbi vniuerso, vel saltem vni aut pluribus prouinciis singulos præfuisse constat: nec dubium quin eò spectarit Siricius, cùm ait; *extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est Primatis:* illius nimirum in vnaquâque Africæ prouinciâ primæ sedis, quæ apostolicam auctoritatem certâ de causâ expresiùs referebat, quàm aliarum ciuitatum inferiores sedes. Quanquam ne hoc quidem necessarium ad explicandam mentem Pontificis. Fac enim illi, vt plerisque eiusdem æui, sedem apostolicam venire pro Episcopo quocumque: restringit cùm ait, *hoc est, Primatis.* Ac si dicat, *extra conscientiam sedis apostolicæ;* non cuiuslibet, sed illius quæ est sedes *Primatis.* Alterum quod sequitur, Siricij decretum est; *Ne vnus Episcopus Episcopum ordinare præsumat: propter arrogantiam: ne furtiuum beneficium præstitum videatur. Hoc enim in Synodo Nicænâ constat esse definitum.* Addit hoc loco Ferrandus de suo; *exceptâ Ecclesiâ Romanâ:* nihil enim exceperat Siricius. Disertè. Sciebat videlicet Ferrandus non id esse diuini iuris, sed ecclesiastici dumtaxàt; tametsi Romanæ Ecclesiæ reseruatum, vt quis ab vno tantùm Episcopo Episcopus consecretur. Nunc certè dispensat passim Romanus Pontifex, vt cùm propter bellicos tumultus, vel impensas nimias, aut graues alias causas, accersiri vix possunt ad ordinationem tres Episcopi, sufficiat vnus; cui adstent Abbates duo, habentes ius mithræ & anuli, vt nunc plerique.

3. XI. CONCILIO SEPTIMVNICENSI] Ità vbique codices, Trecensis, & Corbeiensis: quamuìs Victor in Notitiâ Byzacenâ *Paschasium Septimunicensem*, & Antoninus in Itinerario *Septimuniciam* notet. Refert autem Ferrandus diuersis locis è Septimunicensi Concilio sex canones, præter quos de eâ Synodo nihil hactenùs comperimus. Et feliciter ex hoc Ferrandi capitulo XI. Petrus Pithoeus Gratiani locum deprauatum restituit, quem in prolegomenis ex illo retulimus: in quo legitur, *in septimo Nicæno Concilio, & in Gangrensi;* cùm sit legendum, *in Septimunicensi Concilio, & in Macrianensi.*

CONCILIO CARTHAGINENSI IN BASILICA, tit. V.] Hoc ipſum eſt Concilium, quod aliis locis appellat Ferrandus *Carthaginenſe ſub Antiſtite Genethlio*: de quo nos infrà pluribus, quódque eſt Carthaginenſe, vulgò dictum ſecundum: & *Concilium Africæ ſecundum* in Synodo Toletanâ XII. cap. IV. vbi hic ipſe eius titulus v. citatur, & deſcribitur. Dixit autem Ferrandus *baſilicam*, abſque adiuncto; eò primariam ſignificans, & Epiſcopi ſedem: nam & eam nuncupauit Victor lib 1. de perſec. Afric. *baſilicam maiorem; vbi* (inquit) *corpora ſanctarum Martyrum Perpetuæ, atque Felicitatis ſepulta ſunt.* Vnde eſt quòd in Actis, hoc Concilium celebratum notatur, *in baſilicâ Perpetuâ Reſtitutâ*: Perpetuæ cognomine, ab illuſtri Tuburbitanâ martyre Perpetuâ (cuius tum ibi ſacræ reliquiæ aſſeruarentur) haud dubiè deriuato. In cæteris, quæ extant, Carthaginienſibus Conciliis, *Reſtituta* dumtaxat appellatur: vtì & apud Auguſtinum, cuius aliquot prodierunt ſermones in eâdem habiti. Nec verò aliud à ſecundo iſto Concilium Carthaginienſe, celebratum leges *in baſilicâ Reſtitutâ*; ſed tantùm *in ſecretario baſilicæ Reſtitutæ*; qui locus, etſi proximus, tamen extra baſilicam erat: vt vel hinc intelligas, ἰδίως appellatum à Ferrando *Carthaginenſe in baſilicâ*. Reſtitutam porrò opinor dictam, non à Reſtitutâ Africanâ Virgine & Martyre, quæ Neapoli colitur XVI. Kalendas Iunij; neque à S. Reſtituto Carthaginienſi Epiſcopo, cuius in feſto die (nono Decembris) habitum fuiſſe à S. Auguſtino ſermonem notauit Poſſidius in Indiculo: ſed quòd edicto Imperatoris erepta Donatiſtis, Catholicis reſtituta eſſet. Nimirum Donatiſtæ (vt ait Auguſtinus lib. II. contrà litteras Petiliani, cap. XCVII.) *iubente inimico Chriſti*, hoc eſt Iuliano Imperatore apoſtatâ, Catholicorum baſilicas acceperant: haud dubium quin præcipuè primarias, & cathedrales, quibus adiacerent antiqua epiſcopiâ; vt vel ex eo Donatiſtarum pſeudoepiſcopi, præ Catholicis legitimos ſe Apoſtolorum ſucceſſores gloriarentur. At quintodecimo pòſt anno, æręDionyſianę CCCLXXVII. Gratiano Auguſto IV. & Merobaude Conſulibus, XVI. Kalendas Nouembris, edicto Gratiani Imperatoris ad Flauianum Vicarium Africę, coerciti ſunt à nefariis ſuperſtitionibus Donatiſtę; *eccleſiis* (ait) *quas contrà fidem retinent, reſtitutis Catholicæ. C. Theod. l.2. Ne ſanctum*

3. XIII.

Baptisma iteretur. Placuit Orthodoxis regiæ Constitutionis tenor. Quare, vt extaret beneficij memoria, receptæ in nonnullis, ac fortasse in singulis ciuitatibus primariæ basilicæ, *Restitutæ* cognominatæ sunt. Ex vnâ Vzalensi cognosce cæteras. Euodius lib. I. de miraculis S. Stephani, cap. VII. (habetur inter opera S. Augustini, tomo X.) *maximè*, inquit, *quòd in ecclesiâ hoc agebatur, quæ primitus à Donatistarum diuisione vsurpata, posteà vsque in hodiernum vnitati Catholicæ est restituta. Vnde etiam vocabulum sumpsit, & ecclesia Restituta appellari meruit.*

4. XXI. CONCILIO ANTIOCHENO, tit. XVI.] Ità codex Corbeiensis, cùm antea perperàm legeretur, *Concilio Niceno, tit. XV.* Antiochenorum canonum numeri omnes à Ferrando adnotati, cum Dionysianis planè conueniunt.

4. XXIII. CONCILIO MACRIANENSI] In Collatione I. Carthaginensi cum Donatistis, num. CXXXIII. *Siluanus Episcopus plebis Macrianensis.* Num. CLXXVI. *Pomponius Episcopus Macrianensis.* Num. CCXV. *Felix Episcopus Macrianensis.* Μαχρὺες populi Africæ strictè sumptæ, Ptolemæo lib. IV. cap. III. in tabulâ secunda Africæ. Victor in Notitia Byzacenâ, *Honoratus Macrianensis.* Idem in Mauritaniâ Sitifensi, *Restitutus Macrianensis.* Vtrouis loco habitum sit Concilium Macrianense, mihi quidem incertum est.

4. XXIV. CARTHAGINENSE SVB SANCTO GRATO, tit. III.] Hoc est primum Carthaginense vulgò dictum, quod anno Christi CCCXLVIII. vel proximè sequenti celebratum creditur. Porrò iste canon III. extenditur in vulgatis huius Concilij editionibus in III. & IV. cùm de extraneis mulieribus in vtroque agatur: ex quo etiam fit, vt sequentes qui à Ferrando citantur huius Concilij canones, vulgatis numeris vnitate sint minores; quartus scilicet Ferrandi respondeat quinto vulgato, quintus sexto, sextus septimo, & ità reliqui. Vnde apparet, vsum esse Ferrandum exemplari, in quo hæc Synodus non XIV. (vt in vulgatis) sed XIII. dumtaxat titulis distingueretur.

5. XXVI. CONCILIO IVNCENSI] Ità codex Corbeiensis, pro quo in Trecensi legebatur *Iucensi.* Victor in prouinciâ Byzacenâ meminit *Tertulli Iuncensis*; in Mauritaniâ Cæsariensi, *Glorini Iuncensis.* Vtrius ciuitatis laudetur à Ferrando Synodus,

non liquet: cuius preter hunc canonem, & alterum qui in Concilio Carthaginensi nondum edito, ad Hilderici Vandali exordia spectante allegari dicitur, nullas planè reliquias nouimus.

CONCILIO HIPPONIREGIENSI] Sic habet codex Corbeiensis, & scitè: noti sunt enim Africę duo Hippones Plinio lib vi. cap. xxxiv. *Hippo regius* in Numidia, Plinio lib. v. cap. iii. *Hippo diarrhytus*, eidem, lib. ix cap. viii. qui & *Zaritus* in Zeugitanâ, siue Africâ propriè dictâ, alio Plinij loco, lib. v. cap. iv. qui sic restituendus; Tria promontoria *duos efficiunt sinus: Hipponensem, proximum ab oppido quod Hipponem Zaritum vocant, Diarrhyton à Græcis dictum, propter aquarum irrigua.* *Za* pro *Dia* sępe à Græcis atque ab Attis vsurpatum, iam adnotarunt viri docti, & de hoc Hippone probat nominatim Concilium Carthaginense sub S. Cypriano, de rebaptizandis hæreticis, vbi *Petrus ab Hippone Zarito.* Probat & *Florentinus Episcopus Ecclesiæ catholicæ Hippensis Zaritorensis*, Collatione I. Carthaginensi cum Donatistis, num. cxxxix. *Hippo* quoque *Zarrhutus* in Itinerario Antonini: & apud Victorem in Notitiâ prouinciæ proconsularis, *Marianus Hippozaritensis.* Placeret Hippo *dilutus*, si Græcam vocem Diarrhyton Plinius Latinè interpretaretur: sed habebat vir politus appellationem indicare quæ in vsu vulgi Africani, & in ore omnium esset. Minùs autem velim cum Salmasio (*in Solini Polyhistore*) ineptam Plinio tautologiam appingere; vt scripserit *quod Hipponem diarrutum vocant, διάῤῥυτον Græcis dictum.* Vtrumque Hipponem (Ptolemæo lib. iv. Geographiæ, cap. iii. βασιλικόν, & διαῤῥυτον) testatur Solinus cap. xxvii. Polyhistoris, à Græcis equitibus conditum, & *alterum de interfluente freto diarrhyton nuncupatum:* de quo sic Plinius iunior, lib. ix. epistolâ ad Caninium; *Est in Africa Hipponensis colonia, mari proxima. Adiacet ei nauigabile stagnum, ex quo in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna (prout æstus aut repressit aut impulit) nunc infertur mari, nunc redditur stagno.* Quòd verò Strabo lib. xvii. Hipponem vtrumque *regium* appellat, ἐπιδεικτικῶς loquitur vt ciuitatis vtriusque splendorem notet: alioqui constat, alteri tantùm è duobus, *regij* cognomen inditum, qui & Augustino Episcopo, & citato Concilio, ad annum Christi cccxciii.

5. XXXIV.

celebrato illustris. Ex eo Concilio allegat Ferrandus variis locis canones septem, quorum ne vnus quidem adnotatur in Breuiario Concilij Hipponensis, inter acta Concilij III. Carthaginensis edito (quod rectè Epigonius Episcopus, Collectionis Africanæ cap. XXXIV. *decerptum dixit de Concilio Hipponensi;* ne totius Concilij summam in eo contineri putes): inueniuntur tamen plerique inter priores XXXIII. canones Collectionis Africanæ; nempe quinque de septem, ad Ferrandi capita XXXV. XLVII. LIV. XCV. & CXCVIII. At reliqua duo solus nobis Ferrandus seruauit, ad capita XXXVI. & XXXVIII. suæ Breuiationis. Quare, Synodi huius certi & ordinati canones hactenùs desiderantur. Et notandum obiter, in vulgato Breuiario Hipponensi censeri titulos XLI. & in his primum omnium de Paschate inquirendo: cùm tamen citato illo capite XXXIV. Collectionis Africanæ dicat Epigonius, videri sibi addendum Breuiario Hipponensi, *vt dies sanctæ Paschæ tempore Concilij innotescat.* Emendandum est igitur vulgatum illud Breuiarium Hipponense, ex codicibus Pithoei, Fabri, & Corbeiensi: in quibus (vt me admonuit Sirmondus noster) omisso primo illo de die Paschæ, tantùm XL. tituli enumerantur, ordine quoque nonnihil diuerso ab editis.

6. XLIV. CONCILIO MARAZANENSI] Interdùm habet codex Corbeiensis *Maradianensi*, notâ mutatione syllabę *za* in *dia*, de quâ suprà. Subinde leges variis locis, *Marazensi*, *Marazianensi*, *Mazaranensi*. Victor in prouinciâ Byzacenâ, *Vindicianus Marazianensis.* In Concilio Carthaginensi sub S. Cypriano, de rebaptizandis hæreticis, & apud Augustinum lib. VII. de Baptismo contra Donatistas, cap. X. *Felix à Marazanâ.* In Collatione I. cum Donatistis, numero CXXXIII. *Eunomius Episcopus plebis Marazanensis.* In Antonini Itinerario, locis duobus; *Ab Aquis regiis Marazania* (quæ alio loco *Mazara*) *M. P. XV.* aliàs *XX. Marazania Sufibus M. P. XXVIII.*

7. XLVIII. CONCILIO CARTHAGINENSI tit. XL.] Ità codex Corbeiensis, vbi Trec. *tit. XI.* Sed legendum *tit. XL.* ostendunt antecedentes, & sequentes numeri Concilij III. Carthaginensis, vnde sumptus est iste canon. Quę etiam ratio me mouit, vt cap. CXXXII. præferrem titulum XXXIII. in Corbeiensi codice adnotatum, titulo XXXIV. Trecensis exemplaris. Et cap.

LXXXI. legerem potiùs *tit. XXXIV.* ex Corbeiensi, quàm *tit. VI.* ex Trecensi. Et cap. XL. præoptarem titulum XX. Corbeiensem, titulo Trecensi XXX. Vt iam cætera exempla non commemorem.

VT EPISCOPI IVDICIO] Hunc canonem de tempore pœnitentiæ Donatistis conuersis præscribendo ab Episcopis, citat Ferrandus ex titulo II. cuiusdam Concilij Carthaginiensis. Habetur autem in eá collectione canonum XXVII. quæ in recentioribus editionibus Conciliorum refertur sub nomine Concilij Mileuitani secundi, Theodosio VII. & Palladio Coss. hoc est anno Christi CDXVI. celebrati. Quo quidem anno certum est habitam Synodum Mileuitanam prouinciç Numidiæ, in causâ Pelagij & Cælestij, gratiæ necessitatem impugnantiũ. Sed qui eius nomine vulgati sunt canones XXVII. prorsus alieni sunt, ac supposititij. Nam ex illis tres, nempe XIII, XIV. & XV. pertinent ad primum Mileuitanum, quod Arcadio & Honorio Augustis V. Coss. (hoc est anno Christi CDII.) celebratum est. Nouem ad Concilium Carthaginense anni CDVII. videlicèt IX. X. XI. XII. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. Quatuordecim ad Carthaginense anni CDXVIII. nimirum octo priores, cum XXI. XXII. XXIV. XXV. XXVI. & XXVII. Solus XXIII. abest à Collectione Africanâ: pertinere tamen videtur ad Carthaginense anni CDXVIII. quia eius aliquot canones proximè ante & post se collocatos habet: nisi mauis eum referre ad Carthaginense anni CDI. mense Iunio celebrati, cuius initio (quod incidit in Collectionis Africanæ numeros LVI. & LVII.) multa de recipiendis Donatistis disputata sunt. De solis octo prioribus canonibus dubitari potest, an Synodi secundæ Mileuitanæ proprij sint, quia Pelagianam hæresim petunt, quam in eâ Synodo (vrgente præsertim Augustino) acriter impugnatam fuisse constat. Nihilominùs hos quoque canones adscribendos potiùs censemus, vel Carthaginensi Concilio anni CDXI. in quo primùm conditi sunt: vel Carthaginensi anni CDXVI. (quinquennio scilicet posterioris, vt dicitur in huius Synodicâ ad Innocentium Papam), in quo recogniti, & recensiti sunt: vel denique Carthaginensi anni CDXVIII. in quo, postquàm ab Apostolicâ Sede approbati essent, plenâ cum potestate promulgati sunt.

7. L.

Reſcripſerat enim Innocentius, menſe Ianuario anni CDXVII. Honorio & Conſtantio Coſſ. notati, ſe nihil addere ad Concilij Carthaginenſis placita, ſuper nouâ hæreſi Pelagij & Cæleſtij; *cùm* (ait) *nihil prætermiſſum à vobis, nihil conſtet eſſe ſuppreſſum, quo illi refutati, & penitùs agnoſcantur eſſe conuicti*. Iam, qui canones ex his XXVII. Mileuitano ſecundo malè adſcriptis, quibus in Collectione Africanâ relatis reſpondeant, ſequens tabula oſtendet.

Canones

Mileuitani II.	*Collect. Afric.*	*Mileuitani II.*	*Collect. Afric.*	*Mileuitani II.*	*Collect. Afric.*
1.	109.	10.	106.	19.	104.
2.	110.	11.	106.	20.	106.
3.	111.	12.	103.	21.	120.
4.	112.	13.	86.	22.	125.
5.	113.	14.	89.	23.	.
6.	114.	15.	90.	24.	121.
7.	115.	16.	97.	25.	123. 124.
8.	116.	17.	102.	26.	126.
9.	95.	18.	105.	27.	127.

7. LV. CONCILIO CARTHAGINENSI SVB SANCTO GENETHLIO] Hoc ipſum eſſe Concilium quod in vulgatis editionibus *ſecundum Carthaginenſe* inſcribitur: & *Concilium Africæ ſecundum* appellatur & *Carthaginenſe in baſilicâ*, iam ſuprà monui ad cap. Ferrandi XIII. De cuius Concilij epochâ nemo diſertiùs Nicolao Fabro in præfatione ad Hilarij fragmenta, & Cardinali Perronio cap. XLVIII. eius operis, quod inſcripſit, *Replique à la reſponce du Roy de la Grand Bretagne*: qui ſummâ ratione eam Synodum in annum referũt Chriſti CCCXC. notatum Valentiniano Auguſto IV. & Neoterio Coſſ. contrà quàm viſum eſt Baronio, & recentioris Conciliorum collectionis auctoribus. Nata eſt autem difficultas de tempore celebrati

lebrati huius Concilij ex eo, quòd cùm plerique eius canones inscripti Genethlio, Epigonio, Numidio, & Felici Episcopis, repetiti essent ac renouati in Synodo Carthaginensi anni Christi CDXIX. (quam Collectionem Africanam vocant) sub nominibus Episcoporum, qui ei intererant, Aurelij, Fortunati, Valentini, & Alypij: iidem canones ab incautis collectoribus, posteà in priorem illam & totis XXIX. annis antiquiorem Synodum translati sunt, cum nominibus Episcoporum Synodi recentioris: quæ confusio rerum etiam apud Isidorum, & in plurimis ac perantiquis exemplaribus reperitur. Sed & peccatum esse in numero, partitione, atque ordine canonum Concilij II. Carthaginiensis, inde colligere licet, quòd & in Collectione Africanâ paulò aliter diuiduntur, & apud Ferrandum aliis vt plurimùm notis numeralibus designantur. Taceo menda in contextu non pauca: & illud præsertim decimi canonis vulgati, vbi pro verbis illis; *& à sex Presbyteris, & à tribus Diaconibus*; restituendum ex Ferrando, Dionysio, Cresconio, immò & ex huius secundi Concilij Carthaginiensis peruetusto codice Remensi; *& à sex Presbyter, & à tribus Diaconus.* Tot igitur inflictis huic tanti momenti Concilio vulneribus, ex plurimis eius canonum exemplaribus inter se collatis medicinam fecimus: & primæuo, vt confidimus, nitori restitutum Notationibus nostris subiecimus, adscriptis à margine, Collectionis Africanæ, & Ferrandi propriis canonum numeris.

EX ALIA PROVINCIA NON ADVOCENT EPISCOPOS] Hoc refert Ferrandus ex canone suo quarto Sardicensi, qui est in vulgatis tertius: & ita emendatiores eius Concilij codices Græci ac Latini: ex quibus restituendus est hic locus, in codice veteri canonum Ecclesiæ Romanæ, & in Dionysio Iustelli; vbi contrario sensu legitur; *vnus de duobus, ex aliâ prouinciâ aduocet Episcopum cognitorem.* Legendum, *ne vnus de duobus*, vel, *neuter eorum.* (s. LVII.)

CONCILIO THENITANO] *Thenæ* Plinio lib. v. cap. IV. Θέαιναι Ptolemæo tabulâ II. Africæ. Θένα Straboni lib. XVII. ciuitas Byzacij maritima, ad Syrtim minorem: cuius & meminit Antoninus in Itinerario. In Notitiâ Byzacenâ Victoris, *Paschasius Thenitanus.* In Concilio Carthaginensi sub S. Cypriano, de rebaptizandis hæreticis, & apud Augusti- (s. LXI.)

num lib. VI. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. XXXVI. *Euchratius à Thenis.*

8. LXV. LOCVM AVDIENTIÆ DELIGANT] Quæ hìc, & cap. LXVIII. citat Ferrandus ex Concilio Zellenſi, non repe-riuntur in vulgatis eius actis: ſed neque in decretis Siricij Papæ, cuius epiſtolæ duæ in eâ Synodo recitatæ leguntur. Ex quo intelligitur, huius Concilii acta integra nondum ad nos perueniſſe.

9. LXXVI. CONCILIO THVSDRITANO] Ità in codice Corbeienſi: vbi malè Trecenſis *Tuſduritano.* Tuſdritani oppidi meminit Plinius lib. V. cap. IV. Θύσδρος Ptolemæo lib. IV. cap. III. in tabulâ II. Africæ. *Tiſdra* Aulo Hircio de bello Africo *Tuſdrum* in Antonini Itinerario. In Concilio Carthagine ſi I. *Gaudentius Tuſdritanus.* In Collatione I. Carth. cum Donatiſtis, num. CCVI. *Honoratus Epiſcopus Tuſdritenſis.* Cæterum Thuſdritanæ Synodi meminerunt Vincentius & Fortunatianus, Legati prouinciæ Proconſularis, in actis Concilii Zellenſis, ſeu Tiellenſis, vulgò Telenſis: in quâ paulò ante celebratâ, epiſtolæ Siricii Papæ recitatæ fuiſſe memorantur.

10. LXXVIII. PRIORIBVS SVIS SE AVDEAT ANTEPONERE] In hunc canonem Mileuitanum, qui eſt Collectionis Africanæ LXXXVI. videnda quæ à viro docto Chriſtophoro Iuſtello adnotata ſunt. Quibus addo, fuiſſe Epiſcopis Africanis peculiarem rationem ſeruandi hunc inter ſe ordinem: ius nimirum ad primatum, qui (vt alibi iam monui) antiquiſſimo ſecundùm conſecrationem, prouinciæ cuiuſque Epiſcopo deferebatur. Ad huius autem ordinis momentum inſignis eſt locus in Vitâ S. Fulgentii, cap. XXIX. de Quoduultdeo Epiſcopo, qui in Concilio Vincenſi, ſeu Viuecenſi *priorem ſe* Fulgentii *exiſtere confirmabat:* cui tunc Fulgentius Epiſcoporum iudicio antepoſitus, poſteà ſingulari modeſtiæ ſpecimine ceſſit in Concilio Sufetano; obtinuitque à Synodi Patribus, *vt nomine ſuo poſteriùs recitato, lætus deinceps viueret, Conſacerdotis animo reconciliato.* Commendatur porrò Epiſcoporum ordo in citato canone cum hac exc[e]ptione; *Saluo etiam iure primatus Numidiæ & Mauritaniæ.* Nam Primatibus Numidiæ & Mauritaniæ Cæſarienſis, in Concilio vniuerſali Africæ, primus locus dabatur poſt Carthaginenſem, quamuìs eſſent Primati-

bus, Byzaceno, Tripolitano, & Sitifensi quoad ordinationem posteriores: nempe *ob dignitatem & vetustatem prouinciarum;* vt obseruauit vir doctus Petrus de Marcá, in Dissertatione de Primatibus num. LXXIX. Cùm enim tempore S. Cypriani, in Concilio Carth. de rebaptizandis hæreticis, prouinciæ ecclesiasticæ dumtaxat memorentur, *Africana*, (hoc est Zeugitana) *Numidia*, & *Mauritania;* apparet, sequentibus temporibus decisas fuisse & quasi enatas ex his tribus tres reliquas, Byzacenam, Tripolitanam, ac Sitifensem.

PRIMATEM PROPRIVM MAVRITANIA SITIFENSIS HABEAT] Mauritaniam Sitifensem cum Tingitanâ confudit Pamelius, in epistolam XLV. S. Cypriani, num. 8. Non ità Rufus Festus in Breuiario. *Per omnem Africam*, inquit, *sex prouinciæ factæ. Ipsa vbi Carthago est, Proconsularis: Numidia Consularis: Byzacium Consularis: Tripolis, & duæ Mauritaniæ, hoc est, Sitifensis, & Cæsariensis, Præsidiales.* Tum agens de prouinciis Hispaniæ; *Trans freta etiam, in solo terræ Africanæ, prouincia Hispaniæ est quæ Tingitana Mauritania cognominatur.* Ergò Mauritania triplex, Tingitana, Cæsariensis, & Sitifensis: sic dictæ à Tingi, Cæsareâ, & Sitifi, primariis ciuitatibus. Tingitana ad occasum extensa, Oceanum spectat. Cæsariensis Mediterraneo imminet, Herculeo freto proprior. Sitifensis orientalior, etiam ad mare Mediterraneum, portum nobilem habet Igilgitanum, de quo Ammianus lib. XXIX. Victor lib. III. de persecutione Africanâ, factum narrat Arriani Episcopi Cyrillæ, *in Tipasensi Mauritaniæ maioris ciuitate*: hoc est, Cæsariensis: erat enim & Tipasensis ciuitas in Numidiâ, cuius Episcopum Rusticum memorat Victor idem in Notitiâ Africæ; quemadmodùm & in Mauritaniâ Cæsariensi Reparatum Tipasitanum.

10. LXXXII.

Igitur cùm olim subiecti fuissent Primati Numidiæ, Episcopi Mauritaniæ Sitifensis, prouisum est vt Primatem proprium haberent. At quandonam id factum, difficile est definire. Ante annum Christi CDII. id sancitum fuisse vel inde apparet, quòd eo anno in Concilio Mileuitano distinctè appellatur *Nicetius Episcopus primæ sedis Mauritaniæ Sitifensis*, seorsim à *Xantippo Episcopo primæ sedis Numidiæ.* Sed & ante Concilium Carthaginense III. quod anno Christi CCCXCVII.

celebratum est, iam id constitutum fuisse, ex eo colligitur, quòd ei Synodo interfuisse constet Honoratum & Vrbanum, prouinciæ Sitifensis Legatos: cùm solis prouinciis quæ primas sedes haberent, liceret Legatos mittere ad Concilium vniuersale; vt statuitur canone II. dicti Concilij III. Carthaginensis, vel potiùs canone VI. Breuiarij Hipponensis, vnde in titulum XVIII. Collectionis Africanæ deriuatus est. Quo ex canone rectè colligit Petrus de Marcâ, libro de primatibus, num. xcii. à mittendis Legatis solam exclusam esse Mauritaniam Tingitanam: quæ licet prouinciæ ciuilis dignitate frueretur, tamen proprium Primatem non habebat, atque adeò quoad politiam ecclesiasticam non Hispaniis, sed Mauritaniæ Cæsariensi accensebatur: facili sanè extensione appellationis huius ad Tingitanam, cuius metropolis Tingis (Ptolemæo teste lib. iv. cap. i.) etiam Cæsarea dicebatur. Ex quo notandum est discrimen Mauritaniæ Cæsariensis ciuilis ab ecclesiasticâ, in eo positum, quòd illa Tingitanam excluderet quam ista complectebatur. Quod enim non deceat, prouincias ecclesiasticas semper ad ciuilium exemplar constitui, & ad omnes earum mutationes commutari, declarauit Cresconius cap. cc. Concordiæ, ex decretis Innocentij Papæ I. titulo XLVI. qui est eius epistolæ XVIII. titulus secundus.

Addit P. de Marcâ, num. xc. diuisionem hanc Sitifensium à Numidis, nondum factam fuisse saltem apud Donatistas anno Christi cccxciv. quo anno datam putat epistolam synodicam Donatistarum apud Cauernas Susis, *Sanctissimis fratribus atque collegis, per vniuersam Africam, hoc est, prouinciam Proconsularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam, & Tripolim constitutis:* Sic enim inscribitur, referente S. Augustino, Concione secundâ in Psalmum XXXVI. Verùm neque est certa consequentia à Donatistis Episcopis ad catholicos (cùm tantùm catholicorum legatur sanctio de Primate Sitifensibus concedendo, quam illi studio potiùs neglexisse videri possint): neque rectè defigitur conuentus ille Donatistarum in anno Christi cccxciv. quamuis Bagaiensem eo anno celebratum præcesserit, vt scitè admonuit Cardinalis Baronius, eodem anno, numero XXXIV.

Veram ergo huius decreti epocham inuestigandam cen-

ſeo ex eius innouatione, quæ habetur in collectione Africanâ, tit. XVII. qui titulus in Dionyſio Iuſtelli corruptus ac vitiosè interpunctus, ſic reſtitui debet. *Placuit vt Mauritania Sitifenſis, vt poſtulauit Primatem prouinciæ Numidiæ ex cuius cœtu ſeparatur, ſuum habeat Primatem: quem conſentientibus omnibus Primatibus prouinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis, propter longinquitatem habere permiſſa eſt.* Cuius ex canonis contextu duo colliguntur: primùm, permiſſum eſſe Mauritaniæ Sitifenſi Primatem proprium in aliquo totius Africæ vniuerſali Concilio: alterum, diù obſtitiſſe Sitifenſium priuilegio Epiſcopos Numidiæ, quando illud inculcari, confirmaríque oportuit in Concilio collectionis Africanæ, quæ ad annum pertinet Chriſti CDXIX. At ex ſitu & collocatione canonis huius XVII. in collectione Africanâ, conijcio conceſſum eſſe primò Sitifenſibus Primatem anno Chriſti CCCXCIII. in Concilio Hipponenſi: ac deinde iteratam ſanctionem in Concilio aliquo Catthaginienſi, cuius ex titulo VI. eam protulit Ferrandus.

Hoc fatebitur quiſquis Africanæ (quam vocant) collectionis methodum cognouerit. Nam in eâ, poſtquàm à Patribus de Nicæni Concilij legitimis canonibus copiosè diſputatum eſt, proximè ante primum titulum ſic habetur; *Deinde quæ in Conciliis Africanis promulgata ſunt, actis præſentibus inſerta noſcuntur.* Hinc, vbi primo titulo decretum eſt de ſeruandis Nicænæ Synodi ſtatutis, deſcribuntur penè de verbo canones Concilij Carthaginienſis ſecundi, ſub Epiſcopo Genethlio ad annum Chriſti CCCXC. celebrati, vſque ad titulum XIV. coniectis dumtaxàt in quintum titulum, decimo, ac decimotertio canonibus primi Concilij Carthaginienſis, habiti ſub S. Grato. Inde vſque ad titulum XXXIV. colliguntur canones Concilij Hipponiregienſis: quod & ex Breuiario Hipponienſi, Concilij tertij Carthaginienſis actis inſerto, & ex eius aliquot citatis à Ferrando titulis manifeſtum eſt. Exceptis tantùm titulis XXV. & XXXI. qui proprium aliquid continent: & titulo XXVIII. de appellationibus, eò tranſlato ex capite CXXV. eiuſdem Collectionis, ad

Concilium Carthaginiense anni Christi CDXVIII pertinente. Cùm igitur tituli Collectionis XIV. XV. XVI. XVIII. XIX. & sequentes plerique vsque ad XXXIV. ex Hipponensi Concilio desumpti sint; considerata methodo collectoris, qui sequentium Conciliorum canones non promiscuè confundit, sed ordinatè sub propriis Synodis recenset singulos; prudenter concluditur, eius quoque titulum XVII. ad Hipponensem Synodum pertinere.

Neque obstat quòd in Breuiario Hipponensi ne verbum quidem de primatu Sitifensi ingeritur: quódque eius non meminit Ferrandus ex Hipponiensi Concilio, sed ex cuiusdam Carthaginiensis Synodi titulo sexto. Nam neque adnotantur in Hipponiensi Breuiario (vt iam supra monui) septem illi canones, quos citat Ferrandus ex Concilio Hipponiregiensi: & constat referri à Ferrando canones plerosque omnes Breuiarij Hipponiensis, tanquam ex Carthaginiensi aliquo Concilio; in quo videlicet illi recogniti, confirmatíque sint. Quare, sic existimo, canonem de proprio Primate Mauritaniæ Sitifensis, conditum esse anno Christi CCCXCIII. in Concilio vniuersali Hipponiregiensi: ex eo translatum esse anno Christi CDXIX. in titulum XVII. Africanæ Collectionis: porrò à Ferrando relatum esse ex titulo VI. cuiusdam Carthaginiensis Concilij, in quod ex Hipponiensi fuerat deriuatum: & verisimiliter Carthaginiensis tertij vulgò nuncupati.

10. LXXXV. CONCILIO NOVACÆSARIENSI] Ità constanter codex Corbeiensis, vbi Trecensis *Nouæcæsariensi*. Huius Concilij titulus IX. apud Ferrandum, vulgatos IX. & X. complectitur: quare, tredecim tantùm eius canones numerat, cùm alij plerique quatuordecim, nonnulli etiàm quindecim distinguant.

11. LXXXVIII CONVIVIO SECVNDARVM NVPTIARVM] Πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι. Sic habet canon VII. Neocæsariensis, quem Cresconius ità refert, Breuiarij capite CXVII. *Quòd non oporteat in bigami nuptiis orare Presbyterum*. Vbi adnotaui, pro *orare* videri legendum *conuiuari*: mendi enim suspicionem ingerebat, quòd integer ipse hic canon, neque in Græco textu, neque in antiquis Latinis versionibus quidquam habet de oratione Presbyteri, sed tantùm de prandio seu con-

uiuio; quod Presbytero interdici videtur. Quià tamen titulus canonis huius, in Dionysianâ & aliis editionibus hoc ipsum habet quod Cresconius; videri possunt hi auctores, hoc titulo canoni isti satìs obscuro faculam præferre voluisse. Γάμοι siquidem, & *nuptiæ*, ethnicis iuxtà & Christianis, non solùm pro matrimonio ipso vsurpantur, sed & frequenter pro nuptiali epulo: & certè apud Matthæum, Lucam, & Ioannem, *facere nuptias*, & *inuitare* seu *vocare ad nuptias*, non nisi de conuiuio accipi debent. Ergo *in nuptiis orare*, est sollemnes preces adhibere: sollemnes inquam, quia certo ritu à Presbytero supparum, stolámque induto recitari solitæ; quædam ad Missam, in æde sacrâ; alteræ in domo coniugum, vel ante prandium, vel a prandio. Harum posteriorum vestigia supersunt, benedictio thalami, seu thori nuptialis: & (in multis Ecclesiis) panis ac vini benedictio, quæ Presbyter sponso primùm, deinde sponsæ porrigebat: aliásque addebat benedictiones sponsi & sponsæ, suprà eas quæ in templo seu sacello iam præmissæ fuerant. Quare, spectatâ mente Concilii, quod isto canone non damnat secundas nuptias, sed earum tantùm sollemnitatem prohibet; videtur Cresconius cum Dionysio significare voluisse, nec digamorum eo prohiberi honestum conuiuium: nec vetari quò minùs Presbyter ei intersit tanquàm priuatus, putà vt consanguineus, aut affinis, aut amicus; sed ne intersit vt Ecclesiæ minister; eas nimirum precationes enuncians, quas primarum nuptiarum, non etiàm secundarum sollemnitati Ecclesia addixit. At posteriori æuo enati praui mores, seueriorem legem pepetêre, quæ sic effertur in Concilio Venetico, canone XI. (& repetitur in Agathensi, can. XXXIX.) *Presbyteri, Diaconi, atque subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia non est, etiàm alienarum nuptiarum euitent conuiuia: nec iis cœtibus admisceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choris & saltibus efferuntur: ne auditus, & obtutus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum atque verborum contagio polluatur.* Ità non modò Presbyteris, sed & clericis omnibus ad cælibatum obstrictis, etiàm primarum nuptiarum conuiuia interdicta sunt; si quid in eis parum pudicè honestèque actitari contingat. Vide Laodicensem canonem LIV.

Fruſtrà autem nonnulli huic canoni Neocæſarienſi patrocinantur, dicentes in eo non agi niſi de digamis, qui viuente altero coniuge legitimo, alterum contrà ius fáſque ducant. Quod enim ibi dicitur (*quià cùm pœnitentiâ bigamus egeat, quis erit Presbyter, qui propter conuiuium talibus nuptiis poſsit præbere conſenſum?*) intelligendum eſt, non de pœnitentiâ ſacramentali, quæ certum peccatum ſupponat; ſed de opere aliquo ſatisfactorio, vtpote ieiunio, eleemoſynâ, vel oratione, quæ digamis quamuìs licitè contrahentibus imperabatur (vt apparet ex canone I Laodiceno, & ex canone VIII. Nicæno) propter ſecundarum nuptiarum legalem quandam maculam, ac præſumptam licentiam: ratione cuius illæ permitterentur dumtaxàt ab Eccleſiâ, non etiàm approbarentur. Quâ ex cauſâ nec eas â presbytero, Eccleſiæ miniſtrum agente approbari par eſſet per ſollemnes illas preces, quas in primis tantùm nuptiis adhiberi conueniret. Cæterùm ſecundæ nuptiæ, quamuìs licitæ, quàm malè audirent tum apud Chriſtianos veteres, tum etiàm apud ethnicos, diſces ex Hieronymo, in epiſtolâ ad Gerontiam: Tertulliano lib. de monogamiâ, & lib. I. ad vxorem; in quem hoc poſteriore loco videndus noſter Ludouicus de la Cerda, præſertim capite VII.

II. XCII. VT PRESBYTERI CIVITATIS] Huic canoni Concilium Sardicenſe librarij oſcitantia ſubnotauerat, cuius tamen in eo Concilio nullum veſtigium. Habetur quidem ſimile quid in canone Laodicenſi ſecundum Ferrandum LV. qui eſt vulgatus LVII. Legendum nihilominùs *Concilio Anquiritano*. Nam in eius titulo ſecundùm Ferrandum XIII. qui hìc adſcribitur, reperitur hic ipſe canon. Qui tamen & in textu Græco, & in Dionyſij verſione vulgatis, videtur aliquâ ſui parte mutilatus. Sed in vetuſto codice bonæ notæ ſic habet. *Chorepiſcopis non licere, Presbyteros aut Diaconos ordinare. Sed nec Preſbyteris ciuitatis, ſinè præcepto Epiſcopi, vel litteris, in vnaquâque parochiâ aliquid agere.* Priorem partem canonis huius Ancyrani XII. (qui eſt Ferrando XIII.) retulit Ferrandus cap. LXXIX. poſteriorem hoc cap. XCII.

II. XCIII. CONCILIO ANQVIRITANO, tit. XIIII.] Ità vbique Ferrandus, & ſic habent antiqui Latinorum codices non pauci. Puriùs hauriunt è Græco fonte, qui ab Ancyrâ Galatiæ, Ancy-

Ancyritas vel Ancyranos populos; Concilium porrò Ancyranum vel Ancyritanum dicunt. Perperam autem legebatur olim hoc loco; *Concilio Sardicensi, tit. XIII.* hunc enim canonem constat sumptum esse ex Ancyrano. Et nos titulum XIIII. restituimus ex codice Corbeiensi, qui respondet titulo XIII. Dionysiano; vt ex antecedentium ac sequentium huius Concilij canonum numeris à Ferrando adnotatis manifestum est. Cæterùm notatu digna est varietas scriptorum in his distinguendis canonibus: nam quartus Dionysianus in duos secatur ab Isidoro Mercatore, & Gentiano Herueto (ex Græco nimirum textu): vnde Gentianus canones numerat XXV. Idémque facturus esset Isidorus, nisi XXI. & XXII. Dionysij in vnum constans, rursùs cum Dionysio quatuor dumtaxat & viginti titulos distinguente concurreret. In codice Thuano peruetusto vidi etiam canones Ancyranos XXV. sed diuersâ ab aliis descriptione: nam tertium Dionysianum diuidit, ac diffundit in tertium & quartum suos: item quartum Dionysianum diuidit in suos quintum & sextum: sed posteà suo XVII. Dionysianos XV. & XVI. complectitur: ità XXIV. & vltimus Dionysianus, est eius XXV. Videtur autem Ferrandus (quantùm ex illius numeralibus notis deprehendere est) quartum Dionysianum diffudisse in duos, cum Græcis, Isidoro, & Gentiano. Nam exinde eius numeri Dionysianos vnitate anteuertunt. Atque ità XXV. huius Synodi canones distinxit; vtì & Codex Orientis, Photius, Balsamo, Harmenopulus, immò & Concilium Calchedonense; quod ab aliis iam obseruatum est.

CONCILIO LAODICENSI] Huius Concilij canones LIX. habet Dionysius, qui in Ferrandi codice redacti erant ad LVII. ità vt Dionysij XVII. & XVIII. in Ferrandi XVII. & similiter Dionysij XXXIII. & XXXIV. in Ferrandi XXXII. coalescant. In codice Thuano canones iidem reuocantur ad titulos LIV. 12. CV.

CVM MVLIERIBVS EXTRANEIS] In hoc canone III. Nicæno, quam textus primigenius συνείσακτον, Dionysius *mulierem subintroductam*, appellauit Ferrandus *mulierem extraneam*: quemadmodùm & Rufinus, lib. I. Hist. cap. VI. Quocumque porrò sensu alibi vsurpentur hæ voces, hoc certè loco, 14. CXXII.

ex mente Nicænorum Patrum quamcumque feminam designant, exceptâ matre, amitâ, vel aliâ quæ suspecta non sit. Non suspectam autem exprimit canon Nicænus ex Arabicis quartus, auiam, & anum prouectæ iam ætatis: quibus addit Concilium Arelatense II. can. 3. filiam, neptem (fratris nimirum, aut sororis filiam), & vxorem conuersam; quæ scilicet post mariti clericatum facta sit ei ex coniuge soror, sicut & ille ipsi ex marito frater. Carthaginense III. canone 17. addit nurum, quam clerici filius, etiàm ordinato iam parente duxerit. Suspectus est autem mihi canon idem, quâ parte in clericorum contubernium admittit, etiàm famulorum coniuges, immò & quascumque feminas, quæ antè quàm clero ipsi addicerentur, in earum domibus consueuissent: quâ licentiâ haud scio an excogitari quidquam potuit, vel ad clericorum famam, vel ad conscientiam conuulnerandam perniciosius. Et sanè, licèt Gratianus integrum hunc canonem referat *dist. 81. c. cum omnibus omnino*: & partem eius aliquam ex Nicæno & Hipponiensi Conciliis deriuatam constet: tamen de prædictis clausulis ne verbum quidem habent antiqui canonum collectores, Ferrandus, Dionysius, Cresconius. Sed neque libertatis huius vestigium vllum apparet in Constitutione Honorij Augusti ad Palladium præfectum prætorio, *Vt clerici cum extraneis feminis non habitent* (quæ est x. in Appendice Codicis Theodosiani): non in aliis quibuscumque argumenti eiusdem vel Conciliorum canonibus, vel Pontificum decretis. Vide Siricij decretum 12. Conc. Carthaginense I. can. 3. Andegauense can. 4. Agathense can 10. Aruernense can. 16. Turonense II. can. 10. Matisconense I. can. 1. Lugdunense III. can. 1. Suessionense can. 8. Quæ omnia, præter matrem, sororem, filiam, auiam, vxorem conuersam, amitam seu materteram, & neptem (hoc est, fratris aut sororis filiam) nullam planè feminam cum clericis habitare permittunt. Scio clausulas illas in antiquis etiam codicibus reperiri. Propterea, expugendas pronunciare non ausim. Non possum tamen suspectas non habere, ex causis quas protuli Non defuere fraudes etiam antiquæ, & antiqui abusus. Et sicut ex Ferrandi titulorum numeris colligimus, auctorem illum perantiquum, qui vulgatos canones quinquaginta sub tertij Carthaginensis

Concilii nomine primus edidit, ab eorum vero numero atque ordine deflexisse, & cap. XLVII. in Bonifacii Papæ nomine à verâ huius Concilii epochâ longè aberrasse: ita & has tam periculosæ licentiæ clausulas, de suo prompsisse potuit. An fecerit, non affirmo: & meam quoque suspicionem hanc (nedum sensus, sententiásque omnes meas) Catholicæ Ecclesiæ, ciúsque capitis Romani Pontificis censuræ subiicio. Cæterùm quòd ab aliquot sęculis vtũtur Presbyteri Gręci suis vxoribus, permisit id quidem Ecclesia Romana, sed nec vnquàm approbauit nec vllo tẽpore approbatura est (vt benè admonet Turrianus noster in hunc Nicænum canonem): quin immò huius clericorũ disciplinæ antiqua statuta restrinxit potiùs quàm relaxauit. Nam cùm olim ex Conc. Ancyrani cap. IX. aliis X. liceret Diaconis vxores ducere, si in ipsâ suâ ordinatione protestati essent Episcopo, se ab illis abstinere non posse; ea licentia per Nicænã & sequentes Synodos ità sublatâ est, vt Diaconi ne iis quidem coniugibus quas ante susceptum ordinem duxissent, vti sinerentur. Deinde cùm priscis sæculis tres tantùm clericorum gradus, videlicet Episcopi, Presbyteri, & Diaconi vxoribus interdicti essent (*Conc. Carthag. II. can. 2. Collectio Africana, cap. 70. ex Concilio Carthaginensi, anno Christi CDI. hoc est, Vincentio & Frauito Coss. celebrato*): etiàm subdiaconos posteriora decreta pari lege adstrinxerunt. *Conc. Aurelianense III. can. 2. Conc. Turon. II. can. 19. Conc. Autisiodorense, can. 21.* Prætereà licebat olim Episcopo, Presbytero, Diacono, & subdiacono, qui ante sacros ordines vxorem duxissent, illam conuersam, & de coniuge sororem factam, domi suæ habere. Sed obortis scandalis, etiàm illarum contubernium recentioribus edictis inhibitum est: & constitutum, vt altero coniuge cælibatum perpetuum professo, alter quoque perpetuam continentiam voueret, immò & (si suspecta esset ætas) in monasterio se includeret. *c. 1. de conuers. coniug. & c. cùm sis. eodem, & c. ad apostolicam. eodem.* De quo pluribus Sanchez noster, lib. VII. de matrim. disp. 32. Et denique sanxit Concilium Namnetense, can. 3. non tantùm vt nullus Sacerdos eas feminas, de quibus suspicio esse potest, in domo suâ habeat: sed neque illas quas canones concedunt; scilicet matrem, amitam, sororem; *Quià*, inquit, *instigante diabolo, etiàm in illis scelus fre-*

quenter perpetratum reperitur, aut etiàm in pedisequis earum. Sed si quis de his habuerit, talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio Presbyteri; habeat in vico aut in villâ domum, longè à Presbyteri conuersatione: & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Recole magni Augustini exemplum, qui fœminarum omnium, etiàm quæ minimè suspectæ essent, vti sororis & fratris filiæ contubernium vitauit: ne ab iis quæ ad illas ventitarent, aliquid aut periculi, aut scandali existeret.

14. CXXII. CONCILIO VNIVERSALI CARTHAGINENSI] Duobus tantùm locis citat expresse Ferrandus Concilium Carthaginense vniuersale, nimirum cap. IV. & CXXII. Priore loco dixerit fortasse quispiam intelligi posse Concilium anni CDXIX. cùm illud à Cresconio vniuersale appellari constet, & in eo canon ibi relatus, eodem numero notatus reperiatur. At quia canon capitis CXXII. (*Vt clerici cum mulieribus extraneis non habitent*) non inuenitur in Synodo anni CDXIX. sed in Carthaginensis tertii titulo XVII. in cuius etiam titulo XXXIX. habetur canon alter capite IV. citatus; hoc Concilium (quod anno CCCXCVII. celebratum est) vtrobique à Ferrando significatum videtur nomine Concilii vniuersalis. Certè enim vniuersale fuisse cognoscitur, non tantùm ex Honorato & Vrbano præsentibus in eo Legatis Mauritaniæ Sitifensis; & ex Muzonio sene, Primate Byzaceno, qui ad illud Synodicam dedit: & ex litteris Crescentiani Numidiæ Primatis ad Aurelium Episcopum Carthaginiensem, quibus se ad hoc Concilium aut venturum, aut Legatos missurum pollicebatur. *Collectionis Africanæ cap. XXXIII.* Sed etiàm quia ex præcedentibus Conciliis Africanis conflatum est, præsertim ex Hipponiensi nominatissimo, cuius canones plerique in eo recepti, confirmatique sunt. Adeò vt non sine causâ Aurelius Episcopus Carthaginiensis, in præfatione Mileuitanæ Synodi (*num. LXXXV. Africanæ collectionis*) hoc Concilium ipso Hipponiensi vniuersali melius esse dixerit: cùm recitari & confirmari iuberet *quæ iamdudum vel in Hipponensi Synodo firmata sunt, vel postmodùm meliore Concilio apud Carthaginem definita.*

15. CXXXIV. CONCILIO LAODICENSI, tit. VII. item tit. XXIIII. item XXV.] Pro titulo VII. habet codex Corb. *tit. XVII.* nihilo veriùs. Corruptum enim esse hunc locum ex eo apparet,

quòd iste canon, quo clerici tabernas ingredi vetantur, in solo reperitur titulo XXIV. Laodicensi, qui deberet esse Ferrando XXIII.

15. CXL.

MINISTRI] Ministros hoc & sequenti capite appellat Ferrandus, quos Græcus textus ὑπηρέτας, canone Laodicensi vulgato XXI. XXII. & XXV. nempe subdiaconos, & his inferiores clericos; adeóque ostiarios de quibus canone XLIII. His verò Concilium Laodicense opponit ἱερατικοὺς, canone XXIV. XXVII. XXX. XXXVI. XLI. & LIV. quos his locis non benè reddit Isidorus Mercator, *ministros altaris*: sic eos ab hypiretis non satis distinguens. Sunt autem ἱερατικοὶ, quos scitè interpretatur Dionysius, *Sacerdotes, sacratos, sacris officiis* aut *sacro ministerio deditos*: videlicet Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. Recole quæ diximus suprà cùm de secundis Sacerdotibus.

16. CXLIV.

VT CONCILIVM VNIVERSALE] Cresconius Breuiarij cap. CCLXXII. hunc canonem refert ex Concilij Carthaginensis titulo LXII. (sic enim legendum ex MSS. codicibus, non vt in vulgatis tit. XLII.), hoc est, ex titulo XCV. collectionis Africanæ; vbi describitur ex Concilio Carthaginensi anni CDVII. Derogatum est autem isto canone latæ legi in Concilio Hipponiensi ante annos XIV. videlicèt anno Christi CCCXCIII. ac deinde confirmatæ anno CCCXCVII. in Carthaginiensi III. cap. 2. & in altero Carthaginiensi anni CDI. ex quo sumptus est canon Africanus LXXIII. de cogendo singulis annis ad X. Kalendas Septembris Concilio vniuersali; nempe ad quod omnes prouinciæ quæ primas sedes habent, Legatos mittere haberent. Cæterùm excidit Concilij titulus, quem huic canoni Ferrandus ex more subnotauerat: qui enim subscriptus est Concilij Antiocheni titulus XVI. posteriorem tantùm huius capituli partem spectat; nimirum, *Vt Synodus plenaria tunc dicatur, cùm Episcopus metropolitanus adfuerit.* Quo fit vt existimem fuisse hìc ex Ferrandi mente capitula duo distincta, quæ in vnicum librariorum oscitantia, collegerit. Neque ideo diuidendum censuimus, ne Ferrandi capitulorum numerus vnitate auctus, vsu iam receptas eruditorum allegationes turbaret. Præsertim cùm relatiui sint hi duo canones: prior de Concilio vniuersali totius Africæ, alter de cuiusque

prouinciæ plenariâ Synodo; vt non incongruè vnum in locum coniici potuisse videantur.

18. CLXXV. ITEM CARTHAGINENSI, tit. XLVIII.] Codex Trecensis *tit. XLIII. II.* Corbeiensis *tit XLIIII. item tit II.* Sumptus est canon iste ex Concilio Carthaginensi tertio, vbi refertur titulo XXXVIII. porrò apud Dionysium in collectione Africanâ, tit. XLVIII. & scripsisse quoque Ferrandum *tit. XLVIII.* præcedentium & sequentium eius Concilij titulorum notæ persuadent: vt videre est in tabulâ, quam infrà dedimus, ad finem Notarum nostrarum in Breuiationem Ferrandi. Vide autem vnde in huius tituli numero aberratum sit. In plerisque antiquis codicibus, Gothico, seu Francico veteri charactere exaratis, nota Romana quinarij V. sic pingitur vt binario simillima sit: nempe infernè obtusa, eâ ferè formâ

u. quam hìc margini appictam vides. Hinc animaduerti non semel in antiquis membranis, quinarium ex binario, vel hunc ex illo factum. Ergo cùm in probo veteri exemplari scriptum esset, *tit. XLVIII. & V. pro II.* à librario acceptum esset: cùm non soleant quinque vnitates colligi, scriptæ sunt tres & duæ, hoc modo, III. II. vt in Trecensi codice. Deinde cùm diuersi tituli putarentur, addita est vocula distinguens, *item tit. II.* vt in Corbeiensi. Et hinc obiter causam agnosce, cur in Ferrandi Breuiatione, veterum codicum numeros ipsos Romanos barbaris neglectis expresserim. Nimirum vt ex eo faciliùs deprehenderetur, quâ ratione ab antiquariis alium pro alio numerum depingi contigerit.

19. CLXXXIV AD ANGELOS CONGREGATIONEM] Probari mihi non potest eorum sententia, qui canonem hunc Laodicensem, de geniis, dæmoniis, seu reprobis angelis accipiunt: quorum cultum hìc vetari putant. Nam vt taceam quòd non satìs appositè prohiberentur Christiani (quibus solis positæ sunt leges ecclesiasticæ) cacodæmones colere; quia si id faxint, Christiani non sint: certè *malos angelos* dixissent Patres ad tollendum æquiuocum, sicut canone proximè præcedenti *falsos martyres* dixerunt. Huius ergo canonis legitimum sensum habe. Meminere, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, & alij qui de hæresibus, Menandrianorum, Saturnilianorum, Basilidianorum, Nicolaitarum, Angelicorum, Marcosiorum,

Archonticorum : qui in Angelorum cultum superstitiosum proni erant, à quorum septem præcipuis mundum conditum affirmabant : ac peregrinis eos appellabant nominibus, de quibus Nicolaus Serarius noster, vir doctissimus, in cap. XII. Tobiæ. Horum conuenticula, & illecebrosas superstitiones damnant Laodiceni Patres hoc canone. Ne videlicèt cùm aliunde constaret, deberi cultum dulîæ sanctis Angelis, ac prę-sertim septem illis de quibus Tobiæ cap. XII. versu 15. eorum indebita veneratio, in creatoris opprobrium, specie religionis irreperet.

SEPTIMANÆ SANCTÆ PASCHÆ] Ità codex Trecensis. Et verò duplicem oblationem, quæ hìc feria quintâ paschalis hebdomadæ imperatur fidelibus, eò spectare dixerim, vt qui sabbato peruigilij Paschæ recens baptizati erant, ad agapen vocarentur. At in codice Corbeiensi, loco *septimanæ sanctæ Paschæ*, lego *septimæ hebdomadæ* : & sic ibi concipitur iste canon Concilii Septimunicensis. *Vt die quintæ feriæ septimæ hebdomadæ secundò offeratur.* Nempe hac ratione prouisum esset alteri sollemnitati Baptismi, qui septimâ hebdomade temporis paschalis, hoc est, pridie Pentecostes, sabbato celebrabatur : vt nimirum de oblatis biduo ante publicam Baptismatis cærimoniam, nonnihil in competentes, aut in infantes (hoc est, recens baptizatos) emolumenti redundaret. Sed quia par erat vtroque tempori prouideri : & codex quidem Trecensis, solius meminit paschalis hebdomadæ ; Corbeiensis porrò, solius septimæ hebdomadæ, (quam & obscurè designat, nullâ neque Paschæ, à quo inibat ; neque Pentecostes, in quam terminabatur, factâ mentione) ; coniectura est, canonem hunc Septimunicensem, in quolibet è duobus exemplaribus mutilum, ex vtroque sic restitui debere. *Vt die quintæ feriæ septimanæ sanctæ Paschæ, & septimæ hebdomadæ secundò offeratur.* 21. CCXIII.

CONCILIO SARDICENSI, tit. I.] *Serdicense* vbique habet codex Corbeiensis : & passim in antiquis modò *Sardicam* leges, modò *Serdicam*. Cęterùm in Breuiario Ferrandi, canon Sardicensis secundus respondet primo Dionysiano, tertius secundo, quartus tertio, & sic ferè reliqui vsque ad Ferrandi XXII. qui est Dionysii XXI. & vltimus : at primus Serdicensis apud Ferrandum, est vicesimus & vltimus Nicęnus apud 22. CCXIV.

Dionysium. Causam agnosce. Cùm periissent Græcis canones Nicæni, ab Arrianis combusti, numero LXXX. (quos ad LXX. ab ipsis Nicænis Patribus reduci iussos esse, testatur Athanasius epistolâ ad Marcum Romanum Pontificem); supererant tamen eorum reliquiæ nonnullæ: è quibus præcipua aliquot capita cùm delibassent Patres, Sardicæ anno Christi CCCXLVII. congregati, canones ediderunt numero XL. (quibusdam XLI.) qui modò Nicæni, modò Sardicenses vulgò dicti sunt, quippe ex Nicænâ in Sardicensem Synodum deriuati plerique omnes. Ergò Zosimus Papa in Commonitorio quod recitatum est anno Christi CDXIX. in Concilio Carthaginensi, habetúrque in prolegomenis Collectionis Africanæ; tanquàm ex Nicæno Concilio protulit duos canones; alterum de appellationibus ad Romanam sedem, alterum de excommunicatis apud vicinos Episcopos audiendis: qui sunt vulgati canones Sardicenses VII. & XVII. Innocentius item Papa I. epistolâ II. ad Victricium Rothomagensem Episcopum, cap III. citat ex Nicæno Concilio eumdem canonem de appellationibus ad Romanum Pontificem, qui est Sardicensis septimus. Et cap. VII eiusdem epistolæ, ex Nicænâ quoque Synodo profert canonem; *Vt abiectum ab vno Episcopo clericum alia Ecclesia non recipiat*, qui est Sardicensis XVI. Ad hæc Nicæni canones in epistolâ II. Iulij Papæ primi, cap. II. III. IV. VI. X. XVII. XXI. respondent ferè Sardicensibus III. IV. VII. XVIII. & XIX. Ex quibus apparet, & plerosque canones Sardicenses ex Nicæno desumptos esse: & apud Romanos, priscis illis sæculis, Sardicenses canones sub Nicænis fuisse comprehensos. Sane codex Thuanus peruetustus, canones Concilij Sardicensis inscribit *Nicænos*: quamuis adnotans, eos à quibusdam *Sardicenses* appellari. Immò Seuerinus Binius in Notis ad Concilium Sardicense, §. *D. Approbatum.* refert, canones vtriusque Concilij, Sardicensis nimirum & Nicæni, in Romanâ bibliothecâ, & in quodam exemplari Concilii Nicæni, quod Dionysius ante mille annos è Græco conuertit, quódque etiamnum Atrebati in monasterio S. Vedasti extat, ità coniunctos haberi, quasi vnius Concilii canones fuerint. Ex quo euenisse putant viri eruditi, vt Gelasius in decreto de scripturis, Gregorius Magnus, Isidorus, Beda,

&

& qui alij veterum, prima quatuor œcumenica Concilia recensent; Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calchedonense; tamen Sardicense, tanquàm in Nicæno inclusum, quamuìs inter œcumenica ordine secundum, silentio prætererint. Sed & in præfatione Concilij Sardicensis, quæ ex antiquo codice refertur; tomo I. Conciliorum editionis Coloniensis 1551. dicuntur esse Concilij Sardicensis *quadraginta regulæ, quæ per Osium Episcopum Cordubensium currunt*: quæ vix possunt intelligi nisi de vulgatis XX. Nicænis canonibus, sub titulo Sardicensium comprehensis. Cùm igitur hi canones seu Nicæni, seu Sardicenses, censerentur quadraginta aut XLI. sensim inualuit vsus, vt XX. priores à Nicæno, reliqui à Sardicensi Concilio appellarentur. Alia horum fuit apud alios partitio: nam Ferrandus duos & viginti posteriores Sardicensi; priores XIX. ad quindecim redactos (vt iam suprà monuimus) Nicæno Concilio adscripsit. Vidimus certè ex bibliothecâ clarissimi viri Iacobi Augustini Thuani, codicem veterem, in quo (vt apud Ferrandum) titulus XX. Nicænus Dionysij, non censetur in canonibus Nicænis: præmissâ autem fidei formulâ Nicænâ pro primo titulo, reliqui Nicæni canones XIX. Dionysiani extenduntur in XXVI. ità vt omnes tituli Nicæni in eo codice sint XXVII. excluso vltimo Dionysiano. Censet ergo Ferrandus canones Sardicenses XXII. cùm tantùm Dionysius vnum & viginti: quia vltimus Nicænus, est Ferrando Sardicensis primus. Quia tamen IV. & V. Sardicenses apud Ferrandum, vni respondent tertio Dionysiano, & mox Ferrandi sextus quarto Dionysiano: nisi corrupti sunt numeri à librariis, existimo, in Ferrandi codice vtì duo extabant canones (quartus nempe, & quintus) ex vno Dionysij tertio; ita quintum & sextum Dionysianos rursus in Ferrandi septimum coaluisse. Quo fit, vt sequentes Ferrandi numeri ad finem vsque, Dionysianos vnitate dumtaxàt excedant.

IN DOMINICIS] Ità rectè codex Corbeiensis, vbi malè Trecensis, *in Dominicâ*. Habet citatus textus in Græco; ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. *In dominicis, id est, in ecclesiis.* — 22. CCXVI.

CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO, tit. II] Legendum tit. I. At Ferrandus cap. XVIII. refert ex Concilij Constantinopolitani titulo II. & III. quæ in vnum secun- — 22. CCXVII.

dum coniecit Dionysius : nec mirum ; nam vnus hic secundus titulus Dionysianus, in II. III. IV. & V. diffunditur, & in codice Thuano, & in versione Latinâ quæ habetur è regione Græci textus in tomis Conciliorum.

22. CCXXI. PRESBYTERÆ] Ità codex Corbeiensis. In Trecensi *presbyterissæ*, haud absque mendi suspicione. Presbyteræ olim dictæ, quæ Presbyterorum coniuges fuerant antequàm hi ordinarentur : exinde in sorores mutatæ, orthodoxorum more perpetuo. At hoc loco presbyteræ appellantur, ex viduis Diaconissis seniores : quas notat Epiphanius in Hæresi Collyridianorum, cap. III. & IV. tantùm πρεσβύτιδας, nunquàm πρεσβυτερίδας, aut ἱερίσσας nuncupatas ; ne quis illis sacerdotij quidquam, sacriúe ordinis inesse cogitaret. Institutæ sunt enim ipso Ecclesiæ nascentis exordio, vt feminarum honestati consuleretur, cùm ad Baptismum componendæ essent, & similibus de causis, de quibus Concilium Carthaginense quartum, canone XII. Epiphanius citato loco, & in Expositione fidei, num. XXI. Cùm igitur è Græco deriuata vox Latina *presbyteræ*, media sit inter *presbytidas*, & *presbyterídas* ; illam ad prius significatum trahas licet : ex mente nimirum Ferrandi, qui *presbyteras* dixit è canone XI. Laodicensi, vbi scribuntur in textu primigenio πρεσβύτιδες.

22. CCXXI. MATRICVLÆ] Turbatum est hoc vocabulum in riuulis, purius in fonte. Isidorus Mercator cùm hunc Laodiceni Concilij canonem XI παραφραστικῶς, ac penè de verbo ex Ferrando retulisset; ex Isidoro Gratianus in Decreto, distinct. 32. c. *mulieres quæ.* scripsit hoc loco, *matricuriæ*. Vbi Glossa; *Matricuriæ, id est, habentes curam de rebus ecclesiæ.* At recentiores eruditi legendum putarunt, *matriculariæ*, hoc est, *œconomæ*: vel certè *pauperes*, quòd Ecclesiæ sumptibus Diaconissæ alerentur ; nam in antiquis Glossis *matricularius* explicatur *pauper, & inops.* Verùm apud Ferrandum, in vtroque nostro codice habetur, *matriculæ*, ac totus iste canon ità concipitur. *Vt mulieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur (apud nos autem viduæ seniores, vniuiræ, & matriculæ) in Ecclesiâ tanquam ordinatas constitui non liceat.* Sumpsit ex Tertulliano, libro de velandis virginibus, cap. IX. *Ad quam sedem* (nempe in viduatu, vt ipse loquitur) *præter annos sexaginta, non tantùm vniuiræ, id est,*

nuptæ aliquando, eliguntur; sed & matres, & quidem educatrices filiorum. Scilicet vt experimentis omnium affectuum structæ, facilè norint cæteras consilio & solatio iuuare: & vt nihilominùs ea decucurrerint, per quæ femina probari potest. Hæsit autem Tertullianus vestigiis Pauli Apostoli, 1. ad Timoth. 5.9. *Vidua,* inquit, *eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, &c.* Ergò *matrices,* & his homonymæ *matriculæ,* sunt matres educatrices. Quod propriè dictum & in homine, & in brutis: tralatitiè de arboribus, immò & de vrbibus quæ Græcis metropoles. Columella passim hac voce vsus, præsertim lib. 7. de re rusticâ, cap. 3. & lib. 8. cap. 2. vbi de gallinis; *Sint ergo,* inquit, *matrices probi coloris, robusti corporis, quadratæ, pectorosæ, magnis capitibus.* De columbis porrò agens lib. 8. cap. 8. *Matrices, quæ ouis vel pullis incubant.* & post aliquot versus; *Nam & octies anno pullos educat* (columba) *si est bona matrix.* Nec multùm diuerso significatu *matricem generis feminini Euam* appellauit Tertullianus lib. de velandis virginibus, cap. 5. Idem lib. de Præscriptionibus, cap. 21. *Ecclesias apostolicas, matrices & originales fidei.* Sic & Cyprianus epist. XLV. Romanam sedem, *Ecclesiæ catholicæ radicem & matricem.* Quin & Ferrandus noster in Breuiatione canonum non vno loco, vt cap. XI. XVII. & XXXVIII. *matricem* pro primariâ Episcopi sede, & cathedrali (vt vocant) ecclesiâ vsurpauit. At Suetonius in Augusto cap. XCIV. *Ex eâ* (nempe ex palmâ) *continuò nata soboles, adeò in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modò matricem, verùm etiam obtegeret.* Cæterùm quamuis Tertullianus loco illo à me citato grauiter expostulet, quòd virgo admissa esset in viduarum cœtum, præcepto Apostoli pro genio suo pertinaciùs insistens: tamen præceptum illud infantiam Ecclesiæ, aut summùm adolescentiam spectasse, Ecclesia ipsa iam adulta iudicauit. Ergò ab ætate sexagenariâ deuentum est ad quadragenariam, Concilij Calchedonensis canone XV. & in Diaconissarum ordinem adscitas, non tantùm viduas, sed etiam Virgines (*ἀειπαρθένους*) docet Epiphanius capite illo XXI. Expositionis fidei catholicæ. Ad extremum, Diaconissas omnes sustulit occidentalis primùm Ecclesia (vt patet ex Concilio I. Arausicano, canone XXVI. Concilio Epaonensi, canone

XXI. Concilio II. Aurelianensi, canone XVIII.) deinde etiam orientalis. Nempe cùm mutatis temporibus, ac præsertim desitis adultorum Baptismatibus, ordo ille in Ecclesiâ superuacaneus visus est.

c. CCXXVI. NISI SOLITVM SALIS] De salis Sacramento pro catechumenis, quale esset, & quàm frequens eius vsus, videndus Gabriel Albaspinæus, Episcopus Aurelianensis, lib. II. Obseruatione XXXV. & XXXVI. eademque vltimâ, & in propriis Notis ad hunc ipsum canonem V. Concilij tertij Carthaginensis. Legendus etiam de Sacramentis Catechumenorum Petauius noster, in Expositionem fidei Epiphanianam, numero XXII. Sancitus est porrò canon iste in Concilio Hipponiregiensi, ex quo in Carthaginiensem III. translatus est. Cur autem apud Ferrandum notetur tit. XI. non tit. V. vt in vulgatis, mox aperiam.

c. CCXXVIII. VT PRÆTER SCRIPTVRAS CANONICAS] Hunc canonem citat hoc loco Ferrandus ex Concilio Carthaginensi, tit. XLV. Sequenti porrò capite CCXXIX. alterum (qui huius relatiuus est) de Passionibus Martyrum, ad eorum natalitia legi solitis, refert ex titulo XLVI. Hi autem duo canones (quorum prior à posteriore auulsus reperitur ad numerum XXIV. collectionis Africanæ) cùm in Synodo Carthaginensi tertiâ coniuncti reperiantur ad titulum XLVII. inde bené concludit doctissimus Cardinalis Perronius, huius Concilij plures editos fuisse canones, quàm illos tres circiter & viginti, qui ex eo in collectione Africanâ referuntur. Nec dubium est quin plures huius Synodi Canones habuerit Ferrandus, alitérque vel incisos vel ordinatos quàm qui extant in vulgatis numero quinquaginta: quorum quidem secundus & quadragesimus, quia laudatur & ex parte describitur *ex Concilio Africæ tertio*, capite IV. Concilij Toletani XII. quod æra DCCXIX. anno verò Christi DCLXXXI. celebratum est, vel inde habetur, perantiquam esse vulgatam illam seriem. Quod tamen in eius canone XLVII. occurrit Bonifacij Papæ nomen, ex collectione Africanâ absque dubio deriuatum; minimè conuenit cum anno Concilij tertij Carthaginensis, qui fuit Christi CCCXCVII. Cæsarij & Attici consulatu notatus. Itaque Siricius reponendus est pro Bonifacio; quod vel ex proximo

En la replique à la responce du Roy de la Grand Bretagne. chap. XLVIII.

canone XLVIII. facilè intelligitur.

Cæterùm quia hactenus de vulgatâ Carthaginiensis III. canonum editione, quàm vitiata ac perturbata sit, non vno loco monuimus: interim dum ex aliquo veteri codice (quod optamus) antiquæ fidei restituantur, placet hìc tabulam subiicere, in quâ inspiciat Lector, quis eorum numerus, quis ordo videatur fuisse in Ferrandi codice, quem par est credere, integram eorum canonum, & rectam, ac legitimam seriem continuisse. Huius Concilij vulgata editio habet canones L. qui plerique & in Collectione Africanâ reperiuntur, & in Breuiario Concilij Hipponiensis, ex quo magnam partem coaluere. At fuisse videntur Ferrando etiam plures. Ad marginem prior columna numeros dabit vulgatæ editionis Concilij Carthaginiensis vulgò tertii nuncupati. Altera numeros Collectionis Africanæ secundùm Dionysium. Sed quia Ferrandus ex huius Synodi titulis quosdam non protulit: nonnullos ex aliis Conciliis allegauit, in quibus nimirum iidem canones expressiùs inculcati sunt; de singulis admonebimus: simúlque si quis numerus apud Ferrandum à librariis corruptus videatur, adnotabimus.

Tabula titulorum Concilij Carthaginensis, celebrati anno Christi 397. Cæsario & Attico Coss. quod vulgo Carthaginense III. appellant: eo numero atque ordine, qui videtur posse ex Ferrandi Breuiatione deprehendi.

	Carth. III. vulgatum.	*Collectio Africana.*
I. Nihil esse emendandum in excerpto de Concilio Hipponiensi: sed nec ei quicquam addendum, nisi vt dies Paschæ tempore Concilij innotescat. *Epigonij Episcopi hæc fuit sententia, cùm Aurelius Primas Carthaginiensis, ipso Synodi exordio Breuiarium Hipponiense legi iussisset, postulante Muzonio Primate Byzaceno.*	1.	34.
II. Vt per singulos annos fiat Concilium vniuersale. *Non debuit vti hoc canone Ferrandus, cui derogatum est illo recentiori canone, quem refert cap. 144. ex Concilio Carthaginiensi anni 407.*	2.	18. & 14.

Collectio Africana. Carth. III. vulgatum.

III. Vt bis in anno per singulas prouincias Concilia fiant. cap. 143. Et vt Primates diuersarum prouinciarum, nomina Episcoporum ad Ecclesiam Carthaginensem mittant. cap 84. *Hæc diuersis locis profert Ferrandus ex titulo 3. Quæ quidem censeo non esse duos canones, sed vnius & eiusdem canonis partes duas: quia illas Episcoporum series quæ Carthaginem mittendæ erant, in Conciliis maximè prouincialibus, ad ordinem in sessionibus tenendum recognosci necesse erat. Porrò sanctiones istas de magni momenti rebus, ad hoc Concilium omnium Carthaginiensium celeberrimum retuli ex coniecturâ: vti & quas sexto, septimo, & octauo proximis capitibus recensui.*

16. 4. IV. Vt lectores populum non salutent.

51. 41. V. Vt omnes Ecclesiæ ab Ecclesiâ Carthaginis diem Paschæ audiant tempore Concilii. cap. 231.

17. VI. Vt Primatem proprium Mauritania Sitifensis habeat. cap. 82.

VII. Vt primæ sedis Episcopi, ex Concilio Carthaginensis Episcopi constituantur, quando fuerit oborta contentio. cap. 83.

29. VIII. Vt nullus Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus excommunicatus communicet. cap. 53.

16. 4. IX. Vt ante viginti quinque annos nec clerici ordinentur, nec virgines consecrentur. cap. 121.

18. 3. X. Vt Episcopo ordinato statuta Conciliorum primitus inculcentur. cap. 9.

5. XI. Vt etiam per sollemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum salis. c. 226.

18. 6. XII. Vt corporibus defunctorum Eucharistia non detur, neque Baptismus. cap. 227.

72. XIII. Vt baptizentur infantes, quando ignoratur vtrum fuerint baptizati. cap. 203. *Refert Ferrandus ex tit. 7. Carthaginensis anno 401. celebrati. Habetur tamen in Breuiario Hipponiensi. Et nos eum in vacuum hunc numerum coniecimus, ne loco careret.*

56. 20. XIV. Vt nullus Episcopus plebem alienam vsurpet. cap. 24. *Hic apud Ferrandum antiquarius numerum 5. adnotauit. Iure, an iniuriâ, non constat. Quia verò quintum illud loculamentum alius canon iam insederat, hunc nos in istum locum ex coniecturâ reiecimus.*

	Carth. III. vulgatum.	Collectio Africana.
XV. Quid in accuſationibus Epiſcoporum obſeruari debeat. cap. 58.	7.	19.
XVI. De clericis Donatiſtarum conuerſis, vtrùm in laïcorum ordinem redigendi, an clero catholico adſcribendi ſint, conſulendam eſſe Eccleſiam tranſmarinam. *Habetur in manuſcriptis codicibus, & in tomis Conciliorum poſt breuiarium Hipponienſe, extra vulgatos quinquaginta canones. Nos in vacuam hanc ſedem ex coniecturâ retulimus. Non debuit autem à Ferrando allegari, qui ſpecialius eiuſdem argumenti decretum protulit cap. 189. ex Carthaginenſi anni 401. Vt Donatiſtarum clerici in ſuis honoribus ſuſcipiantur.*		
XVII. Vt Epiſcopus accuſatos Presbyteros, conuocatis quinque Epiſcopis audiat: Diaconorum cum tribus, reliquorum verò cauſas ipſe ſolus diſcutiat. cap. 51.	8.	20.
XVIII. Vt accuſatus Epiſcopus, vel quicumque ex clero fuerit apud Eccleſiam accuſatus, ad iudicia publica non tranſeat. cap. 67.	9.	15.
XIX. Vt Epiſcopis iudicantibus condemnatus Epiſcopus, ſi fuerit apud potiores Epiſcopos abſolutus, nihil eis noceat, ſi bono animo iudicauerint. cap. 62.	10.	15.
XX. Vt filij Epiſcoporum aut clericorum, ſpectacula non exhibeant nec ſpectent. cap. 40.	11.	15.
XXI. Vt filii Epiſcoporum, gentilibus vel hæreticis, aut ſchiſmaticis matrimonio non coniungantur. cap. 39.	12.	21.
XXII. Vt Epiſcopi filios ſuos non emancipent, niſi iam probatos. cap. 41.	14.	35.
XXIII. Vt Epiſcopi vel clerici, his qui Catholici non ſunt, nihil per donationes conferant. cap. 33.	13.	22.
XXIV. Vt Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi, non ſint conductores, aut procuratores. cap. 70.	15.	16.
XXV. Vt nullus clericus fœneret. *Ferrandus cap. 123. ex primo tantùm Carthaginenſi hoc refert, vbi diſtinctiùs hoc idem ſancitum eſt.*	16.	16.
XXVI. Vt clerici cum mulieribus extraneis non habitent. *Refert Ferrandus cap. 122. ex Carthaginenſi vniuerſali: ſed titulum non adnotat.*	17.	
XXVII. Vt lectores, dum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri. cap. 129.	19.	16.

Collectio Africana. *Carth. III. vulgatum.*

54 21 XXVIII. Vt Episcopus alienum clericum non suscipiat, neque ordinet. cap. 27.

22 XXIX. Vt nullus ordinetur nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio. cap. 232.

36 18 XXX. Vt Episcopi, vel Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, nisi omnes suos Christianos fecerint. cap. 15. *Huic tamen canoni adscribit Ferrandus numerum 3. An certâ ex causâ, an mendosè, non liquet.*

103. 23. XXXI. Vt nullus in precibus, nisi ad Patrem dirigat orationem: & vt priùs eas cum instructioribus tractet. cap. 219. *Hoc ipsum refert Collectio Africana ex Carthaginensi anni 407. vbi lex eadem iterata est.*

37. 24. XXXII. Vt in sacrificio, absque pane & vino nullus offerat. cap. 213.

38. 25. XXXIII. Vt clerici vel continentes, ad viduas vel virgines, sine iussu vel permissu Episcopi vel Presbyteri non accedant. cap. 132.

39. 26. XXXIV. Vt primæ sedis Episcopus, non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos. cap. 81.

40. 27. XXXV. Vt clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitas coëgerit. cap. 134.

23. 28. XXXVI. Vt Episcopi sine formatâ Primatis non nauigent. cap. 46.

41. 29. XXXVII. Vt Sacramenta altaris non nisi à ieiunis celebrentur. *Nusquam meminit Ferrandus huius canonis: cui tamen hunc locum series à margine adnotatæ vindicant.*

42. 30. XXXVIII. Vt Episcopi siue clerici in ecclesiâ non conuiuentur, nisi transeuntes. cap. 71.

43. 31. & 32. XXXIX. Vt Episcoporum iudicio, pœnitentiæ tempora decernantur. cap. 49.

44. 33. XL. Vt Episcopi prouidentiâ virginibus quæ pupillæ fuerint, vbi habitent eligatur. cap. 48.

45. 34. XLI. Vt ægrotantibus, quando ipsi loqui non possunt, si pro eis alij testimonium dixerint, Baptismum non negetur. cap. 202.

45. 35. XLII. Vt scenicis atque histrionibus reconciliatio non negetur. cap. 170.

6. 36. XLIII. Vt Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret:

		Carth. III. vulgatum.	*Collectio Africana.*
	ſecret: chriſma verò nunquàm conficiat. cap. 91.		
XLIV.	Vt clerici in alienâ ciuitate non immorentur, niſi cauſas eorum iuſtas Epiſcopus loci, vel Presbyteri locorum peruiderint. cap. 135.	37	
XLV.	Vt præter Scripturas canonicas nihil in eccleſiâ legatur. cap. 228.	47	24.
XLVI.	Vt liceat Paſſiones Martyrum legere in natalibus eorum. cap. 229.	47	46.
XLVII.	Vt conſulatur Eccleſia tranſmarina, an ordinare liceat conuerſos ad Catholicam, qui paruuli apud Donatiſtas baptizati ſunt. *Licere dixit Ferrandus cap. 193. ex titulo I. Carthaginenſis anno 401. celebrati : qui eſt 57. in Collectione Africanâ.*	48.	47.
XLVIII.	Vt non liceat hæreticum rebaptizari, baptizatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. cap. 175.	38.	48.
XLIX.	Vt Epiſcopus à tribus ordinetur, conſentientibus aliis per ſcripta: cum confirmatione Metropolitani, vel Primatis. cap. 4.	39.	49.
L.	Vt in ordinando Epiſcopo alii quoque Epiſcopi ſuper tres addantur, ſi ab aliquo fuerit contradictum. cap. 5.	40.	50.
LI.	De viſitandis prouinciis. *Sola hunc canonem nobis ſeruauit Collectio Africana, hoc (vt videtur) loco reponendum.*		52.
LII.	Vt Epiſcopus non ordinetur in diœceſim quæ Epiſcopum nunquam habuit, niſi cum voluntate Epiſcopi ad quem ipſa diœceſis pertinet; ex Concilio tamen plenario, & Primatis auctoritate. cap. 13.	42.	53.
LIII.	Vt qui plebibus ſuis incubantes, ad Concilium venire detrectant, & plebem & honorem amittant. cap. 13. *Hoc loco, vbi legitur* tit. LII. item LIIII. *legendum puto* tit. LII. item LIII. *propter connexionem vtriuſque huius canonis, tum in vulgato Carthaginenſi III. tum in collectione Africanâ.*	43.	53.
LIV.	Vt clericum alienum nullus præſumat Epiſcopus ordinare. cap. 27. *Hic quoque emendandus numerus apud Ferrandum: & legendum,* item tit. LIIII. *non autem* tit. LIII. *propter nexum huius tituli cum antecedentibus, & conſequentibus.*	44.	54.
LV.	Vt ſoli Eccleſiæ Carthaginis liceat alienum clericum ordinare. cap. 230. *Similiter hoc loco legendum* tit. LV. *non* LIIII.	45.	55.
LVI.	Vt Epiſcopus in diœceſim ordinatus, ipſam ſolam teneat. cap. 14. *Hic etiam legendum* tit: LVI. *non* LIIII. *Incredi-*	46.	56.

bile est enim, Ferrandum tres, quatuorúe istos canones, licet affinis, tamen diuersi argumenti, & benè longos, sub vnico numero LIIII. collegisse.

Carth. III. vulgatum. Collectio Africana.

32 49. LVII. Vt Episcopi quicquid nomine suo comparauerint, cogantur Ecclesiæ refundere: quicquid autem eis donatur, cui voluerint conferant *Timidè hunc canonem hoc loco inculcaui, solâ nixus editione vulgatâ Carthaginensis III. Non enim ex vllo Carthaginensi Concilio eum refert Ferrandus cap. 35. sed ex titulo VIII. Hipponiensi. At non reperitur in excerpto Concilij Hipponiensis, quod Carthaginensi III. illigatum est: neque in collectione Africanâ à numero 34. ad 56. vbi referuntur canones permulti eiusdem Concilij III. Carthaginensis. Sed tantùm inter Hipponienses canones, ad numerum 32. eiusdem collectionis.*

56. 50. LVIII. Vt gesta Concilij Episcoporum subscriptionibus confirmentur. *Hæc fuit nimirum conclusio istius nominatissimæ Synodi.*

Atque hæc nolim sic accipias (erudite Lector) velut huius Concilij canonum absolutissimam & ordinatissimam seriem. Sed à me adnotata scias, vt appareat, quid quasi certò, quid tantùm probabiliter è Ferrando ad eam restituendam elici possit. Et vt hoc meo cuicuimodi studio tu quoque inuitatus, in eam suis omnibus complendam numeris, antiquorum maximè codicum ope adlabores.

In Breuiarium Canonicum Crisconij.

24. a. CRISCONII] Sic legimus in antiquis codicibus, Trecensi, Remensi, & Thuano; tametsi *Cresconios* aliquot exhibeat Victoris Notitia, & alij Scriptores: quare, nos quoque *Cresconium* vsitatiore formâ passim scripsimus. Hunc autem & Episcopum fuisse Africanum, & floruisse circiter annum Christi DCXCVIII. probat inscriptio antiqui codicis Vaticani, suprà ex Baronio relata in præfatione ad Lectorem.

24. c. SIRICII, INNOCENTII, ZOSIMI, CÆLESTINI,

LEONIS, ET GELASII.] Refert Crescónius sua decreta omnia ex horum sex Pontificum epistolis decretalibus, eo ordine digestis quo exstant in Collectione Decretorum, cuius auctor Dionysius, eam Iuliano tituli Sanctæ Anastasiæ Presbytero inscripsit. Ea Collectio Dionysiana, tota continetur in Codice veteri canonum Ecclesiæ Romanæ, primùm Moguntiæ anno 1525. posteà anno 1609. Parisiis edito; cum aliis multis recentiorum Pontificum Decretis ei superadditis. At in tomis Conciliorum, has ipsas epistolas paulò aliter vel incisas in seipsis, vel inter se ordinatas reperies.

SIRICII ergo decreta citat ex primá dumtaxat eius epistolâ, ad Himerium Tarraconensem Episcopum, in titulos XV. diuisâ.

INNOCENTII, ex eius epistolis I. II. III. IV. V. VI. IX. XVIII. XX. XXI. & XXII. vulgari singularum in suos titulos diuisione seruatâ.

ZOSIMI, ex epistolâ tantùm primâ, trium non ampliùs titulorum, ad Hesychium Episcopum Salonitanum.

CÆLESTINI, ex tribus prioribus eius epistolis: primâ titulorum XIII. secundâ titulorum VI. tertiâ titulorum trium. Ità vt eius decretum XIV. sit primus titulus epistolæ secundæ: & decretum XX. sit primus titulus epistolæ tertiæ.

LEONIS, ex eius epistolis I. IV. III. XCII. LXXXIV. & LXXIX. secundùm recentiores editiones, quibus insertæ sunt epistolæ XIIII. & XXIV. quæ desunt in antiquis: vnde est quòd epistolæ quæ nunc sunt XCII. LXXXIV. & LXXIX. habentur in antiquis editionibus binario inferiores, hoc est, XC. LXXXII. & LXXVII.

GELASII denique, ex eius epistolâ ad Episcopos Lucaniæ, quæ nona censetur in recentioribus tomis Conciliorum, vbi nullis numeris distinguitur. At in editione Conciliorum Coloniensi anni 1551. ponitur prima, & triginta numeris diuisa: cùm tamen eam habuerit Cresconius, distinctam in numeros tantùm XXVIII. Quæ ratio fuit cur nos citatis ad marginem Breuiarij Crisconiani omnibus horum sex Pontificum decretis, iuxtà ordinem & numeros quibus distinguuntur in tomis Conciliorum; in allegandis titulis ex epistolâ Gelasij, etiam prima cuiusque decreti verba dederimus, desumpta ex lon-

giori opere, seu Libro Canonum Cresconij, in quo integros ipsos canones & decreta descripsit.

30. XXXVI. INNOCENTII, tit. VIIII.] Dicerem, scriptum à Cresconio, *tit. XLI.* vel *tit. XLV.* quibus locis, Antiochenæ Ecclesiæ priuilegia Innocentius commemorat: nisi auctor idem eâ parte libri Canonum, quæ huic Breuiarij loco respondet, Innocentii titulum nonum integrum describeret. Vbi agens de iure Metropolitanorum, adeóque Metropoleon, eius ipsius Nicæni canonis meminit, quem hìc ei Cresconius prænotauit.

49. CCXLIX. DE ACCVSATO VEL ACCVSATORE] Quem hìc citat Cresconius canonem collectionis Africanæ XXX. eique proximum XXIX. *Placuit vniuerso Concilio vt qui excommunicatus, &c.* (relatos à Ferrando cap. LIV. & CXCVIII. ex Concilio Hipponiregiensi); monuit me doctissimus noster Sirmondus, se reperisse in veteri codice, inscriptos Concilio celebrato, *Hierio & Ardabure VV.CC. Consulibus, VIII. Kalendas Octobris, in basilicâ sanctâ Leontinâ.* Hi Consules annum spectant æræ Dionysianæ 427. Exstant S. Augustini sermones aliquot, habiti in basilicâ Leontinâ, seu Leontianâ: quorum in vno, qui est XIII. de diuersis, sic dicta significatur à S. Leontio conditore, cuius depositio anno illo in ipsum dominicæ Ascensionis diem incurrebat. Et hunc Leontium censet Baronius in Notis ad Martyr. Rom. 13. Ianuarij, litterâ g. fuisse Episcopum Tagastensem. Cùm ergo sit epistola Augustini LXVII. *ad Alipium senem*, hoc est, Primatem; mea coniectura est, & basilicam Leontinam Tagastæ fuisse, in Augustini patrio solo: & duos illos canones primùm sancitos anno Christi 393. in Concilio Hipponiregiensi: tum repræsentatos in Carthaginiensi, anno 419: ad vltimum confirmatos in Concilio Tagastensi, prouinciæ Numidiæ, quod anno 427. præside Alipio Tagastensi Episcopo, & Numidiæ Primate celebratum est.

Ad Epistolam Ferrandi de duabus Quæstionibus.

COLORE ÆTHIOPS] Ater Æthiopum instar, in quibus & Nigritæ, Ptolemæo lib. IV. cap. VI. Straboni lib. II. Plinio lib. V. cap. VIII. 56. a.

BARBARÆ PROVINCIÆ] Sic nuncupata videtur Æthiopia, non tantùm quòd extrà imperium Romanum esset: aut etiam à feris & agrestibus populis: sed à Barbariâ propriè dicta, à quâ & Barbaricus sinus. Vide Ptolemæum lib. IV. cap. VII. & VIII.

SOLIS IGNEI] Accedat ergo & Ferrandus ad cæteros antiquos scriptores, qui Solem verè igneum esse censuerunt: quod & doctissimi recentiores hodie affirmant, eò (vt opinor) tubi maximè optici beneficio deducti, qui mira in Sole & circà Solem humanis oculis obiicit φαινόμενα. Videri potest tractatus eruditus *De Sole, vt flamma est, eiúsque pabulo*, quem nuper Petrus Bourdinus noster in lucem dedit.

CALORE FVSCANTVR] Ammianus lib. XIX. *ab vsque feruenti Æthiopiæ plagâ paulatim proserpens.* Apud Strabonem libro XV. Theodectes poëta nigredinem Æthiopum Solis propinquitati adscribit: quem redarguens Onesicratus, Solem ait Æthiopibus viciniorem non esse quàm cæteris regionibus, sed magìs perpendicularem. Scitè. Hinc est enim quòd in sphœrâ obliquâ constitutis cùm Sol sit propior hyeme quàm æstate; minùs tamen eos calefacit hyeme, quia minùs directis eos radiis ferit. Quare, prima & præcipua causa nigredinis Æthiopum est Solis aspectus directior: vnde fortiùs reflexi radij calorem exaggerant: est enim æthiopia sub zonâ torridâ. Alteram addit Strabo, progenitorum temperiem: nigros enim ait esse æthiopas etiam in vtero matris, quos nunquàm Sol attigit. 56. a.

INTER COMPETENTES] Augustinus epist. CLC. ad Martianum; *Tua*, inquit, *mereri scripta desidero: & te nomen* 56. b.

dedisse inter competentes, vel daturum esse iamiámque cognoscere. Erant competentes ij de catechumenis, qui iam quantùm satìs esse videbatur eruditi ac probati, aduentante demùm sollemni die publicis Baptismi ritibus addicto, Baptismum non vltrà sibi differri poscebant. *Competentes dicuntur simul petentes,* ait idem Augustinus sermone habito Dominicâ in Ramis Palmarum, ad competentes: vbi & illos ad omnem morum honestatem hortatur, vtì & homiliâ XLIX. è quinquaginta. Solere autem documenta quædam tenenda memoriter competentibus tradi, indicat idem lib. 1. Retract. cap. XVII.

56. b. CELEBRATO SOLLEMNITER SCRVTINIO] Quid hoc scrutinium, aperit S. Augustinus lib. de fide & operibus, cap. VI. *An usque adeò*, inquit, *dissimulamus à sensibus nostris, vt vel nosmetipsos non recordemur, quàm fuerimus attenti atque solliciti quid nobis præciperent à quibus catechizabamur, cùm fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur? Vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lauacrum regenerationis occurrunt, quales sint ipsis diebus quibus cathechizantur, exorcizantur, scrutantur?* (en scrutinium sollemniter celebrari solitum) *quantâ vigilantiâ conueniant, quo studio ferueant, quâ curâ pendeant?* Pergit eo toto libro hortari ad vitæ integritatem: negans admittendos ad Baptismum qui quamlibet in fide eruditi, prauis tamen moribus infuscati essent: aduersùs quorumdam opinionem, iactantium, baptizandos primùm catechumenos qui se credere professi essent, ac deinde post Baptismum de vitâ secundùm Christianas leges traducendâ commonendos. Ergò scrutinij siue examinis competentium duo erant summa capita; fides, & opera. *Nam neque ad Baptismum Christi* (ait idem sanctus Doctor homiliâ XXVII. è L.) *in quo omnia peccata delentur, quisquam benè accedit, nisi agendo pœnitentiam de vitâ pristinâ. Nemo enim eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet.* & cætera, quæ vide & expende.

57. c. VSITATAM CANONVM SENTENTIAM] De baptizandis ægrotis adultis qui pro se respondere non possunt, est Concilij Neocæsariensis titulus XII. Concilij Laodiceni tit. XLVII. Item in breui Concilij Hipponensis tit. XXXIV. In Concilio tertio Carthaginiensi canon XXXIV. qui est apud

Ferrandum cap. CCII. titulus XLI. apud Dionysium in collectione Africanâ titulus XLV. apud Cresconium cap. LXVI. titulus XII. Ad hæc Timothei canon IV. citatus à Photio in Nomocanone, tit. IV. cap. IX. Idipsum sentit Augustinus lib. I. de adulterinis coniugijs ad Pollentium, cap. XXVI. XXVII. & XXVIII. tametsi admonens non propterea damnandos eos qui timidiùs agunt, freti illo Domini dicto; *Nolite sanctum dare canibus, neque proieceritis margaritas vestras ante porcos.* At quomodò, inquies, non damnandi qui contrà tot canones Baptismum negent periclitanti adulto, qui pro se respondere non possit? Sanè de his intelligendus videtur Augustinus, qui probabiliter notint, positum Sacramenti obicem à catechumeno, cùm ratione vteretur; vt iam non sit iuris quæstio, sed facti. Nam quemadmodùm si quis vsque ad tempus delirii idololatra fuerit, in delirio baptizandus non erit; ità si fortè de catechumini defectione à fide, & à sanis moribus inualuerit opinio; de Baptismo illi in extremis impertiendo, variè statuendum erit, prout de inducto, aut non sublato Sacramenti obice plus minùsue constiterit. Quicquid autem sit de his casibus, non quærit Ferrandus an sit conferendus Baptismus adulto catechumeno, in extremis constituto, qui sui compos non sit; sed an collatus, illi prosit: ad quod est Fulgentio digna responsio, de quâ mox dicam.

Matth. 7. 6.

In Responsionem Fulgentij ad duas Ferrandi quæstiones.

QVID ILLE PERCIPIAT INDICARVNT] Proposito canone de baptizandis ægrotis qui pro se respondere non possunt, dixerat Ferrandus, magìs arbitrari se *quid Ecclesia facere debeat imperatum, quàm quid ille* (qui mentis impos baptizatur) *percipiat indicatum. Videlicet vt minister verbi liber sit à culpâ negligentiæ, non vt ille ostendatur consors particépsque iustitiæ.* Disertè respondet Fulgentius capite X *Hoc autem statuentes sancti Patres, & quid Ecclesia facere debeat, & quid ille per-*

69. c.

cipiat indicarunt. Neque enim hoc Ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Et sub finem capitis; *Quomodò autem*, inquit, *in hac negligentiâ culpam minister incurrit, si in diligentiâ non aliquid proficit?* Caue tamen existimes, absolutè sensisse Fulgentium saluos esse omnes catechumenos, quotquot suæ ad Baptismum dispositionis signa vi morbi edere prohibiti baptizantur. Conditionem adiecit, cùm ait; *Viderunt sancti Patres ream non esse voluntatem, quæ impedita cognoscitur, non mutata.* Si ergo mutata est voluntas, si catechumenus ante delirium apud se à fide Christi defecit, si minimè se è Christianis legibus vitam acturum decreuit; quamuìs ea mutatio nemini mortalium innotuerit; baptizatus licèt, non saluatur: quia nimirum gratiæ Sacramenti obicem posuit; qui obex in vniuersum duplex, nempe in fide vel in moribus. Nam si dicat catechumenus nolle se in Christum credere, sed idolis immolare velle, ad Baptismum non admittitur: si neget, se ab adulterio cessaturum, non baptizatur; aut si baptizatur, Sacramentum quidem recipit, non gratiam Sacramenti, adeóque nec saluatur. Ita si ægrotans respondere pro se ipse non possit; vtroque tamen illo, vel saltem altero impedimento intus in animo præpeditus baptizetur ad aliorum testimonium, neque sic salutem consequetur.

92. c. QVOMODO NON ACCIPIT QVOD IPSE FIT] His beati Fulgentij dictis, aut eis adiuncto S. Augustini sermone nihil est quod sibi blandiantur sacramentarij nostri; tanquam hi Patres corpus & sanguinem Christi solâ fide, & non re ipsâ à fidelibus percipi asseruerint. Nam Augustinus quidem hoc sermone (cui affinia habet multa sermo eiusdem LXXXIII. de diuersis), captâ præsertim occasione è naturâ specierum sacramentalium, quæ ex multis granis, aut vuarum acinis in vnum confluunt, recens baptizatos quasi modò genitos infantes hortatur ad vnionem animorum, & sinceram inter se caritatem, quâ nullâ ad realem Sacramenti perceptionem melior dispositio. Fulgentius verò eò solùm spectat vt probet, nihil nocere recens baptizato, si ob vim morbi non perceptâ sacrâ Eucharistiâ mori eum contigerit: quod à Ferrando quæsitum fuerat. Probat autem ex eo quòd factus membrum Christi per Baptismum, vel eo ipso corpori eius ac san-

ac ſanguini communicet. Quòd recentior theologia diceret, illum manducare carnem filij hominis & ſanguinem bibere, non in re ſed in voto: hoc eſt, in voluntate, quæ ſaltem tacita & interpretatiua, in ipsâ Chriſtiani conditione inuoluitur; niſi adſit contrarius actus per quem excludatur, quod accidit hæreticis noſtris. Hi enim cùm in Euchariſtiâ realem Chriſti præſentiam negent, certè ad eius ipſius ſacri cibi ſumptionem nullo, ne tacito quidem appetitu feruntur: vel ideò nullam neque gratiæ neque gloriæ vitam in ſeipſis habituri, niſi reſipiſcant.

SERMO BEATI AVGVSTINI] Integrum hunc ſermonem profitetur Fulgentius inſerere ſe epiſtolæ ſuæ: cui tamen laciniam hanc à fine adtexit auctor antiquus Collectionis ex Auguſtino in omnes epiſtolas Apoſtoli Pauli (qui habetur tomo VI. operum Bedæ) epiſt. 1. ad Corinthios. Statim enim poſt illa verba (*ſed teſtimonium contrà ſe*) ſubdit quæ ſequuntur. *Nulli eſt aliquatenùs ambigendum, tunc vnumquemque fidelium, Corporis, Sanguiniſque dominici participem fieri, quando in Baptiſmate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis, caliciſque conſortio; etiamſi antequàm panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participio ac beneficio non priuatur, quando ipſe hoc quod illud Sacramentum ſignificat inuenitur.* Quæ verba, vt apparet, deſumpta ſunt ex concluſione epiſtolæ Fulgentij; quibus nimirum ad quæſtionem à Ferrando propoſitam diſertè reſpondet. Non enim illo Auguſtini ſermone aliud probari ſignificauerat Fulgentius, quàm quòd per Baptiſmum fiant fideles membra Chriſti. Atque hinc deprehendas licet auctorem Collectionis illius ex Auguſtino in epiſtolas Pauli: quâ de quæſtione itum video ab eruditis in quatuor partes. Nam primò Baronius anno Chriſti 362. num. XVI. eam tribuit Petro Abbati Tripolitano, de quo ſic Caſſiodorus diuinarum Lectionum lib. 1. cap. VIII. *Petrus Abbas Tripolitanæ prouinciæ, Sancti Pauli epiſtolas exemplis opuſculorum Beati Auguſtini ſubnotaſſe narratur; vt per os alienum, ſui cordis declararet arcanum. Quæ ità locis ſingulis competenter aptauit, vt hoc magis ſtudio beati Auguſtini credas eſſe perfectum. Mirum eſt enim ſic alterum ex altero dilucidaſſe, vt nullâ verborum ſuorum adiectione per-*

73. n.

mixtâ, desiderium cordis proprij complesse videatur. Qui vobis inter alios codices (Dei gratiâ suffragante) de Africanâ parte mittendus est. Scribebat hunc librum Cassiodorus (vt ex eius præfatione colligitur) sedente Agapeto Papa, adeóque circiter annum Christi DXXXV. tribus ferè annis ab obitu Fulgentij. Dubium autem reliquit an Petrus Tripolitanus Fulgentio prior, an æqualis fuerit. Certè si fuit antiquior, ex eius epistolâ nihil referre potuit: si æqualis, eam epistolam aut nunquàm vidit (vt pote opusculi genus priuatum, & haud ita properè prodire solitum); aut si nouit, quomodò sermonem Augustini cum illâ confudit? quomodò à nouis, & hodie natis antiqua, & integro iam sæculo omnium manibus trita non discreuit? Non est igitur Petrus Tripolitanus vulgatæ illius ex Augustino Collectionis auctor. Quod & satis indicat citato loco Cassiodorus, Petri Abbatis Tripolitani Collectionem ex Augustino, recensens inter *annotationes epistolarum* (vt ipse loquitur) *à nonnullis breuiter comprehensas.* Nam quæ exstat inter opera Bedæ, Collectio in Epistolas Pauli ex Augustino, tam crassum opus est, vt vix ei vllus etiam perpetuus in easdem Epistolas commentarius mole exæquetur. Secundò, qui apud Sixtum Senensem eam suspicantur elaboratam à Bartholomęo Vrbinate Augustiniano, ducentis ab hinc annis auctore Milleloquij, nescierunt illam reperiri in vetustis codicibus, ante multa sæcula manu exaratis. Tertiò censuit Sigebertus eam esse Flori Abbatis: & nos Floro cuidam inscriptam vidimus in codice Corbeiensi, descripto ad annum Christi M. C. LXIV. quo restituta est ecclesia S. Iohannis Corbeiæ. Meminit quidem Sirmondus in Notis ad Auitum, Expositionis in epistolas S. Pauli, à magistro Floro collectæ ex decem patribus, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Paciano, Hieronymo, Ephrem Diacono, Paulino, Leone Papâ, Fulgentio, & Auito: vnde suspicari quis possit, ideò nihil ab eo in hoc opere ex Augustino delibatum, quòd seorsim ex illo vno iustum in easdem Pauli epistolas commentarium collegisset. Immò verò abstinuit Florus ab hoc negotio, cùm idipsũ à Venerabili Bedâ egregiè perfectum esse sciret sæculo proximò superiore. Sequor enim quartam sententiam Bellarmini, & communem, quæ id operis adscribit Bedæ. Primùm quia ipse de se ad finem Hi-

ſtoriæ ſuæ; *In Apoſtolum*, inquit, *quæcumque in opuſculis Sancti Auguſtini expoſita inueni, cuncta per ordinem tranſcribere curaui.* Deinde veterum exemplarium auctoritate. Nam antiquis & recentioribus typis pluries iam prodiit hæc Collectio, Bedę nomine: quod & præfert in pleriſque codicibus, ante multa ſæcula manu deſcriptis; vt in Elnonenſi, in Mertonenſi Oxoniæ, in Pontiniacenſi. Addo, & à Iarlando (qui ante annos quingentos vixit) Chryſopolitano Sancti Pauli ſcholarum præceptore, & Canonico, *Bedam in Epiſtolas Pauli ex Auguſtino*, paſſim laudari in Candelâ: quod opus de omni penè canonicâ, & theologicâ doctrinâ ex antiquis collectum, in ſex & viginti libros digeſſit. Cur autem hic Bedæ labor Floro à nonnullis attributus fuerit, cauſa fuiſſe videtur eius inſcriptio in quibuſdam codicibus, vt in Elnonenſi; *Bedæ liber Florum ex libris Beati Auguſtini, ſuper Epiſtolas Pauli Apoſtoli*: interdum etiam tacito Bedæ nomine, vt in codice Cantabrigienſi; *Pars prima Florum, &c.* Hinc enim pronum fuit vt ab imperito aliquo inſcriberetur, *Liber Flori*, vel *Pars prima per Florum*, aut *ſecundum Florum*, *&c.* Fortaſſe etiam adnotato Flori vt poſſeſſoris nomine, ex eo illum auctorem vulgus putauit. Fatetur enim Vuandalbertus Diaconus, in præfatione metrici ſui Martyrologij ad Otricum illuſtrem clericum, ſe ope ac ſubſidio præcipuè vſum *ſancti & nominatiſſimi viri Flori, Lugdunenſis Eccleſiæ ſubdiaconi*: *qui vt noſtro tempore* (inquit) *reuerà ſingulari ſtudio, & aſsiduitate in diuinæ Scripturæ ſcientiâ pollere; ita librorum authenticorum non mediocri copiâ, & varietate cognoſcitur abundare.* Cæterùm huius collectionis exemplar nacti ſumus tam antiquum, vt nondum nato Floro manu deſcriptus videatur; támque emendatum, vt omnes eius editiones typis hactenus impreſſas, locis penè infinitis reſtituat: præſertim in deſignandis Auguſtini veris locis, vnde ſingulæ decerptæ ſunt ſententiæ. Ex quo exemplari recenſitum hoc opus, iunctis Eugippij ex eodem Auguſtino Excerptis, ad vetuſtiſſima quæ vidimus exemplaria recognitis (ſi Deus fauerit) edere iamdudum cogitamus: Notáſque addere, quas ad legitima Auguſtini opera diſcernenda haud inutiles futuras confidimus.

Ad Epistolam Ferrandi de quinque quæstionibus.

76. c. LIBRVM DE REGVLA VERÆ FIDEI] Hic est liber de fide ad Petrum, olim adscriptus Augustino, sed Fulgentio deinde vindicatus: de quo hoc tantùm moneo, me illum vidisse, etiam in antiquis membranis inscriptum Fulgentio.

76. c. IOHANNEM TARRENSEM EPISCOPVM] Sic lego ex codice Iurensi, non vt in editis Tharsensem. Est Τάῤῥον oppidum Mauritaniæ Cæsariensis, Ptolemæo lib. IV. cap. II. Est & Τάῤῥαι vrbs Sardiniæ maritima, apud eumdem lib. III. cap. III. quæ putatur *Tharros* Antonini. Vtrius ciuitatis Iohannes iste Episcopus fuerit, non liquet: nam Afer Fulgentius & ad Afrum Episcopum scripsisse potuit, & ad Sardum; præsertim cùm in Sardiniâ diù extorris degerit, & à Ruspe longè propiùs abesset Sardinia quàm Tarrum Mauritaniæ Cæsariensis. Itaque rem in medio relinquo.

77. a. INFANTI HERMIÆ] Codex Iurensis *Ermiæ*. Codex Thuanus *Hieremiæ*. Infantem verò opinor dici, recens baptizatum, quamlibet fortasse vir esset, aut etiam senex. Nam eo sensu inscriptus est sermo S. Augustini, quem priori suæ epistolæ illigauit Fulgentius; *Ad infantes, de Sacramento*. & infantum, eodem intellectu sæpè aliàs mentio apud Augustinum. Quæ loquendi ratio nata videtur ex verbis Apostoli Petri; *Sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem*; quibus nempe admonebantur qui recens baptizati erant, vt se veterem hominem deposuisse, ac nouam vitam viuere debere meminissent.

1. Pet. 2. 2.

In Responsionem Fulgentij ad quinque quæstiones.

NIHIL PRÆIVDICARE FIDEI] Quæsierat Ferrandus *Vtrùm Dei Filius, sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus; ità eius diuinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam.* Nihil id quidem fidei præiudicare respondet Fulgentius: & probat vtcumque ex Paulo Apostolo; atque ex Augustino, Leone, Gelasio, & Ambrosio sanctis Patribus. Quibus accedere possunt, Athanasius libro de Incarnatione, apud Cyrillum libro de fide ad Reginas: Cyrillus ipse epistolis tribus, ad Acacium Melitenæ Episcopum, ad Eulogium Presbyterum Constantinopolitanum, & ad Sucensum Episcopum secundâ: Damascenus lib. III: de fide orthodoxâ, cap. VI. & XI. *Naturam Dei Verbi incarnatam* dicentes; quæ tamen propositio non est eiusdem planè fori cum illis de quibus quæsiuit Ferrandus: cùm Damascenus citatis locis admittens quòd Verbi diuinitas incarnata sit, neget dici posse quòd passa sit. Dubitandi autem de his propositionibus ratio ex eo nata est, quòd Eutyches, & ante illum alij (de quibus Athanasius in opusculo aduersùs eos qui dicebant; *Iudæus est qui non confitetur Deum esse passum*) cùm vnicam in Christo naturam agnoscerent, Christúmque Deum esse non negarent, consequenter diuinitatem eius natam, passámque esse profitebantur. Hinc dissidia etiam inter Catholicos; metu scilicet ne eâ vel admissâ vel reiectâ loquendi formulâ, aut cum Arrianis, aut cum Patripassianis, aut cum Eutychianis, aliísue hæreticis sentire viderentur. Omnes tamen illas propositiones probauit hoc loco Fulgentius, ac post eum Ferrandus in epistolâ ad Anatolium; sed cum cautione duplici; prima, vt non simpliciter diceretur diuinitatẽ esse incarnatã, sed diuinitatem Verbi: quod pernecessarium censuit quoque Damascenus locis citatis; ne videlicet secundùm Sabellianos, Pater etiam, & Spiritus sanctus

91. c.

incarnati putarentur. Altera, vt neque diuinitas Verbi absolutè nata aut passa diceretur, sed *secundùm carnem assumptam*: quâ nimirum particulâ & significarentur aduersùs Eutychianos duæ in Christo naturæ; & non tribueretur Christo diuinitas per seipsam passioni obnoxia, adeóque paternâ diuinitate inferior, secundùm ARRIANOS. Cæterùm quamuìs recentior theologia non recipiat in scholis prædicationes, vt loquuntur, abstractas vnius Christi naturæ, aut eius proprietatum de alterâ naturâ; abstinendum nihilominùs censeo ab antiquis, sanctísque Patribus (vt nonnulli audent) inuerecundiùs carpendis; atque à notandis iis qui cùm adiectis quas diximus cautionibus aliter loquantur. Primùm quia eiusmodi abstracta emphasim habent ad extollendam Dei bonitatem, valéntque plurimùm ad antitheses: vt cùm dicitur coarctata immensitas, vita mortua, maiestas exinanita, & alia eiusdem generis. Secundò quia eædem abstractæ prædicationes, eo aptiores sunt ad explicanda mysteria, quo accommodatiores ad vulgi captum, quod vt plurimùm res ipsas materialiter spectat, & in iis formales atque abstractos conceptus à concretis non distinguit. Tertiò quia ob varias, eásque inter se contrarias, priscis illis sæculis obortas hæreses, mediâ viâ incedendum Patribus fuit, & permittendæ (tametsi cum cautione) loquendi plurimæ rationes; vt continerentur populi in rectâ fide, aut certè ab erroribus reuocarentur, à quibus deinde visum est mutatis temporibus abstineri debere: vt patet in propositionibus de tribus capitulis, de vno ex Trinitate passo, de ingenito, & aliis quibus hæ quoque accensendæ sunt. Ac mihi quidem videtur, has propositiones de natâ & passâ Verbi diuinitate, à Fulgentio ac Ferrando permissas esse; vt earum auctores Eutychiani, atque ACHEPHALI, hac scilicet indulgentiâ deliniti, ab impiis suis dogmatibus ad catholicæ Ecclesiæ causas suauiùs reducerentur. Quartò denique quia hæ propositiones expositæ vt par est, atque vt à FVLGENTIO ac FERRANDO exponuntur; veræ sunt in sensu reali, siue identico, quamuìs falsæ in sensu formali. Itâ S. Thomas opusculo primo contrà errores Græcorum, cap. XVIII. docet, hanc propositionem, *Deitas Verbi est homo*, vel *Deitas Verbi incarnata est, seu facta est homo*, veram esse *per identitatem*, non autem *per infor-*

mationem. Sed in propositione de Deitate passâ, vt vera sit in sensu identico, distinguendi sunt quatuor veluti gradus, secundùm quatuor diuersos terminos, aut diuersas suppositiones terminorum. Nam primò, si dicas tantùm, *Deitas est passa*, falsa est propositio etiam in sensu reali: quia si illa res quę est Deitas, passa est; cùm in Patre & Spiritu sancto sit Deitas, liceret quoque dicere cum Sabellianis Patrem & Spiritum sanctum esse crucifixos. Secundò, si dicas, *Deitas Verbi passa est*; falsa est enunciatio in sensu reali: non enim illa res passa est, quę est Deitas Verbi; quod dicerent Arriani, qui Verbo Deitatem tribuunt creatam, & paternâ inferiorem. Tertiò, si dicas, *Deitas Verbi passa est cum carne assumptâ*; itâ vt passionem intelligas partim in Deitate Verbi receptam, partim in humanitate, tanquam in subiectis inadęquatis, sed tamen propriis ac proximis; ne sic quidem vera est propositio etiam in sensu reali siue identico. At si quartò dixeris, *Deitas Verbi passa est in carne assumptâ*, hoc est, *secundùm humanitatem assumptam*, verè loqueris in sensu reali & identico; quia significas, illam rem quę est Deitas Verbi, non in suâ naturâ, nec subiectiuè, nec denominatiuè primò & per se, passam esse; sed in suâ personâ denominatiuè, ratione humanę naturę quam terminat; in quâ recepta est passio vt in proprio subiecto inhęsionis. Hoc ipsum Fulgentius, & Ferrandus, aliique Patres, si non iisdem verbis, certè sensu eodem. Fingere autem summos illos viros de nostro ingenio, & hodiernæ theologię linguam docere velle; ac si eam non loquantur, graues illorum sententias aut spongiâ delere aut limâ radere; hoc est, opinor, audire velle à sapientibus, *Sus Mineruam*.

BEATÆ MEMORIÆ PAPA GELASIVS] Insignia quatuor loca hìc refert Fulgentius ex libro Gelasij Papę, *quem* (inquit) *conscripsit aduersùs eos qui in Domino IESV Christo, duarum naturârum nolunt indiuisam credere veritatem, sed eas vnius naturæ professione confundunt*. Quæ omnia loca reperiuntur in libro qui inscribitur in Bibliothecâ Patrum, *Gelasij Episcopi Romani, de duabus naturis in Christo, aduersùs Eutychen & Nestorium*. De huius operis auctore multa Canus lib. VI. de locis theologicis, cap. VIII. ad nonum argumentum; Suffridus Petri in prǽfatione ad Gennadium de scriptoribus ecclesiasti-

96. c.

cis; Bellarminus lib. II. de Eucharistiâ, cap. XXVII. & lib. de script. eccles. in Gelasio Papâ, & in Gelasio Cyziceno; Baronius anno Christi 496. numero II. & sequentibus; Posseuinus in Apparatu sacro; Collectores Bibliothecæ Patrum in præfatione libri eiusdem. Illud constat, librum huius argumenti conscriptum esse à Gelasio Papâ primo, de quo sic Gennadius in plerisque exemplaribus tum cusis, tum manuscriptis (scio enim hæc abesse à quibusdam); *Gelasius Vrbis Romæ Episcopus scripsit aduersùs Eutychen, & Nestorium, grande & præclarum volumen.* Item liber de Romanis Pontificibus, in codice Thuano qui definit in Vitâ Cononis, & longè ante Anastasium Bibliothecarium non modò compositus, sed etiàm manu descriptus est, in Gelasio Romano Pontifice LI. *Hic fecit libros V. aduersùs Nestorium, & Eutychen.* Idèmque ex his hausêre Honorius Augustodunensis, & Trithemius Abbas. At de auctore libri in vulgatis editionibus Gelasio inscripti, mea hæc est sententia.

Primò, auctorem illius opusculi non esse Gennadium, sed Gelasium. Nam *Gelasio* illud vindicant & eius penè æqualis Fulgentius, hoc loco: & Ioannes Papa II. in epistolâ ad Auienum, aliósque illustres viros, de duabus Christi naturis, quædam *Gelasij* verba citans *ex libro aduersùs Nestorium, & Eutychen*, quæ habentur in eodem opere vulgato, sub initium.

Secundò, non esse Gelasium Cæsareæ Palæstinæ Episcopum, de quo Hieronymus in catalogo; quià ille vix nascentem Eutychis hæresim vidisse potuit, nedum latè disseminatæ superstes esse.

Tertiò, non esse Græcum, sed Latinum scriptorem; quod idiotismi Latini, & tota orationis facies probat.

Quartò, eum esse Gelasium Papam eius nominis primum. Hoc persuadet Fulgentij auctoritas, qui plurimas ex eo ipso opere peruulgato sententias describens, illud *beatæ memoriæ Papæ Gelasio* apertè tribuit. Incredibile est enim, hallucinatum Fulgentium virum solertissimum, in appellando auctore tanti nominis ac dignitatis; natione etiam Afro, eóque populari suo: quem & vidisse potuit (vt quo obeunte iam esset propè tricenarius), & æqualium saltem suorum relatu nosse debuit. Sed addo

Quintò,

Quintò, breuiorem esse librum Gelasij qui nunc exstat, illo quod conscripsit grandi & in quinque libros diuiso volumine; non quòd ille sit huius epitome; sed quòd eius pars tantùm sit, ab initio atque à fine truncata. Id manifestè ostendit, & abruptum exordium, *Necessarium quoque fuit, &c.* & prætermissa plurimorum Patrum, præsertim Latinorum testimonia, quæ nec negligi à Gelasio debuerant, nec potuerant ignorari.

Neque verò alienum censeri debet à Gelasio Papâ, quòd ex Eusebio Cæsariensi Episcopo nonnulla in rem suam protulerit, cuius historiam apocryphis adnumerat in decreto de scripturis: nam in eo ipso decreto, paucis antè versibus de Eusebio eodem hæc habet; *Item Chronica Eusebij Cæsariensis, atque eiusdem Historiæ ecclesiasticæ libros; quamuis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & pòst in laudibus atque excusatione Origenis schismatici vnum conscripserit librum; propter rerum tamen singularium notitiam, quæ ad instructionem pertinent, vsquequaque non dicimus renuendos.* Ergò non quæcumque apochrypha declarat, eò planè reiicit, sed in quibusdam tantùm vitanda, atque adeò cum cautione legenda significat. Adde quòd cùm solam Eusebij Historiam in apocrypha referat, ex eâ nihil in hoc aduersùs Nestorium & Eutychen libro profert; sed tantùm ex eius Expositione in psalmum XVII. & ex libro VII. Euangelicæ præparationis.

Quòd denique non sit notandus huius auctor operis, quia parum propriè vnam Christi naturam pro vnâ personâ dixerit: aut panis & vini substantiam vel naturam appellarit ipsa eorum accidentia, quæ vulgò species eucharisticæ; docent Bellarminus lib. II. de Eucharistiâ, cap. XXVII. & pluribus Baronius anno Christi 496. à numero IX.

IN HOEDI COMESTIONE] Ad quintam Ferrandi quæstionem de duplici calice cœnæ apud Lucam, respondens Fulgentius; *Alij verò dixerunt*, inquit, *in vtroque calice illud ostendi, quod in veteri testamento præceptum est; vt qui Pascha primi mensis, agnum comedendo non egerit, in secundo mense in hœdi comestione peragat.* At nihil tale occurrit in textu veteris testamenti: nam Exodi quidem capite XII. versu 5. iubetur agnus aut hœdus præparari ad celebrandum Phase; optione alterutrius cuique permissâ; vt est communis interpretum sensus. 120. a.

Porrò Numerorum capite IX. versu 10. & 11. nullâ factâ hœdi vel agni mentione, præcipitur per Moysen à Deo filiis Israël, vt si quis ex illis propter legalem immunditiam, Phase primo mense non immolauerit, *faciat Phase Domino in mense secundo, quartadecimâ die mensis ad vesperam.* additúrque versu 12. *Omnem ritum Phase obseruabunt.* Nulla vtrobique mentio hœdi in secundum mensem seruati. Singularis ergo est, si litteram spectes, & minimè amplectenda, ista horum Scripturæ locorum interpretatio, quam refert Fulgentius: cuius vestigium aperit Rabbi Moses Gerundensis, asserens primo mense iussum occidi agnum, Sole nimirum signum Arietis obtinente. Quia cùm Ægyptij arietem vt Deum superstitiosè colerent; in agni ariete geniti immolatione, ipsum Ægyptiorum vanum numen, vero Hebræorum Deo quasi subiiciebatur. In mense autem secundo iam Sol Arietem prætererat. Vnde videtur creditum à nonnullis, permissum in Phase vtrumque animal; non promiscuè, vt alterutrum cuilibet liceret eligere; sed hac scilicet conditione, vt primo mense agnum dumtaxat, secundo mense non nisi hœdum fas esset immolare. Rectiùs autem, opinor, hunc locum allegoricè quis explicuerit. Cùm enim sciret Fulgentius, aut alius auctor cuius ille sententiam refert; agno quidem innocentiam, hœdo autem pœnitentiam mysticè designari; allegoriam allegoriæ; velut auro gemmam illigans, documentum ingessit, vt qui legem non implesset in agno, saltem in hœdo seruaret: hoc est, qui per peccatum innocentiâ excidisset, ad pœnitentiam confugeret. His non absimilia S. Odo Abbas Cluniacensis lib. II. Collationum siue Occupationum, cap. XXXI. *Namque propter pœnitentes* (sic habet codex noster manuscriptus) *iussum est vt hœdus tollatur cum agno: vt si quis post lauacrum ceciderit, & cum stantibus agnum comedere non potuerit, vel hœdum comedat qui semper pro pœnitentibus mactatur. Non quòd Christus hœdus sit; sed pro diuersitate meritorum aut agnus aut hœdus vnicuique fit. Hinc item iubetur, vt qui in primo mense, id est, in eâ gratiâ quam in Baptismo percepit, Pascha facere non poterit; saltem in secundo mense: id est, in pœnitentiâ, quæ post naufragium secunda tabula est, illud faciat, id est, hœdum indulgentiæ percipiat.* Hæc se collegisse fatetur S. Odo ex Paschasij Radberti libro de corpore & san-

guine Domini: qui capite XXII. Hieronymum quoque in eandem allegoriam trahit; *De quo*, inquit, *diuinæ legis interpres Beatus Hieronymus ait, quòd Christus in domo Ecclesiæ dupliciter immolatur. Si iusti sumus, inquit, de agni carnibus vescimur: si peccatores, & pœnitentiam agimus, nobis hædus occiditur. Non quòd Christus hædus sit, quos à sinistris stare docuit; sed pro diuersitate meritorum, vnicuique aut agnus aut hædus fit. Alioqui, ex lege cur hædum simul cum agno iuberet tolli, nisi ob meritorum distinctionem?* & post pauca; *Vnde & alio loco de Pascha præcipitur, vt qui primo mense Pascha facere non potuerit, secundo faciat: id est, Si cum perfectis, in primo mense quasi in primâ gratiâ, sine mortis reatu agnum edere non potuerit; saltem secundo mense, id est, in pœnitentiâ reatus sui, hædum indulgentiarum percipiat.*

In Epistolam Ferrandi ad Egippium.

EGIPPIO PRESBYTERO] Est ad Eugypium Abbatem epistola S. Fulgentij de caritate & eius dilectione: quâ & libros ad Monimum à se conscriptos ad eum dirigit, sanctum fratrem & Compresbyterum eum appellans: idem enim fuit & Abbas & Presbyter. Isidorus de Scriptoribus ecclesiasticis cap. XIII. (in MS. codice S. Augendi peruetusto) *Eugipius Abbas*, inquit, *ad quendam Paschasium Diaconem libellum de Vitâ sancti monachi Seuerini transmissum, breui stylo composuit. Scripsit etiam & regulam monachis consistentibus in monasterio sancti Seuerini, quam eisdem moriens quasi testamentario iure reliquit. Claruit post consulatum Importuni iunioris, Anastasio Imperatore regnante.* Eundem ipsum Paschasius Diaconus, tacito Abbatis nomine Presbyterum appellat, datâ ad eum epistolâ post acceptam ab eo S. Seuerini rerum gestarum historiam: quam accuratè recensitam, post alios complures edidit Ioannes Bollandus noster, ad octauam diem mensis Ianuarij. Apud Isidorum legit Andreas Schottus ex alio exemplari; *Eugipius Abbas Lucanensis oppidi Neapoli Campaniæ. Hic ad quendam, &c.* quæ verba Isidorum non sapiunt, & speciem habent glossematis

129. b.

à recentiore quopiam parum perito inculcati: non enim Eugipius, Abbas fuit Lucanensis oppidi Neapoli Campaniæ; sed Lucullani monasterij, à sancto Seuerino nuncupati, ad Neapolim Campaniæ. Quod verò ait Isidorus, claruisse Eugipium *post consulatum Importuni*, hausisse videtur ex ipsius Eugipij præfatione ad Vitam S. Seuerini, quâ Paschasio significat, scribere se biennio post Importuni consulatum, qui inciderat in annum Christi DIX. At quod addit Isidorus, *iunioris* negotium facit, quia Importunum seniorem fasti nullum exhibent. Andreæ Schotti coniectura est, legendum hoc loco; *Post consulatum Importuni, & Decij iunioris;* cùm Decius aliquis senior, primo aut altero ante anno Consul fuerit. Venantium intelligit, quem cognomento Decium Baronius ex Panuinio scripsit. Sed non Cassiodorus, non Marius Auenticensis, non Marcellinus Comes, aut veterum alius quisquam Importuno collegam appinxit: immò antiquus auctor, quem cum suis Fastis edidit Panuinius, & Cuspinianus suo in Cassiodorum commentario integrum inclusit, eius consulatum sic enunciat; *Importuno V. C. Consule solo.* Petendam igitur censeo nodi huius soluendi rationem ex epistolâ Theoderici Regis ad Senatum Vrbis Romæ, (apud Cassiodorum lib. III. variarum, epist. VI.) quâ Importunum Consulem ac Patricium, ex Deciis fuisse confirmat: quâ de causâ aut Importunus Decius appellatus est (vtì apud Panuinium), aut Decius Importunus iunior: quo factum, vt qui vnico nomine designabant Consules, Importunum iuniorem adnotarent. Erat enim perhonorifica in fastis appellatio *iunioris*, vt quæ paternum aut auitum consulatum proderet. Quare Isidorus scitè Importunum iuniorem dixit: nempe illum, quem & Decium omnes nossent: cuius fortasse pater Decius anno Christi CDLXXXVI. cum Longino Consul fuerat, aliique ex eâdem clarissimâ gente eodem magistratu functi erant. Cæterùm ab hoc Eugipio diuersum non censeo illum, de quo ità Cassiodorus libro de Institutione diuinarum Scripturarum, cap. XXIII. *Conuenit etiàm vt Presbyteri Eugippij opera necessariò legere debeatis: quem nos quoque vidimus, virum quidem non vsque adeò sæcularibus litteris eruditum, sed Scripturarum diuinarum lectione plenissimum. Hic ad parentem nostram Probam, Virginem sacram, ex operibus sancti Augustini*

valde altissimas quæstiones, ac sententias, diuersásque res deflorans, in vno corpore necessariâ nimis dispensatione collegit: & in CCCXXXVIII. *capitulis collocauit. Qui codex, vt arbitror, vtiliter legitur; quando in vno corpore diligentiâ studiosi viri potuit recondi, quod in magnâ bibliothecâ vix præualet inueniri.* Sic lego ex MS. codice, emendatiùs quàm in vulgatis. Sed cauendam Augustiniani huius Thesauri in duos tomos digestam editionem, & Basileensem anni 1542. & Venetam anni 1543. admonent Bellarminus libro de scriptoribus, & Posseuinus in Apparatu; ne qua illi ab hæreticis errorum fuligo aspersa sit. Cui malo facilè medebitur, si quis eas editiones ad antiquos Eugippij codices recensuerit; ac præcipuè ad Elnonensem, qui (teste Antonio Sandero in Biblioth. Belgicâ) circa annum Christi DCCCXXVIII. manu descriptus est. Vel certè ad Cluniacensem, nihilo fortasse minùs antiquum: in quo legi Eugippij Excerptorum ex Augustino capita omnino CCCLXII. Ex quo emendandi videntur, Cassiodorus qui tantùm censet CCCXXXVIII. & Trithemius qui dumtaxat trecenta.

FERRANDVS EXIGVVS] Sic & in epistolâ ad Pelagium & Anatolium; *Dominis beatissimis, & deuotis obsequiis venerabiliter prosequendis, sanctis fratribus & Condiaconis, Pelagio & Anatolio Ferrandus exiguus.* Et Crisconius in præfatione Breuiarij; *Domino verè sancto, sempérque beato Pontifici Liberino Crisconius Christi famulorum exiguus.* Sic & *Anastasius exiguus*, in præfatione versionis Actorum Dionysij Martyris è Græco Methodij textu: & in præfatione Historiæ mysticæ nondũ editæ, quam idem Anastasius Bibliothecarius è Maximi, & Germani Constantinopolitani Græcis eiusdem argumenti tractatibus excerpsit. Sic & *Rabanus exiguus*, in præfationibus Commentariorum eius in Deuteronomium, & in Iudices. Nemo tamen aut Ferrandum, aut Crisconium, aut Anastasium, aut Rabanum, cognomento *Exiguos* dixit. Mirum est igitur, à plerisque recentioribus Dionysium natione Scytham, conditione & sede Abbatem Romanum, dici cognomento *Exiguum*; quòd in epistolis ad Petronium, & Bonifacium de ratione Paschę, pari animi modestiâ, pari Christianę demissionis affectu, exiguum se ipse appellarit.

129. b.

In Epistolam Ferrandi ad Seuerum.

132. b. SCHOLASTICVM CONSTANTINOPOLITANVM] Hoc est, Aduocatum. Scholæ nomen peruulgatum est apud antiquos, in re militari, in litterariâ, quin etiam in asceticâ: vnde apud Auitum Viennensem Episcopum, epistolâ XVII. *schola Eugendi* appellatur monasterium Iurense Condatescense, vacans per obitum Abbatis Eugendi: à quo etiàm Eugendo Abbate, miraculis latè celebri nuncupatum est idem ipsum monasterium, sed longè post Auiti tempora. A scholis *scholares*, & *scholastici* dicti, qui in eis exercebantur. Hæc prima huius vocis acceptio. Altera pro erudito. Hieronymus libro de Viris illustribus, cap. XCVIII. *Serapion Thomeos Episcopus, qui ob elegantiam ingenij, cognomen scholastici meruit.* Gennadius in catalogo, cap. LXXXIV. *Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & adsertionibus neruosus.* Dionysius Petauius noster, illud Synesij, epist. C. V. *Cura vt hæc scholastici sciant*, vtróuis modo explicat, cùm ait: *Scholasticos appellat eruditos ac politos homines, qui in Musæo Alexandrino litteris vacabant: quiúe aliàs eleganti erant ingenio, ac bonis artibus exercitato.* Tertium huius vocabuli vsum suggerit inter alios Heribertus Rosvveydus noster, in Onomastico ad Vitas Patrum; nempe pro Aduocato qui publicé ex officio causas ageret: probatúrque in primis ex canone XIII. Concilij Sardicensis, ex *Cod. Theod. l. 2. de concuss. aduocat.* & ex titulo XCVII. Collectionis Africanæ. Quartam scholastici significationem inuexerunt, præsertim in Gallias, sæcula recentiora: ex quo sancitum est à Karolo magno, vt scholæ fierent *per singula monasteria, vel episcopia*: hinc enim in ecclesiis cathedralibus institutæ sunt magistrales præbendæ quæ in eorum subsidium cederent, qui artium studiis, & scholis præficerentur. Hanc prębendam qui obtinet, hodiéque *Scholasticus* seu *Scholaster* appellatur; vulgò *L'Escholastre ou le Capischol*; quasi dicas, *Caput scholæ*. At nihil ista pertinent ad Seueri Scho-

Lib. I. Capitulo LXXII.

lastici æuum, nihil ad patriam Constantinopolim; nihil etiam ad conditionem laïcam, satis notam ex Ferrando, qui eum dumtaxat *virum prudentißimum* nuncupauit; *sanctum fratrem* (eâdem formâ, quâ Egippium, Pelagium, & Anatolium) appellaturus si de clero fuisset. Iuxtà tertiam igitur acceptionem Seuerum Ferrandus *scholasticum* nuncupauit, hoc est, *aduocatum*. Pręcessit autem proximè Iustiniani edictum de fide, hęc eius nomine & iussu à Seuero Aduocato proposita quęstio; vti nos in pręfatione ad Lectorem iam admonuimus.

VATICINIVM IEREMIÆ PROPHETÆ] Locus iste est ex Baruch, cap. III. versu 36. Sic & Fulgentius aduersùs Pintam cap. VII. & Vigilius Tapsensis Episcopus, in Dialogo contra Arrium, Sabellium, & Photinum, loca quędam citant ex prophetiâ Baruch, sub nomine Ieremię: quod & faciunt Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, Sixtus Papa I., Felix IV., & Pelagius I. locis quæ colligit Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. VIII. Non quòd isti Patres non viderint, diuersum fuisse Baruch à Ieremiâ, & distinctam à Ieremianâ edidisse prophetiam: sed quia cùm Baruch Ieremiæ notarius ac discipulus fuerit; & perbreuem scripserit prophetiam, quæ etiàm epistolam Ieremiæ complectitur; ea prophetia & Ieremianæ post omnem memoriam subnexa est ad modum auctarij, & sub Ieremiæ præcipui auctoris nomine comprehensa. Quare, in antiquis Scripturarum sacrarum canonibus nulla fit mentio prophetiæ Baruch: neque enim ille aut accensetur Prophetis duodecim minoribus, aut maiorum Prophetarum quaternarium auget; sed post Ieremiam, vt dixi, appendicis loco colligitur. Vnde malè ratiocinantur, qui ex eo prophetiam Baruch apud antiquos canonicam fuisse habitam negant: nam si eam canonicam antiqui non iudicassent, non eam Ieremiæ nomine toties produxissent. Neque ab his dissentit Hieronymus, Prologo in Ieremiam; aut prophetiam Baruch canonicis libris adnumerandam negat: sed tantùm indicat, eam (cùm in Hebræo textu non reperiatur, sitque opus à Ieremiâ diuersum) quamuìs à Græcis & Latinis solitam scribi post Ieremiam, tamen à se proprio in Ieremiam commentario non explicari.

140. a.

DONEC VNIVERSALIS ECCLESIÆ AVCTORI- 146. b.

TATE] Vel hinc agnoſcis, nondum à Ioanne Papa II. fuiſſe approbatam propoſitionem *Quod vnus de Trinitate ſit paſſus*, cùm hæc Ferrandus ſcriberet, contrà quàm opinatus eſt Sirmondus noſter ad paginam 13. Facundi Hermianenſis. Sed neque iam edito decreto pontificio, Ferrandum ſuper eâ quæſtione Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus quaſi dubitans conſuluiſſet. Quare, cum Ioannis Papæ II. epiſtola decretalis, ad annum Chriſti DXXXIV. aptè à Cardinali Baronio referatur; vtramque Ferrandi epiſtolam eodem argumento, ad Seuerum, & ad Anatolium datam, aliquantò priùs conſcriptam fuiſſe cenſeo.

In Epiſtolas Fulgentij, & Ferrandi ad Reginum Comitem.

147. a. REGINVM COMITEM] Reginus Latinis notum nomen. Meminit Aulus Hirtius de bello Africo, Regini Equitis Romani, Scipionis familiariſſimi: Regini Epiſcopi, Collectio Africana, numero XXXIII. & LXXVIII. & Concilium Epheſinum, Rhegini Conſtantiæ Cypri Epiſcopi. Sed & Victor in Hiſtoriâ perſecutionis Africanæ, libro II. promulgatum ait edictum Hunerici Regis de totius Africæ Epiſcopis Carthaginem cogendis, *Legato Zenonis Imperatoris Regino præſente*. Sic enim habent codices antiqui melioris notæ: non (vt in vulgatis) *Legatus Zenonis Imperatoris, Reginâ præſente*. Hoc edictum cùm annum ſpectet Chriſti CDLXXXIII. non exiſtimauerim, Legatum hunc Zenonis Reginum ad Fulgentij & Ferrandi tempora perueniſſe. Fuit igitur Reginus hic Comes, natione (vt videtur) Afer, religione Catholicus, militari dignitate Dux: primùm ſub Rege Vandalorum Gilimere (cùm ſcilicet ad eum Fulgentius ſcriberet); deinde ſub Iuſtiniano Imperatore, poſt receptam Africam, cùm illum ad magiſtratum militarem piè ſanctéque gerendum Ferrandus hortaretur. Alioqui non dixiſſet, Regulâ V.; *Nec priùs cogites quomodò eos regas imperialibus legibus, ſed quomodò corrigas eloquiis ſpiritalibus.*

bus. Nec præmisisset paucis ante versibus; *Duc ad eam (* Ecclesiam catholicam *) volentes, compelle nolentes; non dolore suppliciorum, non metu gladij sæuientis; sed modestâ correptione, & seueritate plenâ dilectionis.* Nam ab obitu Trasamundi Regis, reuocatis ab Hilderico Catholicis Episcopis extorribus, licuit quidem catholicam religionem profiteri; at Arrianos ad eam compellere non licuit, nisi Romanis per Belisarium Africâ potitis: frustrà autem Reginum dehortaretur, à cogendis ad fidem catholicam militibus, cùm idipsum regiis legibus vetitum esset. Nunc quantulo interuallo magnæ istæ mutationes acciderint, ex rerum gestarum sequenti serie agnosce.

Anno Christi DXXXII. respondit Fulgentius ad priorem quæstionem Regini Comitis, Vtrùm caro Christi, corruptibilis fuerit an incorruptibilis.

Anno DXXXIII. Kalendis ipsis Ianuariis, die Sabbati, Beatus Fulgentius (vt in Notis ad eius Vitam certis argumentis demonstrabitur) felicem animam efflauit.

Anno eodem DXXXIII. qui tertio Iustiniani consulatu notatur, Belisarius qui verno tempore cum classe soluerat Constantinopoli, Carthagine potitur XVI. Septembris, die ipso festo S. Cypriani Carthaginiensis olim Episcopi: indéque totam Africam, fusis fugatísque Vandalis, post medium Decembrem recipit.

Hoc ipso anno, vel proximè sequenti, alteri Regini Comitis quæsito satisfactum videtur à Ferrando, per librum de septem innocentiæ regulis: Vandalis iam Africâ totâ, aut saltem Carthagine expulsis.

Ad Epistolam Ferrandi ad Anatolium Diaconum Vrbis Romæ.

DIACONVM VRBIS ROMÆ] Septenarium Diaconorum numerum, cuius prima origo Actorum cap. VI. ne in magnis quidem ciuitatibus excedendum esse, sancitur in Concilio Neocæsariensi, canone XIV. quem etiàm inculcant in suis Collectionibus, Ferrandus cap. CIV. & Cresconius 181. a.

cap. CXX. Hi ſunt qui in Synodo Romanâ ſecundâ ſub Silueſtro Papâ I. cap. VII. appellantur *Diaconi Cardinales*; in vitâ Fabiani Papæ, *Diaconi regionarij*. Quorum quanta fuerit olim dignitas, quanta auctoritas, eruditè explicant, Cardinalis Baronius, præſertim ad annos Chriſti, 34. & 112. & Ludouicus Creſollius noſter, lib. I. Myſtagogi, cap. XIX. Fuit certè illorum dignitas non minor, immò fortaſſe in multis ſanctior, eóque illuſtrior, quàm Diaconorum quibus poſteriora ſæcula & Cardinalium appellationem abſque adiuncto, & purpuram ac cætera maieſtatis inſignia adiecerunt. Immò videntur illorum ſæculorum Diaconi, ad primarias ſedes conſtituti, haud multùm diuerſi fuiſſe à Syncellis Eccleſiæ Orientalis, qui proximam à Patriarchis dignitatem obtinebãt: quorum etiam erant velut ſucceſſores deſignati. Ex quo intelligas quantos viros cogitare habeas, cùm Anatolium & Pelagium Romanæ, Ferrandum Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconos legis.

185. c. CVI POTVIT INESSE PECCATVM] Chriſtum natum dicit de carne eius, *cui potuit ineſſe peccatum*. Aduerte quàm cautè, quàm reuerenter de ſacratiſſimâ Virgine matre loquatur vir ſanctus: ſignificans, ne debitum quidem (vt in ſcholis dicitur) originalis maculæ ſe in eâ agnoſcere. Nam ſi potuit ei ineſſe peccatum, non ideò debuit. Hanc ſententiam, quòd Maria Deipara ne debitum quidem contraxerit peccati originalis, tuentur hodie grauiſſimi Theologi. Vide Ferdinandum Quirinum de Salazar in Defenſione pro immaculatâ Virginis matris Conceptione.

191. c PATRIPASSIANIS SOCIABVNTVR] Codex Iurenſis, *Patripaßionis*; fortaſſe abſque mendo: nam quia Patri paſſionem tribuebant, *Patripaſsionos*, ſeu *Patripaſsionios* à quibuſdam appellari nihil vetuit, deriuatâ voce à Patris paſſione; iuxtà id quod ait S. Leo epiſtolâ ad Turibium Haſturienſem Epiſcopum, contrà Priſcillianiſtas, data XII. Kalendas Auguſtas (ſic enim habet optimæ notæ peruetuſtus codex) Alipio & Ardabure Conſulibus; *Si ipſe eſt Filius qui & Pater, Crux Filij, Patris eſt paſsio*. S. Athanaſius libro de Synodis; *Tales enim ſunt*, inquit, *apud Romanos quidem* Πατροπασιανοὶ, *apud nos verò Sabelliani*. Communiſſimè tamen appellatione *Patripaſsiani* dicuntur Cypriano epiſt. LXXIII. Optato Mileuitano lib. V.

ſub initium, Auguſtino tract. XXXVI. in Ioannem, Leoni magno epiſtolâ citatâ ad Turibium, cap. I. Fulgentio libro contrà ſermonem Faſtidioſi, cap. XI. Hos verò à Nouatianis, Sabellianis, Praxeanis, & Hermogenianis ſolo nomine fuiſſe diuerſos (contrà quàm viſum erat Epiphanio) docet S. Auguſtinus libro ad Quoduultdeum de Hæreſibus, Hæreſi XLI.

194. *b.*

PASSVM CARNE] Sic habent quotquot vidimus exemplaria, non autem *paſſum in carne*. Et ſic etiam infrà, pag. 205. b. Chriſtum leges *paſſum humanitate*. Quæ loquendi ratio placuit Ferrando, vt expreſſiùs ſignificaret, carnem ſiue humanitatem eſſe *id quo* paſſus eſt Chriſtus; non tanquam inſtrumento actiuo, ſed tanquam ſubiecto proprio inhæſionis (vt loquitur ſchola) in quo recepta eſt paſſio.

Ad Vitam Sancti Fulgentij auctore Ferrando.

209. *b.*

GEYSERICVS CARTHAGINEM VICTOR INVADENS] Captam à Geiſerico Carthaginem notant Proſper & Marcellinus in ſuis Chronicis, Theodoſio XVII. & Feſto Conſulibus. Idatius anno Theodoſij XV. Qui characteres omnes anno congruunt Chriſti 439. Neque aberrat auctor antiquus fragmenti, quod ad calcem Proſperiani Chronici edidit Henricus Caniſius tomo I. Antiquæ Lectionis, ex MS. Auguſtano; qui Geiſericum Carthagine potitum refert, *poſt conſulatum Theodoſij XVII. & Feſti.* Nam hæc forma enunciandi conſulatus, eadem eſt (ex multorum vſu) cum priore illâ, & communi, quâ vſi ſunt Proſper & Marcellinus: idémque ſonat ac ſi diceretur; *Poſt initum conſulatum*; ità vt (quòd notauit Andreas Schottus in caput XIII. Iſidori de Scriptoribus) particula *poſt* pro *ſub* vſurpetur. Id in antiquis non ſemel à nobis obſeruatum eſt, maximè in Chronico Victoris Tunnonenſis; vbi enunciatis conſulatibus Beliſarij, & Baſilij, ſtatim ſubdit; *Poſt conſulatum Beliſarij anno ſecundo*: & *Poſt conſulatum Baſilij anno ſecundo.* Quâ ex formâ ſequitur, vt anno

proximè præcedenti, primi ipsi horum consulatus edici potuerint, *P.C. Belisarij* vel *Basilij*, absolutè: aut certè, *P.C. Belisarij*, vel *Basilij anno primo*. Neque huic praxi contrarium quidquam elici potest ex Collectione Africanâ, titulo CVI. vbi legitur; *Quòd si adhuc eiusdem anni Paschæ dies incertus est, ille præcedens adiungatur; quo modo solet Post consulatum in publicis gestis adscribi.* Immò ex hoc maximè confirmatur; quòd in eo canone facta videatur comparatio diei Paschæ præteriti, cum die editi consulatus: ità vt sicut dicitur; *post Pascha commissum* (exempli gratiâ) *VI. Idus Aprilis*; sic intelligatur, *post consulatum*, hoc est, post editum Kalendis Ianuarijs consulatum huius vel illius. Vsitatius tamen est (quod rectè admonet Baronius, anno Christi 310. num. 1.) *vt cùm quid factum legitur, Post consulatum, intelligi debeat contigisse illud anno sequenti à superioris anni Consulibus*: idque à plerisque, & iis antiquioribus scriptoribus vsurpatum est. Immò hac ipsâ ex causâ institutam esse eam formulam *Post consulatum*, vt annus sine Consulibus per præcedentis anni Consules designaretur, obseruauit Onuphrius Panuinius in Fastis, anno Vrbis conditæ M. LXI. qui notatur *Post consulatum decimum & septimum*, respondétque anno Christi CCCIX. Diem captæ à Geiserico Carthaginis, auctor fragmenti Augustani, & Prosper notant XIV. Kalendas Nouembris, Marcellinus X. Kalendas.

212.c. FAVSTVS] Hunc esse Faustum Præsidiensem Episcopum, cuius meminit Victor in Notitiâ prouinciæ Byzacenæ, & nominis, & temporis, & loci ratio persuadet. Est autem *Præsidium* inter Macomades & Tacapen in Tabulâ itinerariâ.

213.a. HVNERICI TYRANNI PERSECVTORIS] Edictum Hunerici de claudendis ecclesiis, & Episcopis aliò atque aliò proscribendis, datum est VI. Kalendas Martias, anno regni eius octauo, vt ait Victor in historiâ persecutionis Africanæ. Hoc autem pertinere ad annum æræ Dionysianæ CDLXXXIV. indicat Marcellinus Comes, illorum temporum scriptor, in Chronico, ad consulatum Theodorici & Venantij, qui hunc Christi annum spectat: & probatur euidenti argumento prioris edicti de cogendis Carthaginem totius Africæ Episcopis, quod nouem antè mensibus datum fuerat, atque in basilicâ metropolitanâ Carthaginiensi promulgatum

ipſo die Aſcenſionis dominicæ, XIIII. Kalendas Iunias (non XIII. vt olim legebatur), anno VII. Hunerici Regis. Fuit enim eadem dies ſubſcripti, & in Vrbe regiâ promulgati edicti. Itaque anno illo fuit littera dominicalis B. Paſcha X. Aprilis, Aſcenſio XIX. Maij: qui concurſus annum prodit Chriſti CDLXXXIII. ante quem vltimò euenerat anno CDX. & poſt illum primò contigit anno CDXCIV. vt ex antiqui Kalendarij methodo perſpicuum eſt. Fuit ergo prioris edicti certus annus CDLXXXIII. poſterioris CDLXXXIV. Quâ ex obſeruatione deprehendi poteſt Geiſerici vera regni periodus: non enim fuit annorum XXXIX. vt legitur apud Procopium libro I. Belli Vandalici; ſed (vt ait Victor lib. I. perſ. Afric.) annorum XXXVII. menſium trium; quibus fragmentum Auguſtanum addit dies ſex: qui numerandi ſunt à captâ Carthagine, die Octobris XIX. anni Chriſti CDXXXIX. ad diem Ianuarij circiter XXIV. anni CDLXXVII. Alioquin annus Chriſti CDLXXXIII. menſe Maio, non fuiſſet Hunerici ſeptimus: & annus CDLXXXIV. ſexto Kalendas Martias non fuiſſet eiuſdem Hunerici octauus; quod tamen ipſis edictorum tabulis inſcriptum, apud Victorem legimus.

MATERNVM IAM DESPICERE DOLOREM] Hauſiſſe iam tum videbatur Fulgentius è fontibus Saluatoris, qui tantùm duodenis, matri ſe clanculum ſubducens, triduano eam mærore confixit. Qui iam tricenarius, velut ſupplici inſultans; *Quid mihi*, inquit, *& tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Qui haud multò poſt; *Quæ eſt*, ait, *mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit; Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Qui denique morti proximus, *cùm vidiſſet matrem, & diſcipulum ſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ* (quaſi matrem oblitus); *Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo; Ecce mater tua.* Et hæc quidem piiſſimus Ieſus, *non quò maternæ refutet pietatis obſequia* (vt ſapienter Ambroſius, lib. VI. in Lucam, cap. VIII.) *Ipſius enim præceptum eſt; Qui non honorauerit patrem aut matrem, morte moriatur. Sed quò paternis ſe miniſteriis ampliùs quàm maternis affectibus debere cognoſcat. Neque tamen iniurioſè refutantur parentes; ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe quàm cor-*

214. c.
Luc. 2.
Ioan. 2. 4.
Matth 12. 48.
Ioan. 19. 26.

porum. Fortaſſe etiam Fulgentij hæc in matrem auſteritas diſciplinam monaſticam ſpectauit, quæ ab omni feminarum conſuetudine maximè abhorreret. Auctor antiquus qui mille ferè & ducentis abhinc annis vixit, in Vitâ S. Romani Abbatis, qui primus fundator fuit monaſterij Iurenſis Condateſcenſis, exinde à S. Augendo, nunc à S. Claudio nuncupati: agens de puellarum cœnobio, centum ampliùs monialibus conſtante, quod S. Romanus haud procul à virorum aſceterijs duobus conſtruxerat: quodque olim Balma, nunc S. Romanus de Rupe appellatur. *Tanta namque illis temporibus* (inquit) *inibi diſtrictio ſeruabatur, vt quæcumque Virginum illic causâ abrenunciationis intraſſet, foris non videretur vlterius, niſi extremâ tranſitus causâ deportaretur ad cimiterium. Et cùm in vicino Lauconnenſi monaſterio, mater fortaſsis filium, vel germana fratrem haberet; ſic neuter alteri aut viſu aut nuncio verſari noſcebatur in corpore, vt putaret vterque alterum iam ſepultum. Ne paulatim genuinæ recordationis gratiâ, mollitie quâdam profeſsionis vincla diſrumperent.* Nos de celeberrimi huius monaſterij Condateſcenſis hiſtoriâ proprium volumen iamdudum premimus. Reuoca interim quæ ſuprà adnotauimus ad caput CXXII. Breuiationis Ferrandi, vbi de extraneis mulieribus: & adde ex Poſſidio, in Vitâ S. Auguſtini, cap. XXVI. *Feminarum intra domum eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana ſoror, quæ vidua Deo ſeruiens, multo tempore vſque in diem obitus ſui Præpoſita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſeruiebant: quas perſonas ſanctorum Epiſcoporum Concilia in exceptis poſuerunt. Dicebat verò, quia etſi de ſorore & neptibus ſecum commorantibus nulla naſci poſſit mala ſuſpicio; tamen quoniam illæ perſonæ ſine alijs neceſſarijs, ſecúmque manentibus feminis eſſe non poſſent, & quòd ad eas etiam aliæ a foris intrarent, de ijs poſſe offendiculum aut ſcandalum infirmioribus naſci: & illos qui cum Epiſcopo vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus feminarum perſonis vnà commorantibus aut aduentantibus poſſe perire, aut certè malis hominum ſuſpicionibus peſsimè diffamari. Ob hoc ergo dicebat, nunquàm debere feminas, cum ſeruis Dei, etiam caſtiſsimis in vnâ manere domo: ne (vt dictum eſt) aliquod ſcandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus.* Quibus ex verbis malè colligunt nonnulli, li-

cuisse clericis domi suæ habere quascumque feminas, quarum ministerio siue obsequio matres eorum, aut sorores, aliæue non suspectæ indigerent. Quod sanè si admittatur, frustrà sint edicta ecclesiastica ad excludendas extraneas. Quis enim erit clericorum, qui sororis, aliarúmue non suspectarum obtentu, quascumque extraneas recipere in contubernium non possit? An eo non sint extraneæ, & scandalum aut periculum non creent, quia de sororis aut neptis famulitio sint? Immò ex his quæ de Augustino refert Possidius, pronum est sanctissimi & doctissimi viri mentem agnoscere, qui sacros canones ita sit interpretatus; Non licere clerico habitare cum feminis, etiam non suspectis, si hæ suspectarum consortio carere non possint. Alioquin ecquos quæso, mulierum ac puellarum greges clericis in conuictu suo impunè habere non liceat? Nihil autem vetat, simul habitare cum clerico plures non suspectas; putà matrem cum sororibus, vel cum amitâ aut matertera, vel cum fratris aut sororis filiâ: quæ sic in re domesticâ mutuò sibi opitulentur, vt extraneis non indigeant. Id quidem facile, præsertim in mediocri fortunâ, quæ αὐτοδιακονίαν ferat. At si non suspectæ sine suspectis haberi non possint, standum arbitror & exemplo, dictóque Augustini, & statuto (quod ad caput illud Ferrandi CXXII. retulimus) Concilij Namnetensis.

217. c. DEVOTIONE] Quidam codices habent, *fauore*.

218. a. DEPVTATIS] Nonnulli, *distributis*.

220. b. VESANA] Alij, *sæua*.

220. b. PROPTER AMOREM] Ità Parisienses. Bollandus, *propter odium*; nescio an ex diserti auctoris mente: quamuis enim illata est iniuria propter odium religionis; tamen (quod hìc solum dicitur) propter eiusdem religionis amorem tolerata est.

221. b. QVÆ IDIDI NVNCVPATVR] In quibusdam codicibus legitur *Ydidi*, in aliis *Indidi*. Quia huc accesserunt Fulgentius & socij, *eligentes* (vt præmittitur) *vicinos potiùs habere Mauros, quàm pati molestissimos Arrianos*: & *Idenses* duas ciuitates lego apud Victorem in Notitiâ Mauritaniæ Cæsariensis, quibus Episcopi erant Subitanus & Felicianus: suspicor ex iis alteram hoc loco significari, quæ fortasse mendosè *Idensis* scripta sit pro *Ididensi*.

223. c. EPISCOPVM QVENDAM RVFINIANVM] Erat, opinor, Victorianensis Episcopus, cuius meminit Victor in prouinciâ Byzacenâ.

224 a. THEODERICI REGIS PRÆSENTIA] Sic habet codex Diuionensis, non (vt plerique alij) *Theodorici.* Nam sic legendum hoc nomen, docuerunt nos (præter antiquos melioris notæ codices) priscorum huius nominis Principum & Episcoporum sigilla, atque autographæ tabulæ. Porrò festum faustúmque ingressum Theoderici Gothorum & Italorum Regis in Vrbem Romam, retulit Cassiodorus Regi tum ab Epistolis, Patricio & Hypatio Consulibus contigisse; qui respondent anno æræ Dionysianæ quingentesimo.

225. a. SILVESTRO] Itâ Diuionensis & plerique alij codices. Nonnulli, *Siluestrio.*

225. c. VICENSI PROXIMVM LITTORI] Itâ codex Diuionensis: fortassis à Vico Augusti, cuius mentio multiplex in Antonini Itinerario. Et sanè *Asterium Episcopum plebis Vicensis* lego in Collatione primâ Carthaginensi cum Donatistis, num. CXLIII. Quidam tamen codices habent *Viuecensi:* plerique *Vincensi.* Et *Vincense Concilium*, infrà, cap. XXIX. adnotat exemplar ipsum Diuionense.

225. c. BENEFENSI] In nonnullis exemplaribus legitur; *Bennefensi;* in aliis *Vennefensi.* In Concilio Donatistarum apud Cauernas Susis, *Guntasius Benefensis Episcopus*, ex Augustino in Psalmum XXXVI. Concione secundâ. Notitia Victoris in Byzacenâ, *Hortulanus Benefensis Episcopus.* Collatio I. Carthaginensis cum Donatistis, num. CXXXIII. *Æmilianus Episcopus Ecclesiæ Benefensis.* Hanc ciuitatem, aut saltem eius territorium ad mare pertinuisse, vel hic Ferrandi locus nos docet.

227. a. NVNTORVM TERRITORIO] Ita codices plerique. Diuionensis, *Nuntiorum.* Surianus *Vintorum.* In Africanâ veteri topographiâ miræ adhuc tenebræ. Nam Africæ ciuitates plerasque, olim & florentes opibus, & numero quamplurimas, aut deleuêre tempora, aut priscis nominibus superfusa Arabum barbaries vsque adeò ignotas fecit, vt (quod aliâ ex causâ dixit Seneca epistolâ XCI. de Lugduno) quærantur hodie à suis incolis, ignorentúrque etiam vbi sunt.

228. a. PRIMATEM NOMINE VICTOREM] In Notitiâ prouin-

prouinciæ Byzacenæ, sexto & quadragesimo loco censetur *Victor Vitensis*. Ea Notitia Byzacena quæ annum spectat Christi CDLXXXIIII. duos alios repræsentat Victores Episcopos; *Narensem* tertiodecimo loco, primo & centesimo *Gauuaritanum*. Ordinabat autem in suâ prouinciâ Episcopos aduersùs Trasamundi Regis edictum *Victor Primas Byzacenus* (secundùm quod in Concilio Byzaceno decretum fuerat) anno Christi DVII. quo & ordinatum Fulgentium Ruspensem infrà ostendam. Ab anno CDLXXXIIII. ad DVII. sunt anni XXIII. per quos obiisse ex Episcopis Byzacenis quinque & quadraginta seniores longè est probabilius, quàm tantùm duodecim qui Victori Narensi, aut omnino centum qui Victori Gauuaritano decedere potuissent. Hac ratiocinatione coniicio, eundem ipsum esse Victorem Vitensem Episcopum, qui posteà fuit Primas Byzacenus.

Quin etiàm arbitror, non à Victore Vticensi Episcopo, vt vulgò hactenus creditum est, sed ab hoc ipso Victore Vitensi Episcopo conscriptam esse Historiam persecutionis Africanæ: sic enim inscribendum est quod plerique appellant, opus de persecutione Vandalicâ; ex fide veterum codicum, & ex ipsius auctoris testimonio, qui ad finem libri primi profitetur, se aliis scribenda relinquere, quæ Geisericus extra Africam crudeliter gesserit. Quid ita? De Martyribus sub Hunerico passis laudat Vsuardus X. Kalendas Aprilis, *Victorem Africanum Episcopum*. At hunc nullus veterum, Vticensem Episcopum facit: primúmque id iactatum videtur in horum librorum editione Coloniensi anni 1537. vnde in Bibliothecam Patrum traductus error. Huius verò auctor operis, quicumque est, admonet in præfatione, se illud scribere anno sexagesimo ex quo in Africam Vandali ab Hispaniâ traiecerant; hoc est, anno Christi CDLXXXVII. quia traiectus ille, ex Prosperi Chronico contigit *Hierio, & Ardabure Cònsulibus*, anno scilicet Christi CDXXVII. Idem in Notitiâ prouinciæ Proconsularis meminit Florentini Vticensis Episcopi, anno CDLXXXIIII. ab Hunerico Rege in Corsicam relegati. Quis credat, medio illo triennio in episcopatu Vticensi subrogatum Florentino tantùm exulanti Victorem, qui anno CDLXXXVII. Africanæ persecutionis historiam, Vticensis iam tum Episcopus conscripserit? Mini-

mè id quidem patitur illorum temporum Africæ status: mortuo enim Hunerico, Herodis instar scatente vermibus, anno regni sui octauo (vt ait post Victorem Tunnonensem Isidorus); siue (vt distinctiùs Victor, is de quo agimus, ad finem suæ historiæ) cùm regnasset annis VII. mensibus X. quibus fragmentum Augustanum addit dies XIIX. *post eum regnauit Guntamundus, Gentunis eiusdem Hunerici Regis fratris filius annos XI. menses IX. dies XI.* (vt refert antiquus auctor fragmenti eiusdem Augustani, Prosperi Chronico subnexi, apud Henricum Canisium tomo I. Antiquæ Lectionis): *qui tertio anno regni sui, cœmeterium sancti Martyris Agilei apud Carthaginem Catholicis dari præcepit; Eugenio Carthaginensi Episcopo ab eodem iam de exilio reuocato. Decimo autem anno regni sui, ecclesias Catholicorum aperuit: & omnes Dei Sacerdotes, petente Eugenio Carthaginensi Episcopo, de exilio reuocauit. Quæ ecclesiæ fuerant clausæ annos X. menses VI. dies V. hoc est, ab octauo anno Hunerici, id est, ex die VII. Idus Februarij, vsque in decimum annum Regis Guntamundi, in diem IV. Idus Augusti, in quo completi sunt supradicti anni X. menses VI. dies V. Qui memoratus Guntamundus Rex postmodùm vixit annos II. mensem I. Post quem regnauit Trasamundus Gentunis filius annos XXVI. menses VIII. dies IV.* Vides accuratos calculos scriptoris huius, qui etiam dies in summam vocat. Nec te moueat quòd clausas ecclesias dicit à VII. Idus Februarij, cùm edictum de iis claudendis, apud Victorem datum legatur VI. Kalendas Martias, hoc est, tardiùs diebus septemdecim. *Iam* enim Hunericus Rex *conscriptum decretum habens* (ait Victor) *& occultè cum eodem decreto per diuersas prouincias suos homines dirigens*; nempe extra Carthaginem: deinde Carthagine (moras iniicientibus Episcopis, dum inter se de fide altercarentur) dumtaxàt VI. Kalendas Martias idem edictum promulgauit. Redeo ad propositum. Cùm huic edicto Hunerici de claudendis ecclesiis, quo & Episcoporum, clericorúmque ordinationes vetabantur, derogatum non sit ante quartum Idus Augustas anni decimi Guntamundi, qui fuit Christi annus CDXCIIII. quâ tandem ratione fingere licet, Florentino Vticensi Episcopo in Corsicam ablegato, Victorem ante anni CDLXXXVII. tempus quo scribebat, successorem datum? Censeo igitur, Victorem Episcopum, horum auctorem librorum,

illum potiùs esse, qui in Notitiâ prouinciæ Byzacenæ de se-ipso scribit; *Victor Vitensis non occurrit*: hoc est, ad mandatum Hunerici Carthaginem venire aut noluit, aut non potuit: cúmque Vticensem creditum, librariis ignotum sibi nomen, vnius elementi adiectione in aliud notius transformantibus.

Huc iam ratiocinio appulsus eram, cùm Venerabilium Patrum Cartusianorum beneuolentiâ ac beneficio, venit mihi in manus antiquus codex MS. bonæ notæ, è celebri quondam bibliothecâ Cartusiæ Portarum: continens inter cætera, Victoris opus ipsum de quo disputamus, in sex libros distinctum: ac præfationem nondum editam, ad quemdam Beati Diadochi discipulum, quæ sic inscribitur. *Incipit prologus in Historiâ persecutionis Africanæ, edita à Sancto VICTORE, patriæ VITENSIS Episcopo.* Prima autem prologi verba sunt; *Quondam veteres ob studium sapientiæ.* Hac igitur firmatus auctoritate, dubitare vltrà non potui, quin *Vticensis* nomen in designando Victoris episcopatu irrepsisset pro *Vitensi*. Sed grauis restat difficultas de Victore Vticensi Episcopo, quem Martyrologio inscripsit Baronius ad diem XXIII. Augusti: nullâ (quoad quidem obseruare nobis licuit) veteris vllius scriptoris auctoritate; An cuipiam Victori Vticensi Episcopo, an etiàm Vitensi (de quo diximus) in sacris fastis locum dederit antiquitas: & quâ die. Sed erit huic disputationi suus locus, cùm Historiam persecutionis Africanæ, sub Geiserico & Honorico Vandalorum Regibus, auctori suo ac nitori ex veterum exemplarium fide restitutam, vnáque nostras in eam Notas prælo subiiciemus. Nunc ea quæ nostri sunt instituti persequamur.

ORARIO] De huius vocis vsu vel etymo multa viri docti, Bullengerus de vestibus pontificiis lib. I. cap. XXXVIII. Casaubonus & Salmasius in Vopisci Aurelianum. Addo loca Gregorij Turonensis Hist. Franc. lib. III. cap. V. & lib. IV. cap. XX. vbi Sigiricum, & Chramnum dicit fuisse *orario sugillatos*, seu suffocatos. Et lib. VI. cap. XVII. *Priscus præcinctus orario.* Addo & Anastasium Bibliothecarium in Historiâ mysticâ nondum editâ, lib. II. cap. XVII. vbi ex Germano Episcopo Constantinopolitano; *Porrò Diaconi*, inquit, *in typum Angelicarum virtutum, subtilibus lineorum orariorum pennis, vt administratorij*

230. c.

ſpiritus qui in miniſterium mittuntur, circumcircà diſcurrunt. Non dubium quin ea ipſa intelligat Diaconorum oraria, quorum vſus ſubdiaconis, lectoribus, & cantoribus interdictus canonibus Laodicenis XXII. & XXIII. In ſummâ; Orarij vti ſignificatum duplex, ità etymon agnoſco duplex, vtrumque à Latinis ductum: primum ab ore ſeu facie, cui tergendæ comparatum ſit; quod & *ſtrophiolum* vſitatiùs appellamus, & in conuiuio *mantile*: alterum ab orâ, quòd inſtar ſit faſciæ, extremis veſtium oris circumdari ſolitæ; vulgò in ſacris ſtolam dicimus. Nego tamen hìc â Ferrando intelligi orarium, cuius mentio in Concilio Laodiceno: cùm enim Fulgentium dicit, nullatenùs orario vſum *ſicut omnes Epiſcopi*, apertè deſignat epiſcopale ornamentum, cuius extrà ſacra eſſet vſus: alioqui minùs prudenter eo Fulgentius, minúſque religiosè carere voluiſſet. Fuit ergo, vt opinor, orarium epiſcopale, ſtola ornatior, cruciculis vt plurimùm interſtincta, quâ olim Epiſcopi, humeris ad maieſtatem circumdatâ, etiàm extrà rem diuinam vtebantur: qualem cernere eſt in antiquis, quæ multæ ſuperſunt, Epiſcoporum præſertim orientalium imaginibus.

230. *c.* PELLICIO] Ità Pariſienſis editio, & codex Diuionenſis. Bollandus *pelliceo*.

230. *c.* VLTIMIS CALIGIS] Ità Pariſienſes, vti & exemplar Diuionenſe: pro quo nonnulli *viliſſimis*. Bollandus in Ianuario vtrumque prætermiſit.

230. *c.* NIGELLO VEL LACTINIO] Ingeniosè vir amicus & eruditus, *nigellum vel lactineum* pallium intelligi vult, *ex albo nigróque variegatum*. Nam, inquit, huiuſmodi pannos ex natiuis lanarum coloribus albo nigróque contextos, hodiéque geſtant nonnullis locis ruſticani. Et eſt vero non abſimile, talibus (vtpote ſimpliciſſimis) vſos quodam in Africâ monachos: adeóque Fulgentium, qui ex monacho Epiſcopus, monaſticæ parſimoniæ inſigne iſtud ad exemplum retinuerit. Certè *nigellum* Latinis non eſt hoc quod nigrum, ſed ex nigro permixtum. quare *nigellas* appellant botanographi floſculos, non purè nigros, ſed ex nigro in album, ſeu purpureum, aut cæruleum, aliúmue colorem abeuntes. Quidni & *lactinium*, non planè album ſiue lacteum, ſed ex albo temperatum; vt nigellum lactinium, hoc ipſum ſit quod ex albo nigróque varium? His ego

libenter subscriberem si ex antiquitate proferretur testimonium. Interim dicam quod occurrit. Suspicatus sum aliquando, lactinium colorem dictum à lachâ, quæ & Græcis λάχιον & *Lac* Persis, atque Arabibus: quod & ινδικὸν Zosimo Panopolitæ, & Dioscoridi: violacei coloris genus obscurum, & nigro proximum; quare & Ινδικὸν μέλαν antiquis; vnde & Plinij lib. XXXV. cap. VI. *Indico simile atramentum*. Vide Claudij Salmasij Exercitationes in Solini Polyhistorem pag. 1152. Firmat hanc coniecturam quòd hodiéque Episcopi nigris palliis vtuntur in luctu, aliàs violaceis. Ex eo porrò commendari videtur Fulgentij modestia, quòd cùm alij fortasse Episcopi plerique, splendido dilutóque vterentur violaceo; ille lactinio, hoc est Indico, siue atro violaceo. Sic nigellum & lactineum pro eodem vsurparet Ferrandus: neque esset disiungens particula *vel*, sed declarans & restringens; ita vt esset alterum quasi interpretatio alterius. Sed nihil opus esse censeo his argutiis, cùm sit plana sententia vt nigellum dicatur quod nigrum est, aut nigro proximum: paritérque lactineum quod lacteum, aut à lacteo non multùm abscedens. Quid enim vero similius, quàm quòd Fulgentius qui monasticum habitum in episcopatu retinuerat, nunc albo pallio, nunc nigello vsus sit (nempe altero vt communi, altero vt sacro, & in diuinis tantùm officiis: vel certè altero vt domestico, altero vt vrbano, siue etiam campestri); cùm hodie videamus Cartusienses, Cistertienses, Dominicanos, & plerosque alios seu mendicantes seu purè monachos, pro re & tempore nunc albis nunc nigris vestibus, vtrisque vt modestissimis tegi?

POSTVMIANVS] Ità Diuionensis, & alij plerique codices. Neque legendum videtur *Posthumianus*: cùm enim & lapidum inscriptiones antiquæ penè omnes; & Postumorum Cæsarum, ac veteris Postumiæ familiæ nummi, quotquot vel manibus triuimus, vel ab eruditis adnotatos legimus, litteram H. non habeant; apparet placuisse Romanis, vt vox ex humo deriuata, ad suauiorem prolationem aspiratione leuaretur. 231. c.

INTER SVA PRIVILEGIA] Vincentio & Frauito Coss. hoc est, anno Christi CDI. in Concilio Carthaginiensi; *Ab vniuersis etiam Episcopis dictum est, vt si quæ litteræ dictandæ in Concilio placuerint, venerandus Episcopus* (nempe Aurelius) *qui huic* 233. a.

sedi præsidet, omnium nomine dictare, & subscribere dignetur. Collectio Africana, num. LXXXV.

234. *b.* CARALITANÆ] Ità hoc loco, & infrà cap. XXVII. codex Diuionensis: & sic habent vt plurimùm antiqui. Interdum tamen *Calarim* & *Calaritanos* appellant.

237. *b.* ADVERSVS PINTAM] Hunc librum S. Fulgentij hactenùs non editum, quem reperire mihi contigit in peruetusto codice S. Benigni Diuionensis, & in altero Cartusiæ Portarum, placuit post Notas hìc adscribere: vt cùm quis ad recudendas tanti Doctoris lucubrationes animum adiecerit, præter ea quæ in eius epistolam de quinque quæstionibus ex antiquis exemplaribus contulimus, hoc insuper habeat quo suam editionem vtcumque locupletet. Erat in codice Benigniano sic inscriptum opusculum initio voluminis; *De fide catholicâ liber I.* tum in ipso contextu, tituli loco; *Incipit de Trinitate.* At in codice Portarum; *Incipit tractatus nescitur cuius, de Trinitate.* Pintæ nulla vspiam mentio. Sed tamen orationem totam à fronte ad calcem propiùs contemplatus, non dubitaui quin ipsissimus esset hactenus desideratus liber S. Fulgentij aduersùs Pintam, cuius meminit hoc loco Ferrandus. His nimirum persuasus argumentis. Ipso initio certum hominem sibi refellendum proponit, qui pro Arrianis libellum condiderat contra Homousianos, loca vtriusque testamenti quamplurima continentem. Africam hæc sapiunt, in quâ primùm Catholicis indita per contumeliam appellatio Homousianorum. Ad hæc aduersarium á se peti, conditione Episcopum, tacitè significat, cùm eum Caiphæ Pontifici componit, ex cuius ore vel inuiti prodierit veritas. Deinde Vandalicam tum sæuientem persecutionem designat cùm ait; *Illius autem fidei* (catholicæ) *crementa testantur exilia innocentium, & proscriptiones miserorum, & oppressio captiuorum.* Prætereà dicendi ac scribendi pro Catholicis libertas, vni Fulgentio (quem eamobrem Trasamundus Rex è Sardiniâ Carthaginem accersierat) concessa auctorem suum prodit. Non exaggero Fulgentij entheum pectus, in illis præsertim vocibus exæstuans; *Amemus ergo eum* (Christum IESVM), *& inhæreamus illi, caritate diffusâ in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Stylus certè Augustiniani facilitatem non planè exæquat: Asiaticâ verò co-

piâ in homine Africano, & totâ sui conformatione, cæteros Fulgentij indubitatos fœtus sic ad viuum exprimit, vt ab eodem ipso ingenio prodiisse sentiatur. Ergo vindicatam hanc lucubrationem auctori suo, quia in MSS. exemplaribus vno filo decurrebat, methodi gratiâ in decem capita partiti sumus.

237. c. ABRAGILÆ] MS. Diuionense, *Abragilo*.

238. b. IVLIATEO] Quidam codices *Iuliteo*: alij *Viliateo*: Diuionensis, *Villeo*.

240. a. BRVMASIO] Nonnulli, *Brimasio*: alij, *Primasio*.

241. b. MORS ENIM TRASAMVNDI] Victor Tunnonensis in Chronico, ad consulatum Maximi, qui respondet anno Christi DXXIII. *Trasamundus*, inquit, *Vandalorum Rex Carthagine moritur: cuius vxor Amalafrida fugiens ad Barbaros congressione factâ Capsæ, iuxtà eremum capitur, & in custodiâ priuatâ moritur.*

242. b. MIRABILIS BONITAS HILDERICI] Victor Tunnonensis eodem Maximi consulatu; *Hilderix qui ex Valentiniani Imperatoris filiâ à Giserico captiuatâ, & Vgnerico iunctâ natus est, regnauit annis VII. mensibus III. Hic ergo sacramento à decessore suo Trasamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut ecclesias aperiret, aut priuilegia restitueret: priusquàm regnaret, ne sacramenti terminos præteriret, præcepit, & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire, & ecclesias aperire: & Bonifacium cum dogmatibus diuinis satis strenuum, ad postulationem totius Vrbis, Carthaginiensis Ecclesiæ Episcopum consecrauit.* Fragmentum Augustanum; *Post quem* (nempe Trasamundum) *regnauit Hildrix, filius Hunerici annos VIII. dies VIII. Qui in exordio regni sui, Bonifacium Episcopum apud Carthaginem in ecclesiâ sancti Agilei ordinari præcepit, & omnibus Catholicis libertatem restituit.* Ad hæc Hilderici fausta exordia pertinet Concilium Carthaginense nondum editum, nuper in Vaticanâ Bibliothecâ repertum, quod optant eruditi omnes vt ad Africanæ historiæ lucem quamprimùm prodeat.

244. b. NIHIL SE IN ILLO MONASTERIO PROPRIVM VINDICARE] Dixerat Ferrandus de Fulgentio paucis antè versibus; *Et qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, iam Episcopus dominari noluit in proprio monasterio.* Mox

addit, scripto etiam cauisse Fulgentium, & *obicem contradictionis opposuisse successoribus suis*, ne quid illi in eodem monasterio sibi vindicarent. Refert Ionas in Bertulfo Bobiensi Abbate post Attalam Columbani successorem, se Romam ad Honorium Papam (nempe circà annum Christi DCXXX.) cum Abbate suo Bertulfo contendisse, aduersùs conatus Proni Dertonensis Episcopi, *qui*, ait, *vt subiectum sibi præfatum Abbatem cum cœnobij supplemento faceret, omni vi intendebat*: atque Honorium Abbatis consortio delectatum, diutiùs eum apud se retinere voluisse; *Sed cùm*, inquit, *vehemens æstus, quiescendi longum prohiberet spatium, præbuit optatum munus: priuilegia sedis apostolicæ largitus est; quatenus nullus Episcoporum, in præfato cœnobio quolibet iure dominari conaretur*. Hæc ex vetustissimo codice Bertiniano, quæ vitiata leges apud Bedam, & apud Surium, XIX. Augusti, præsertim in Episcopi nomine & sede, qui apud ipsos legitur *Procus Cleronensis*. Vel hinc autem agnosce, non esse nouum inuentum immunitates regularium ab Episcoporum iurisdictione: quæ tamen, etsi nouæ essent omnes, cùm magnis nitantur rationibus, & ab eius Vicario prodierint qui primus est, & nouissimus, ac Princeps Regum terræ, non essent floccipendendæ.

244. c. AD ECCLESIASTICAM MILITIAM TRANSTVLIT] Rectè monet S. Augustinus epistolâ LXXVI. ad Aurelium Papam, *non esse istam viam dandam seruis Dei, vt se faciliùs putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. Et ipsis enim facilis lapsus, & ordini clericorum fit indignissima iniuria, si desertores monasteriorum ad militiam clericatus eligantur; cùm ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in clerum assumere soleamus. Nisi fortè, sicut vulgares dicunt; Malus choraula, bonus symphoniacus est: ità ijdem ipsi vulgares de nobis iocabuntur, dicentes, Malus monachus, bonus clericus est. Nimìs dolendum si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam graui contumeliâ clericos dignos putemus, in quorum numero sumus: cùm aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat; si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.*

245. b. IN CONCILIO QVOQVE VINCENSI] Habent nonnulli codices, *Viuecensi*. Suspicarer legendum, *Iuncensi*; (cuius

Concilij

Concilij meminit Ferrandus in Breuiatione canonum, cap. XXVI.) nisi didicissem recitari quemdam canonem Concilij Iuncensis in Synodo Carthaginensi nondum editâ, cuius suprà memini: quæ cùm ipso regni Hilderici initio celebrata sit, vel ex eo probatur antiquior illo Vincensi seu Viuecensi Concilio, in quo Fulgentius Quoduultdeum Episcopum iussus est præcedere.

CONDIDIT NOVA: DECEM LIBROS, FABIANI] 246. a. Sic legendus, sic distinguendus hic locus, ex codice Diuionensi, & altero MS. Vitiatus enim erat, & malè interpunctus in multis exemplaribus. Decem librorum Fulgentij contrà Fabianum fragmenta non contemnenda, ex Theodulpho Aurelianensi, & ex MS. codice Cartusiæ maioris edidit Sirmondus noster.

DE VERITATE PRÆDESTINATIONIS ET GRATIÆ, LIBELLOS CONFICIENS TRES] 264. a. Ex his libellis tertium (cuius exigua tantùm pars hactenus prodiit) integrum nacti sumus ex codice Cartusiæ Portarum: quem etiàm dedimus post Notas, ne hac gemmâ (quid enim in Fulgentio non pretiosum?) respublica diutiùs careret. Nec verò te moueat (Lector) quod huius tertij libri cap. XIX. leges; *Manifestum est, omnem hominem qui non fuerit, aut in nomine Christi sanctificato latice, aut pro Christi nomine & eius Ecclesiâ proprio sanguine baptizatus, ignis æterni combustione damnandum.* Hæc est enim Beati Fulgentij doctrina, quam & aliis locis passim inculcat; quoscumque vel cum solo originali peccato è vitâ decedẽtes, etiàm infantulos, non solùm Dei conspectu priuari (quam damni pœnam vocant); sed etiàm pœnâ sensus, adeóque ignium æternorum supplicio cruciari. Hausisse autem videtur ex Augustino, quem ità omnino sensisse affirmat Petauius noster, tomo I Theologicorum dogmatum, lib. IX. cap. X. à numero VI. his Patribus duos alios adiungens; Alcimum Auitum, & Gregorium Papam. Verùm, quamuìs in hac quæstione Ecclesia catholica nihil hactenus definierit; sentio tamen (vt probabiliùs) cum Magistro, & omni Theologorum scholâ, ignis æterni tormentis non esse addicendos, qui cum solo originali peccato è viuis excesserint: propter rationes quas afferunt plerique omnes Theologi, ac nominatim Suarez tomo II.

in tertiam Partem, disp. L. sect. V. & Bellarminus, de amissione gratiæ & statu peccati, lib. VI. cap. IV. & V. Qui etiàm in suas partes Augustinum nec repugnantem trahunt: & Fulgentio inter cæteros opponunt Gregorium Nazianzenum, orat. XL. in sanctum Baptisma, & Gregorium Nyssenum, oratione de infantibus qui præmaturè abripiuntur.

246. b. INSVLAM CIRCINAM] Victor in Notitiâ Byzacenâ, Athenius Circinitanus. Plinius lib. V. cap. VII. *Ab eâ* (nempe ab insulâ Meninge) *centum millibus passuum contrà læuum Cercina, cum vrbe eiusdem nominis liberâ: longa XXV. M. passuum, lata dimidium eius, vbi plurimùm: ac in extremo non plus quinque M. passuum. Huic perparua Carthaginem versùs Cercinitis ponte iungitur.* Solino etiam *Cercina* dicitur in Polyhistore, cap. XXIX. vti & Ptolemæo lib. IV. cap. III. Κέρκινα. At Aulo Hirtio lib. de bello Africo, *Cercinna*: sicut & Straboni lib. XVII. Κέρκιννα. Ex quibus emendandi codices qui hoc loco Vitæ S. Fulgentij, *Cirtinam* nobis obiiciunt.

247. c. DIE KALENDARVM IANVARIARVM] Hoc, & paucis sequentibus extremi huius operis verbis, inclusit auctor clauem auream totius Fulgentij chronologiæ, hactenùs mirè turbatæ. Nam eum obiisse dicit Kalendis Ianuariis, post peractam vesperam; cùm annum ageret episcopatus XXV. vitæ LXV. Tum ad successorem eius Felicianum conuerso sermone; *Nec hoc interim*, inquit, *prætereundum silentio iudicaui, quòd dum ei successor idoneus quæreretur, discordantibus laicis & clericis, annum propè integrum prolixitas contentionis exegit: & illo die Sanctitas tua super cathedram eius sedit quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc priuilegio meruit prima sollemnitas eius depositionis, vt multò ampliùs venerabilis fieret per gaudia tuæ ordinationis.* Iam meminisse oportet quod Anacletus Papa epistolâ secundâ præcipit, vt Episcopus ordinetur *Dominicâ die*: fortasse ex eo quòd Apostoli, primi omnium Episcopi, ordinati sint per linguas igneas, ipsâ Pentecostes Dominicâ super eos immissas; vt docet Turrianus in Defensione canonum & epistolarum apostolicarum, libro II. cap. XXI. & vltimo. Hæc certè consuetudo, quam & Ordo Romanus, & veteres alij libri Pontificales præscribunt, in vsu fuit omnium Ecclesiarum: & quòd in Africâ nominatim viguerit, probat canon Carthaginiensis,

qui est Dionysio XLIX. Cresconio XVI. porrò apud collectores Conciliorum, Carthaginiensis tertij XXXIX. Ferrando autem XLIX. vbi dicit Aurelius Episcopus, se ordinandos habere Episcopos *penè per diem Dominicam.* σχεδὸν κατὰ Κυριακήν. Ordinari igitur debuit Felicianus (quantùm ratiocinando consequi possum) eo anno, quo primùm post annum Christi DXXIII. Kalendæ ianuariæ in Dominicam incurrerunt. Hic fuit annus DXXXIV. Adeóque obitus S. Fulgentij contigit I. Ianuarij, Sabbato, anno vulgaris æræ DXXXIII. Quo defixo quasi cardine, sic ad eius præcipua rerum gestarum capita pede inoffenso regredior.

Nascitur Fulgentius Telepte in prouinciâ Byzacenâ, anno Christi CDLXVII.

Fit monachus apud Faustum Præsidiensem Episcopum, anno Christi CDLXXXIII. ætatis XVI.

Theoderici Gothi Romanos triumphos spectat anno Christi D. ætatis XXXIII.

Ordinatur Episcopus Ruspensis, anno Christi DVII. ætatis XL. ac paulò pòst in Sardiniam relegatur.

Reuocatur cum cæteris exulibus, indulto Hilderici Regis, anno Christi DXXIII. ætatis LVI. episcopatus XVI.

Moritur Kalendis Ianuariis, Sabbato, anno Christi DXXXIII. ætatis LXV. episcopatus XXV. reuersionis ab exilio X.

PONTIANI EPISCOPI THENITANI] MSS. codices, Diuionensis, & de Ripatorio, *Ponticani.* Cui lectioni fauet *Ponticanus Formensis*, in Notitiâ Numidiæ. Est autem fortasse hic ipse Pontianus, seu Ponticanus, cuius est epistola ad Iustinianum Imperatorem, quam refert Baronius anno Christi 546. numero LII. Quem & fuisse tum Primatem Byzacenum suspicari licet, cùm eam epistolam, cæterorum Episcoporum nomine ad Principem dedit, de grauissimâ super tribus capitulis quæstione. 248. c.

DATIANI PRIMATIS] Hic ipse est Datianus Primas Byzacenus, qui primus nominatur in epistolâ synodicâ Episcoporum Africanorum, in Sardiniâ exulum, quæ habetur inter opera Fulgentij. 248. c.]

In Epiſtolam Ferrandi ad Pelagium & Anatolium, Diaconos Vrbis Romæ.

250. *b.* PELAGIO] Hic ipſe eſt Pelagius, Diaconus Vrbis Romæ, & Eccleſiæ Romanæ Apocriſiarius, qui poſt Vigilium fuit Romanus Pontifex, huius nominis primus : de cuius rebus geſtis accuratè Cardinalis Baronius tomo VII. Annalium. Qui tamen dum eius obitum veriſſimè defigit in anno Chriſti 559. IV. Nonas Martij; cùm ſediſſet, non annos XI. (vt in vulgatis legebatur) ſed annos IV. menſes X. & dies XVIII. vt refert ex MS. codice Vaticano, (idémque habet antiquus codex Thuanus de Romanis Pontificibus); parum conſequenter Vigilij Papæ obitum, & Pelagij initia adſcripſit anno Chriſti 555. Nam ſi à ſecundâ die Martij anni 559. retrocedendo numeres annos IV. menſes X. tricenarios, & dies XVIII. videbis, Pelagij initia circà diem Aprilis XVIII. anni Chriſti 554. collocanda eſſe: atque hoc congruere calculis antiqui auctoris, cuius eſt Appendix ad Chronicon Marcellini Comitis; qui Vigilium in Siciliâ exſtinctum dicit morbo calculi, *Poſt conſulatum Baſilij V. C. anno XIII.* hoc eſt, anno Chriſti DLIV.

251. *c.* DVM DE AVRIBVS QVERELA EST.] Ità codex vterque MS. Iurenſis, & Aruernenſis. Præmiſerat autem Hilarius, *dum de ambiguis occaſio eſt* : addit, *dum de auribus querela eſt* : quaſi dicat; *dum non deſunt qui ſe ſurdis querantur ceciniſſe, adeóque ſibi tribui, quæ ab illis ne rectè audita quidem, nedum intellecta ſint.* Hæc aperta mens Hilarij : ex quo emendes vulgata eius exemplaria, in quibus leges, *dum de auctoribus querela eſt.*

251. *c.* HILARII IN SECVNDO LIBRO] Hieronymus in catalogo cap. C. *Eſt eius* (Hilarij) *& ad Conſtantium libellus, quem viuenti Conſtantinopoli porrexerat : & alius in Conſtantium, quem poſt mortem eius ſcripſit.* Quæ hic vſurpat Ferrandus Hilarii verba, deſumpta ſunt ex priore libello qui ad Conſtantium, non ex poſteriore, qui in Conſtantium ſcriptus eſt. Vſus eſt autem

(vt videtur) Ferrandus eâdem operum Hilarii ſerie quâ & nos vtimur; in quâ temporum ordine immutato, libellus in Conſtantium iam mortuum, præcedit illum qui ad eundem adhuc ſuperſtitem editus eſt.

PRIMATVM TENENS VNIVERSALIS ECCLESIÆ] Supremus hic eſt gradus dignitatis in Romano Pontifice. Cæterùm, eruditorum huius æui Neſtor, iam prope triſæcliſenex (Sirmondus inquam noſter) lib. II. Propemptici, cap. X. ſcitè in vno Papâ quinque diſtinguit epiſcopales titulos: primum, Epiſcopi Romani: ſecundum Archiepiſcopi prouinciæ Romanæ: tertium Primatis Italiæ: quartum Patriarchæ Occidentis: quintum & vltimum ſummi catholicæ Eccleſiæ Pontificis. Quibus titulis ſingulis ſingula iura ac poteſtates reſpondent, prudenter in antiquis ſcriptoribus diſcernendæ.

254. b.

IVSTINIANÆ CARTHAGINIS] Quatuor omnino ciuitates à ſe appellauit Iuſtinianus: duas in Europâ, totidem in Africâ: *Primam Iuſtinianam* fundauit ipſe apud Dardanos Europæ, iuxta Taureſiam, ſolum ſuum natale. Vlpianam verò apud eoſdem Dardanos, cuius munimenta reparauit, appellauit *Iuſtinianam ſecundam*: ex Procopio lib. IV. de ædificiis Iuſtiniani. Qui & lib. VI. Adrumetum Africæ ciuitatem maritimam, dictam ait *Iuſtinianam*, quòd ei Iuſtinianus murum ingentem circumdederit. De Carthagine ſic appellatâ non meminit Procopius; meminere alii: Ferrandus hoc loco: epiſtola Concilii Carthaginenſis ad Iohannem Papam, Iuſtinianus ipſe, *Authenticâ de Eccleſ. titulis*, *cap.* I. & pluries *in nouellâ de Eccleſ. Afric. ad Salomonem Præfectum prætorio Africæ*, data Conſule Beliſario, adeòque anno Chriſti DXXXV. biennio poſt receptam à Vandalis Carthaginem. Cauſa huius appellationis fuiſſe videntur regia ædificia, Carthagine à Iuſtiniano exſtructa, de quibus ita Procopius lib. VI. de ædificiis Iuſtiniani; *Primò quidem Carthaginis quæ nunc eſt, murum labefactatum reparauit totum: foſſámque in ambitu fodit, quæ ibi nulla priùs fuerat. Exſtruxit etiam templa; Virgini Dei genitrici, id quod eſt in palatio: atque extrà illud, cuidam indigenarum Diuæ Primæ. Prætereà porticus ex vtrâque parte fori, quod Martimi dicitur: balneúmque in publico ſpectatu dignum, quod ex nomine Imperatricis,*

254. c.

Theodorianas thermas appellauit. Ædificauit & monasterium intrà muros, iuxtà mare, quod firmissimâ munitione cingens, castellum fecit inexpugnabile.

254. c. CAPREOLI] Cui decessit Aurelius, successit autem Quoduultdeus, Episcopi Carthaginienses. Porrò Capreoli tres memorantur epistolæ. Prima ad Theodosium Imperatorem, de quâ sic Liberatus in Breuiario, cap. v. *Scripsit Imperator* (Theodosius) *sacram & Beato Augustino Hipponensi Episcopo, per Ebagnium magistrianum, vt ipsi Concilio* (Ephesino) *præstaret sui præsentiam. Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audiuit à Capreolo ipsius Vrbis Antistite, Beatum Augustinum ex hoc mundo migrasse ad Dominum: acceptísque ab eo ad Imperatorem litteris, loquentibus de obitu Beati Augustini, Constantinopolim vnde venerat redijt.* Altera ad Concilium Ephesinum, cuius & hic meminit Ferrandus, & Vincentius Lirinensis in Commonitorio secundo. Tertia ad Vitalem, & Tonantium (siue, vt habet codex Heriuallensis, Constantium) Hispanos, de vnâ Christi Dei & hominis personâ, aduersùs Nestorium. Hanc vltimam edidit Sirmondus noster, anno 1630. benè integram, & eâ quam dederat Baronius ad annum Christi 431. penè altaro tanto auctiorem. Secunda illa tum Græcè tum Latinè exstat in Actione primâ Concilii Ephesini. De primâ nihil hactenùs prodiit, præter paucos hos versus, quos epistolæ suæ hoc loco intexuit Ferrandus.

255. a. VERSVLAM DIACONVM] Legatus hic fuit Capreoli Carthaginiensis Episcopi in Concilio Ephesino: in cuius Actione primâ Βεσσούλαν scriptum leges: apud Liberatum cap. v. Breuiarii, *Vessulam*: aliis *Bassulam*. Ferrandus *Versulam* dixit in vtroque nostro exemplari: quam vocem attingere meum esse non putaui.

255. a. HABET QVICQVID FORTE NVPER EXORITVR] Locus iste ex epistolâ Capreoli ad Synodum Ephesinam, plùs habet succi & neruorum, quàm Latina vulgaris interpretatio è Græco: haustus nimirum ex ipso fonte, hoc est, è Capreoli ipsius Latino textu primigenio, quem Petrus Presbyter Alexandrinus, Primicerius notariorum, coràm Patribus Ephesinis primò recitauit, & cui deinde Græcam interpretationem subiecit: vt refertur in Actis Concilii Ephesini.

ANATOLIVM, MAXIMVM, IVVENALEM] Hi nimirum tres Patriarchæ Orientis, Anatolius Constantinopolitanus, Maximus Antiochenus, & Iuuenalis Hierosolymitanus, Synodo Calchedonensi post Leonis Papæ Legatos præfuerunt: in quâ abdicato impio Dioscoro Alexandrino, quarto Orientis Patriarchæ suffectus est Proterius. 255. c.

CVM DORMIENTIBVS HABERE CERTAMEN] Eodem flexu Pontianus Episcopus epistolâ ad Iustinianum Imperatorem; *Non possumus*, inquit, *auctores iam mortuos* (Theodorum, Theodoretum, & Ibam) *præcipiti condemnatione damnare.* & subinde; *Quid nobis cum mortuis inire bellum, vbi nulla inuenitur in congressione victoria?* Cæterùm hìc non perstringitur Pelagius Diaconus, qui damnationem Origenis iam pridem mortui, ad comprimendos æui sui Origenistas innouari fecerat: sed Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, cuius artibus atque impulsu Iustinianus Ibam Edessenum, Theodorum Mopsuestenum, & Theodoretum Cirri Episcopos, ante annos ferè centum in Synodo Calchedonensi probatos damnauerat. Quamuìs enim (vt notat Liberatus, Breuiarii cap. XXIV.) turbas illas excitarit Theodorus Cæsariensis, *resecato* per Pelagium Diaconum *aditu aduersariis Ecclesiæ, vt mortuus damnaretur:* longè aliud tamen erat, Origenis olim damnati damnationem iterare; aliud in Episcopos nunquàm anteà damnatos, ac *in pace Ecclesiæ* (vt Ferrandus loquitur) mortuos, damnationis sententiam ferre. Nihilominùs à Pelagio quoque Diacono grauiter peccatum, censuisse videtur Liberatus; eam Origenis damnationem, non zelo fidei, sed priuatis Pelagii in Theodorum Cæsariensem odiis adscribens, ac Breuiarium suum his verbis concludens; *Illud liquere omnibus credo, per Pelagium Diaconum, & Theodorum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, hoc scandalum* (nempe turbas ob tria capitula) *in Ecclesiam fuisse ingressum. Quod etiam publicè ipse Theodorus clamitauit, se & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc scandalum introiuit in mundum.* 256. b.

CONSILIVM MATRIS TVÆ] Hausisse videtur à magistro suo Fulgentio, qui in epistolâ de duabus quæstionibus cap. X hæc ipsa Sapientis verba accipit de generalibus Ecclesiæ constitutis, *quæ concordissima cunctorum firmat assensio* 257. c.

Pontificum: hoc est, de Conciliis vniuersalibus.

258. a. PER SVBSCRIPTIONES PLVRIMORVM] Apertè hoc telo petit Ferrandus Iustinianum Imperarorem, qui editâ suæ fidei professione, quæ trium capitulorum damnationem continebat; Episcopos etiàm quâ blanditiis, quà minis impellere satagebat, vt suis eam subscriptionibus approbarent. Quâ in tempestate quàm ignauè se gesserint orientales Episcopi, quàm fortiter occidentales, narrat Facundus lib. IV. & ex aliis quoque laté persequitur Baronius anno Christi 546.

FINIS NOTARVM PETRI FRANCISCI CHIFFLETII, SOCIETATIS IESV PRESBYTERI, IN PRÆMISSA OPVSCVLA.

CONCI-

CONCILIVM CARTHAGINIENSE,

SECVNDVM VVLGO DICTVM SVB EPISCOPO GENETHLIO CELEBRATVM, ANNO CHRISTI CCCXC. VALENTINIANO AVGVSTO IV. ET NEOTERIO CONSVLIBVS.

Nunc primùm restitutum ex MSS. codicibus.

CAPITVLA.

ACTA, ET CANONES.

GLorioſiſſimo Imperatore Valentiniano Auguſto IIII. & Neoterio V. C. Conſulibus, XIIII. Kalendas Iunij, Carthagine in baſilicâ Perpetuâ Reſtitutâ, cùm Genethlius Epiſcopus vnà cum Victore Abderitano, & alio Victore Pupputanenſi, & cæteris Coepiſcopis ſuis prouinciarum diuerſarum conſediſſet.

I.

Collectionis Africanæ titulus 2.

Genethlius Epiſcopus dixit; Omnipotenti Deo gratias refero, qui permiſit vt ſecundùm commune Concilium habitum in prætorio, etiàm ita iuxta tenorem petitionis litterarum mearum, ad Carthaginem pro fide atque vtilitate eccleſiaſticâ veniretis, licèt non omnes. Tamen quoniam caritas totum perſuadet, vt qui corpore ſunt abſentes, nobiſcum in ſpiritu videantur eſſe coniuncti, idcircò Deo propitio, quia præſentes eſtis, pari profeſſione fides eccleſiaſtica quæ per nos traditur, in hoc cœtu glorioſo primitus confitenda eſt. Tunc demum ordo eccleſiaſticus ſingulorum, ex conſenſu omnium eſt exſtruendus. Ad corroborandas autem fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum nuper promotorum mentes, ea proponenda ſunt quæ à Patribus certâ diſpoſitione accepimus: vt Trinitatis quam noſtris ſenſibus conſecratam retinemus, Patris & Filij & Spiritus ſancti, vnitatem quæ nullam noſcitur habere differentiam, ſicut didicimus, ita Dei populos inſtruamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt; Planè ſic accepimus, ſic tenemus, fidem apoſtolicam ſequentes.

II.

Ferrandi cap. 16. tit. 1. Collectionis Africanæ tit. 3.

Epigonius Epiſcopus Bullenſis Regiorum dixit; Cùm in præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quâdam caſtitati per

confecrationes annexi ſunt. Epiſcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit vt condecet ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus: quò poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare: vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt; Omnibus placet vt Epiſcopi, presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiàm ab vxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt; Placet vt in omnibus & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur qui altario deſeruiunt.

Collectionis Africanæ tit. 4.

III.

Numidius Epiſcopus Maxulitanus dixit; Si iubet ſanctitas veſtra, ſuggero. Nam memini præterito Concilio fuiſſe ſtatutum, vt chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum conſecratio, à Presbyteris non fiant. Si quis autem emerſerit hoc faciens, quid de eo ſtatuendum ſit? Genethlius Epiſcopus dixit; Audiuit dignatio veſtra ſuggeſtionem fratris & Coepiſcopi noſtri Numidij. Quid ad hæc dicitis? Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt; Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio, à Presbyteris non fiant: vel reconciliare quenquam in publicâ Miſſâ Presbytero non licere, hoc omnibus placet.

Collectionis Africanæ tit. 6.

IV.

Genethlius Epiſcopus dixit; Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliare. Quam rem debemus ſalubri conſilio corroborare. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt; Placet quod ſanctitas veſtra neceſſariò nos inſtruere dignata eſt.

Collectionis Africanæ tit. 7.

V.

Felix Epiſcopus Seſemlitanus dixit; Etiam, ſi hoc placet ſanctitati veſtræ inſinuo, vt diœceſes quæ nunquàm Epiſcopos habuerunt, non habeant: & illa diœceſis quæ aliquando habuit, habeat proprium. Et, ſi accedente tempore, creſcente fide, Dei populus multiplicatus deſiderabit proprium habere rectorem: eius videlicet voluntate, in cuius poteſtate eſt diœ-

Ferrandi cap. 13. tit. 5.

cesis constituta, habeat Episcopum. Secundùm autem hanc prosecutionem Sanctitas vestra æstimet quid fieri debeat. Genethlius Episcopus dixit; Si placet, insinuatio fratris & Coepiscopi nostri Felicis ab omnibus confirmetur. Ab vniuersis Episcopis dictum est, Placet.

VI.

Ferrandi cap. 194. tit. 6. Collectionis Africanæ tit. 8.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit; Præterea sunt quamplurimi non bonæ conuersationis, qui existimant, maiores natu vel Episcopos passim vagéque in accusatione pulsandos. Debent tam facilè admitti contrà apostolicam regulam, nécne? Genethlius Episcopus dixit; Placet ergo caritati vestræ, vt is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem aduersùs maiores natu non habeat accusandi? Ab vniuersis Episcopis dictum est; Si criminosus est, non admittatur vt accuset. Omnibus placet.

VII.

Collectionis Africanæ tit. 9.

Felix Episcopus Sesemlitanus dixit; Illud autem vestræ suggero sanctitati, vt si qui pro facinoribus suis de Ecclesiâ pelluntur; & ausi fuerint ad comitatum pergere, aut ad iudicia publica prosilire, aut forsitan ecclesiæ catholicæ limina conturbare: si Episcopus vel clericus cuiuslibet plebis eos sine consensu susceperit, de his quid censetis? Epigonius Episcopus Bullensis Regiorum dixit; Si quis Episcopus communionem tenens catholicam, huiusmodi homines vanis blandimentis incedentes temerè susceperit, sciat cum his se reiectis esse deprauatum vel damnatum. Genethlius Episcopus dixit; Ergo rectè suggerunt fratres & Coepiscopi, vt qui merito facinorum suorum ab Ecclesiâ pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo aut Presbytero vel clerico fuerint in communione suscepti, refugientes sui Episcopi regulare iudicium, etiàm ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius. Ab vniuersis Episcopis dictum est; Omnibus placet.

VIII.

Ferrandi cap. 101. tit. 7. Collectionis Africanæ tit. 10.

Felix Episcopus Sesemlitanus dixit; Nec illud prætermittendum est, vt si quis fortè Presbyter ab Episcopo suo correptus aut excommunicatus, tumore vel superbiâ inflatus, putauerit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contrà ecclesiasticam fidem disciplinámque credi-

derit, non exeat impunitus. Genethlius Episcopus dixit; Necessariò disciplinæ ecclesiasticæ & fidei congrua sunt, quæ Felix frater noster prosecutus est. Proinde quid exinde videtur vestræ dilectioni, edicite. Ab vniuersis Episcopis dictum est; Si quis Presbyter à Præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet vtique apud vicinos Episcopos conqueri, vt ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbiâ (quod absit) inflatus, secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Nihilominùs & de ciuitate & congregatione in quâ fuerit, longiùs repellatur: ne vel ignorantes, vel simpliciter viuentes, serpentinâ fraude decipiat. Quoniam secundùm Apostolum Ecclesia vna est, vna fides, vnum Baptisma. Et si querimoniam iustam aduersùs Episcopum habuerit, inquirendum erit.

Collectionis Africanæ tit. 11.

IX.

Ferrandi cap. 90. tit. 7.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit; In quibusdam locis sunt Presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter, præsente & inconsulto Episcopo, complurimis in domiciliis agant agenda: quod disciplinæ incongruum cognoscit esse sanctitas vestra. Genethlius Episcopus dixit; Fratris & Coepiscopi nostri dignæ suggestioni respondere non moremur. Ab vniuersis Episcopis dictum est; Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

X.

Ferrandi cap. 55. & cap. 96. tit. 8. Collectionis Africanæ tit. 12.

Felix Episcopus Sesemlitanus dixit; Etiàm hoc adiicio secundùm statuta veterum Conciliorum, vt si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare: ne in crimine remaneat, à duodecim Episcopis audiatur: & à sex Presbyter, & à tribus Diaconus, cum proprio suo Episcopo. Genethlius Episcopus dixit; Quid ad hoc dicit sanctitas vestra? Ab vniuersis Episcopis dictum est, à nobis veterum statuta debere seruari.

XI.

Ferrandi cap. 24. tit. 9.

Victor Episcopus Abderitanus dixit; Roboranda est eccle-

Collectionis Africanæ tit. 5.

siastica disciplina, ne quisquam Episcoporum, alterius plebes vel diœcesim suâ importunitate pulsare debeat. Qui hoc facere tentauerit, quemadmodùm coercendus est? Genethlius Episcopus dixit; Et lex sancta prohibet, & ipsa veritas definit, non debere quenquam aliena concupiscere: proinde, quod etiàm vobis omnibus placeat, propriâ voce signate. Ab vniuersis Episcopis dictum est; Placet, secundùm diuinæ legis, & sancti Euangelij auctoritatem, vt nemo nostrûm alienos limites transgrediatur.

XII.

Ferrandi cap. 4. tit. 10. Collectionis Africanæ tit. 13.

Numidius Episcopus Maxulitanus dixit; Aliqui Episcopi vsurpatione quâdam existimant, contempto Primate cuiuslibet prouinciæ suæ, ad desiderium populi Episcopum ordinare, sine litteris ad se primæ cathedræ manantibus, neque posteà acceptis. Quid de hoc statuet sanctitas vestra? Genethlius Episcopus dixit; Quoniam communis est honorificentia, quam vnicuique seruari oportet, idipsum fraternitati vestræ conuenit pronunciare. Ab vniuersis Episcopis dictum est; Placet omnibus vt inconsulto Primate cuiuslibet prouinciæ, tam facilè nemo præsumat (licèt cum multis Episcopis) in quocumque loco sine eius, vt dictum est, præcepto Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.

XIII.

Genethlius Episcopus dixit; Omnia ergo quæ à vestro cœtu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri? Ab vniuersis Episcopis dictum est; Placet, placet vt custodiantur ab omnibus. Genethlius Episcopus dixit; Si (quod non opinamur) ab aliquo fuerint violata, quid statuitis quod fieri debeat? Ab vniuersis Episcopis dictum est; Qui contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc cœtu separabit. Genethlius Episcopus dixit; Gratulemur, Domino nostro præstante, quod pro statu Ecclesiæ catholicæ cuncta nos salubri consilio seruanda decreuimus. Et ideò, quæ ab omnibus sunt dicta, propriâ debemus subscriptione firmare. Ab vniuersis Episcopis dictum est; Fiat, fiat. Et subscripserunt.

Explicit Concilium Carthaginense secundum.

BEATI FVLGENTII RVSPENSIS EPISCOPI

Liber pro fide catholicâ aduersùs Pintam Epiſcopum Arrianum.

Nunc primùm prodit ex duobus MSS. codicibus, Diuionenſi & Cartuſiæ Portarum.

I. CATHOLICÆ fidei fidiſſimum fundamentum poſt Chriſtum Apoſtolos eſſe, certa fidei teſtatur integritas: quam rationem, ipsâ forſitan prædicatione ceſſante, occulta neſcio quæ operatio Spiritus ſancti in mentibus fidelium ſeminata atque concreta inſinuat. Quis tamen bene credentium ignorat, quia hæreſes omnes de Catholicâ exierunt tanquam ſarmenta inutilia de vite proiecta? Ipſa autem manet in radice ſuâ, in vite ſuâ, in caritate ſuâ, & portæ inferorum non præualebunt aduersùs eam. Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia catholica, contra omnes hæreſes pugnans, pugnare poteſt, expugnari non poteſt: de quâ Salomon in Canticis Canticorum, ex perſonâ Chriſti ſuam ſponſam quam Eccleſiam credimus laudantis, dicit; *Ecce proxima mea tanquam lilium in medio ſpinarum*: quia diuerſarum hæreſum dogmatibus eius integritas tanquam ſpinis quotidie pungitur, vt contra hoſtes ſuos vigilans exerceatur, donec eminens tanquam lilium in capite ſponſi ſui, candore ipſo decoretur.

Cant. 2. 2.

II. Verùm quia quidam proprio ſpiritu actus, eius fidei cul-

tores Homousianos vel Vnisubstantianos vocandos esse præsumpsit, eius imperitiæ respondendum. Tantus enim ac talis est omnipotens Deus, vt per malos pronunciet bona; sicut per Pontificem malum, nostræ redemptionis prædicere dignatus est sacramentum. Is namque qui ipsum condidit libellum sæuâ mente conceptum, congeriem diuinorum testimoniorum tam noui quàm veteris testamenti contra Homousion opponendam putauit. De talibus olim prænunciauit Apostolus, dicens; *Nescientes de quibus loquantur, neque de quibus adfirment.* Si enim sciret quid Homousion ex Græco in Latino exprimitur, laudare potiùs quàm exprobrare contenderet. Patres enim nostri trecenti decem & octo, qui ad Arrij venena excludenda antidotum huius vocabuli confecerunt, non extraneis vocibus ab Euangelio vsi sunt, sed verbum è verbo ad ritum facilius, rectæ fidei rationem nondum intelligentibus insinuare curarunt: homos namque vnus, vsia substantia Græco sermone appellatur. Consule Euangelij dictum, & inuenies hoc esse ore diuino prolatum; *Ego & Pater vnum sumus.* Discute pluralem, & redi ad singularem substantiæ veritatem. Nam quòd dixit, *Ego & Pater vnum sumus*, Patris, suámque personam; contra Sabellium quem præuidebat futurum hæreticum, dicendo sumus, sententiam promulgauit, vt discerneret suam, Patrísque personam. Vnum quod dixit, æquè Arrium præuidebat, qui substantiam deitatis intersecare non dubitat Quia & Sabellius malè coniunxit, & Arrius sceleratiùs separauit: oportebat namque Sabellium Patris, Filiíque personam secernere, & Arrium deitatis substantiam in nullo penitùs separare. Magnum sanè crimen fidei putant adplicari Catholicæ, cùm eius alumnos Homousianos, vel Vnisubstantianos appellant: quasi homousion vel substantiam deitatis, vel alicuius hominis vocabulum contineat; sicut diuersarum hæresum auctores, sui nominis sectam discipulis prædicandam esse senserunt. Sicut Simoniani à Simone, Menandriani à Menandro, Marcionistæ à Marcione, Valentinianistæ à Valente, Manichæi à Mane, Nepotiani à Nepote: & vt antiquas & penè iam deficientes hæreses prætermittam, nouellas interim nominabo; vt sunt Sabelliani à Sabellio, Arriani ab Arrio, Eunomiani ab Eunomio, Macedoniani à Macedonio, Apollinaristæ ab Apollinare,

1. Tim. 1. 7.

Ioan. 10. 30.

linare, Nestoriani à Nestorio, Donatistæ à Donato, Maximianistæ à Maximiano, Rogatistæ à Rogato; & si qui sunt alij qui nomine tenus tantùm, non opere dicuntur Christiani, qui derelicto Deo, auctorum suorum nomina venerantur. Doceat is qui HOMOUSION in Catholicos accusandum putauit, alicuius esse hominis nomen HOMOUSION. Videretur namque mihi, nisi Euangelij clarissimum culmen omnibus gentibus luce clariùs innotuisset, vt hæresim suam quo modo fouendam arbitrarentur Arriani, possent ipsa Domini verba de Euangelio eradicare; id est; *Ego & Pater vnum sumus.* quod (vt dictum est) verbum è verbo translatum HOMOUSION Patres statuerunt.

Ioan. 10. 30.

III. Quòd autem apud imperitos astruunt, multis debere credi, an paucis; eò quòd Nicænum Concilium in trecentis decem & octo Patribus celebratum est; Ariminense verò in octingentis triginta iactitant congregatum, vbi HOMOUSION callidi homines apud imperitos interpolare conati sunt; compendio referam. Ecce HOMOUSION in paucis obtinuit, vt cæteris Episcopis per totius orbis spatia constitutis sic innotuisset, vt eius se confessione gaudeant decorari. Quòd si posterior ARIMINENSIS * in tantâ multitudine vt asserunt congregatus est, eius sectæ Episcopi per orbem multiplicarentur, populi crescerent, talis fides etiam ipsa imperia occuparet. Sed vbi fraudis illius calliditas per prudentes & probatissimos viros est agnita, ita HOMOUSION confirmatum est, vt vix Ariminensis reliquias ad probandos Catholicos remansisse cernamus. Ipsam vrbem Ariminum, vbi hoc fraudis negotium gestum est, vel potiùs concinnatum, si complacet, consulamus. Vtrùm ipsius sectæ habeat Episcopum, nescio: nam de Mediolano liberiùs astruam, vbi Auxentius sectæ suæ venena vt callidus artifex fudit: cuius posterior Ambrosius dogma ita destruxit, Spiritu sancto repletus; vt nomen eius post mortem, in ipsâ vrbe, à memoriâ viuentium raderetur; & velut quoddam contagium eius vocabulum habeatur. Per quem Ambrosium & Augusti tunc Gratiani fides firmata est, & crementa in Episcopis & populis magìs magísque creuerunt. Non enim omnipotens Deus, qui per omnes Scripturas, Ecclesiæ suæ crementa promisit, deserere suam pollicitationem, & dimittere posset cres-

* *Videtur deesse* conuentus.

cere falsitatem. Hoc de omnibus hæresibus dictum sit.

IV. Cæterùm in consequentibus, adiuuante Deo qui & cor instruit & linguam regit, & de vno Deo, & de potentiâ & inuisibilitate vel æqualitate Filij cum Patre, & Spiritus sancti deitate, quæ Trinitas ipsis nolentibus vnus tamen est Deus, talia testimonia ponentur; vt si contentionis tenebras non amauerint, lucem necesse sit videant veritatis. Et ne quempiam moueat quod diximus, Ecclesiæ crementa per omnes Scripturas fuisse promissa: & si vindicant, per hanc oppressionem fuisse concessa, nouerint esse scriptum in Ieremiâ; *Clamabit perdix, congregabit quos non peperit, faciet diuitias suas non cum iudicio.* Et hoc certissimum documentum est, quia catholica fides nunquàm nisi tribulationibus & persecutionibus creuit: vt impleatur quod dictum est; *quia per multas tribulationes & angustias oportebit nos videre regnum Dei.* Illius autem fidei crementa testantur exilia innocentium, & proscriptiones miserorum, & tormenta & oppressio captiuorum. Sed video quosdam contradictores parturientes, & Donatistarum nobis obiicere persecutiones, quorum furor legibus violentiam fecit, & legibus ista perpessi sunt. Nam si quos ex eis catholica mater pio sinu suscepit, sine vllâ Baptismi iniuriâ, sine vllâ oneris iacturâ, sine vllâ Spiritus sancti contumeliâ: vt qui voluntate conuersi sunt, dolerent quia diù eos latuit caritas.

Ierem. 17. 11. — *Act. 14. 21.*

Catholica testimonia de vno Deo.

V. Prima vox Dei; *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* In Deuteronomio; *Dominus solus deducebat eos, & non fuit cum illis Deus alienus.* Item ibi; *Videte, videte quia ego sum Deus, & non est alius præter me.* In Exodo item; *Non erunt tibi dij alij absque me.* Item: *Sacrificans dijs alijs absque me, eradicabitur.* Item; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Item; *Neque enim est alius Deus vel in cœlo vel in terrâ, qui potest facere opera tua, aut comparari magnitudini tuæ.* In Osee Prophetâ; *Dominum præter me non noueris, & saluans non erit præter me.* In Esaiâ; *Ego Deus, & non est præter me saluans: adnunciaui, & saluaui, & non erit in vobis alienus.* Qui suprà; *Hæc dicit Dominus qui fecit cœ-*

Deut. 6. 4. — *Deut. 32. 12.* — *Deut. 32. 39.* — *Exod. 20. 3.* — *Exod. 20. 5.* — *Deu. 6. 13.* — *Deut. 3. 24.* — *Osee 13. 4.* — *Isaia 43. 11.* — *Isaia 45. 18.*

lum: hic Deus qui extendit terram, & fecit eam: non in vanum fecit eam, sed vt inhabitaretur. Ego sum, ego sum, & non est alius quis. Ego sum Deus & non est alius. Per meipsum iuro, nisi prodierit de ore meo iustitia, verba mea non reuertentur: quoniã mihi flectetur omne genu, & iurabit omnis lingua Deum. Qui suprà. *A sæculo non audiuimus, neque oculi nostri viderunt Deum præter te: & ante me non fuit Deus, & præter me non erit alius. Quis ego? Deus primus, & ego in ea quæ superueniunt.* In corpore Psalmorum; *Quis Deus præter Dominum nostrum?* Item; *Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia solus.* Item; *Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus: tu solus altissimus super omnem terram.* Hoc magìs Filio competit. In Regnorum, Ezechias aduersùs Sennacherib; *Domine Deus Israël, tu es Deus solus Regum omnium terræ.* Qui suprà; *Dominus Deus noster, saluos nos fac de manu eorum; vt sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.* Salomon in oratione expandit manus suas in cœlum, & ait; *Domine Deus Israël, non est similis tibi Deus, nec in cælo sursum, neque in terrâ deorsùm.* Et quamuìs de vno Deo duo vel tria testimonia sufficerent, audiant tamen ij qui nobis duos Deos introducunt. Confitentur enim Deum Patrem, & Deum Filium: hoc sanè verum est; sed qui non honorificat Filium sicut honorificat Patrem, hic impius est. Si enim debetur sacrificium vel honorificentia Patri, hoc debetur & Filio. At cùm maiorem adseris Patrem, minorem Filium, duos Deos introducis; in vtroque sacrilegus, & non audiendo; *Dominus Deus tuus, Deus vnus est;* & non honorificando Filium sicut honorificas Patrem. Nullos gradus interposuit Filius. Interroga, Patris quæ honorificentia. Tu conaris ad vtrorumque contumeliam: & Patris, quia eius Filius non auditur, de quo Pater dicit: *Ipsum audite.* & Filij, quem in suo præcepto audes contemnere. Sed iam alia testimonia de æqualitate Patris & Filij proponantur.

Isaie 45. 22.
Isaie 64. 4.
Isa. 43. 10.
Isa. 48 12.
Psal 17. 32.
Psal. 76. 15.
Psal. 82. 18.
4. Reg. 19. 15.
4. Reg. 19. 19.
3. Reg. 8. 23.
Deut. 6. 4.
Matth. 17. 5.

Testimonia de æqualitate Patris & Filij.

VI. In Apocalypsi. *Et habebat in vestimento, vel in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Si de Patre hoc

Apoc. 19. 16.

Apostolus dicit, hìc manifestè de Filio dicitur. Vbi suprà: *Beatus, & sanctus qui habet partem in resurrectione primâ: in eis secunda mors non habet potestatem. Sederunt Sacerdotes Dei & Christi eius, & regnabunt cum eo.* Vbi suprà: *Ego sum α, & ω: initium & finis. Ego sitienti dabo fontem aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius.* Vbi suprà: *Et templum non vidi in eâ: Dominus enim Deus omnipotens est templum eius, & Agnus.* Nulla differentia. Vbi suprà: *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum, procedentem de sede Dei, & Agni.* Vna sedes, non duæ. Vbi suprà; *Sedes Dei & Agni in illâ erunt, & seruient ei.* In Epistolâ Iohannis; *Omnis qui non manet in doctrinâ Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrinâ, & Filium & Patrem habet.* Filius prius. In Epistolâ Iudæ; *Dominatorem & Deum nostrum Iesum Christum negantes.* Et Deus, & Dominus. In Apocalypsi: *Dicunt montibus & petris, abscondite nos à facie sedentis in throno, & ab irâ Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Vnum, vel æquale iudicium. Vbi suprà; *Salus Deo nostro, & Agno.* Vbi suprà *Factum est regnum huius mundi, Domini Dei nostri, & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum.* Regnabit, non Regnabunt. Vbi suprà. *Et audiui vocem magnam in cælo dicentem; Facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.* Nulla diuisio. Vbi suprà: *Et vidi, & ecce Agnus stabat super montem Sion, & cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius in frontibus suis.* Numquid præiudicat, quia Filius prior nominatus est, vbi vna potestas est? Vbi suprà: *Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo, & Agno.* Vbi suprà: *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos; quia Dominus dominorum est, & Rex Regum.* Quid ampliùs habet Pater? dicatur. Ad Hebræos: *Abrahæ namque promittens Deus, quia neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens:* Si de Patre accipitur, visibilis erit: si de Filio, maior illo non erit. Pater in Euangelio: *Vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Et qui habet qui eum misit, hæc missio non de loco in locum: nam & Sol mittit radios, & non à se separatur. Item: *Sicut Pater viuificat mortuos, ità & Filius quos vult viuificat.* Ecce Filius, quos vult: ecce Spiritus, vbi vult. Philippo: *Qui me videt, videt & Patrem.* Et iterùm: *Non credis, quia ego*

[Marginal notes: Apoc. 20. 6. — Apoc. 21. 6. — Apoc. 21. 22. — Apoc. 22. 1. — Apoc. 22. 3. — 2. Ioan. 9. — Iudæ 4. — Apoc. 6. 16. — Apoc. 7. 10. — Apoc. 11. 15. — Apoc. 12. 10. — Apoc. 14. 1. — Apoc. 14. 4. — Apoc. 17. 14. — Hebr. 6. 13. — Ioan. 5. 23. — Ioan. 5. 21. — Ioan. 14. 9. & v. 11.]

in Patre, & Pater in me? Ecce æqualitas Patris, & Filij. Item; *Pater, clarifica Filium tuum, vt & Filius tuus clarificet te.* Par potestas. Sed sufficiunt ista de æqualitate Filij cum Patre. Ioan. 17. 1.

Testimonia de Filij deitate.

VII. In Iob: *Qui extendit cœlum solus, & ambulat super mare tanquàm super terram.* In Ieremiâ: *Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque eo: qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Numquid quia hìc persona Filij expressa est, dicendo, *quia non deputabitur alius absque eo*, Patrem à deitate separamus? In Esaiâ: *Fatigata est Ægyptus, & negotiatio Æthiopiæ. Multi ad te venient, & tui erunt serui: & ambulabunt post te, alligati compedibus: & adorabunt te, & te deprecabuntur: quoniam in te est Deus, & tu es Deus solus, & nesciebamus: Deus Israël, Saluator noster.* In hoc clarissimo testimonio, non solùm deitas Filij, sed & summa cum Patre ostenditur æqualitas: nam quòd ait, *In te est Deus, & tu es Deus:* hoc in Euangelio dictum est: *Ego in Patre, & Pater in me.* Ad Romanos: *Quorum patres, & ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Propria deitas Filij. Ad Corinthios secundâ: *Qui est imago inuisibilis Dei.* Si imago, veritas. Vbi suprà: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Si Deus totus, non ex parte. Ad Ephesios: *Euangelizare incomprehensibiles diuitias Christi.* Numquid Christi solius, & non Patris? Ad Colossenses: *Quia in ipso complacuit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Hìc aduerte, quia & omnem plenitudinem, & diuinitatem: vbi nihil est quod addatur. Vbi suprà: *Vt ostenderet Deus diuitias sacramenti sui inter gentes: quod est Christus.* Ecce, diuitiæ Dei, Christus est. Vbi suprà: *Vt in agnitione sacramenti Dei, quod est Christus: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Integra plenitudo. Ad Philippenses: *Qui cùm in formâ Dei esset constitutus.* Audis formam, & negas æqualem? Vbi suprà: *Ipse autem Deus Pater, & Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos.* Ecce ambo dirigunt: par potestas. Ad Timotheum primâ: *Vt serues man-*

Iob 9. 8. Baruch. 3. 37. Isaia 45. 14. Ioan. 14. 11. Rom. 9. 5. 2. Cor. 4. 4. 2. Cor. 5. 19. Ephes 3. 8. Colos. 1. 19. Colos. 1. 27. Colos. 2. 3. Philip. 2. 6. 1. Thes. 3. 11. 1. Tim. 6. 14.

datum irreprehensibile, vsque ad aduentum Domini Iesu Christi: quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens, &c. Numquid quia dixit, *solus potens*, excluditur Pater à potentiâ? Ad Titum: *Inluxit autem omnibus hominibus gratia Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Vbi suprà: *Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Si magnus Deus Filius, nihil habet minùs. Vbi suprà: *Cùm autem benignitas & humanitas inluxit Saluatoris nostri Iesu Christi.* Hìc nec humanitatem tacuit, nec diuinitatem. Iohannes ad Parthos: *Vt credamus in vero Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna.* In hoc testimonio qui negat Filio perfectionem Dei, antichristus est. Petri secundâ: *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi.* Et quamuìs hæc pauca testimonia de deitate Filij, quasi de magno mari ipsarum Scripturarum stilla eleuata sit: cùm omnis Scriptura tam eius deitati, quàm etiàm eius pro adsumptâ carne humanitati perhibeat testimonium: sicut ipse in Euangelio secundùm Iohannem ait: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Non ait, *de nobis*; ne duos introduceret Deos. In Lucâ dixit ad eos Iesus: *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis cùm adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Nūquid excludit Patrem à testimonio Scripturarum, quia & hìc ait: *de me?* De omnipotentiâ Filij in Salomone: *Omnipotens sermo tuus Domine, de cælis à regalibus sedibus venit.* In Zachariâ: *O, fugite de terrâ Aquilonis, dicit Dominus: eò quòd ex quatuor ventis cæli colligam vos. Dicit Dominus: In Sion saluamini qui habitatis in terrâ Babylonis. Propter quod hæc dicit Dominus omnipotens: Post gloriam misit me ad gentes, qui vos exspoliauerunt. Propter quod qui tangit vos, tanquàm qui tangit pupillam oculi eius. Propter quod inducam manum meam super eos, & erunt præda prædantibus eos: & scietis quia Dominus omnipotens misit me.* Sursum omnipotens dicit: deorsum omnipotens mittit: numquid duo omnipotentes? Amos Propheta: *Dominus qui tangit terram, & mouet eam, & lugebunt omnes commorantes in eâ: & ascendet sicut fluuius Ægypti, qui ædificat super cælum ascensionem suam, & remissionem suam super terram confirmat: qui vocat*

Tit. 2. 11.
Tit. 2. 13.
Tit. 3. 4.
1. Ioan. 5. 20.
2. Pet. 1. 11.
Ioan. 5. 39.
Luc. 24. 44.
Sap. 18. 15.
Zach. 2. 6.
Amos 9. 5.

aquas maris, & effudit eas super faciem terræ: Dominus omnipotens est nomen eius. Nónne hæc omnia Filio intelliguntur conuenire? qui descendens terram tetigit, passione commouit, & de terris ascendit in cœlum, & super terram descendit è cœlo? sicut ipse promisit in Apocalypsi: *Hæc dicit qui est testis fidelis, initium creaturæ Dei: qui est, & qui erat, & qui venturus est, Dominus omnipotens.* Mouet, quia dixit, *initium creaturæ Dei*: moueat, quia dictum est, *Dominus omnipotens*: vt hoc, de deitate; illud, quòd natus est de Mariâ Virgine.

Apoc. 3. 14.

Testimonia de Trinitate.

VIII. In Euangelio: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. In nomine*, non *in nominibus.* Item: *Simile est regnum cælorum mulieri, quæ abscondit fermentum in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum.* Hìc mulier ponitur Ecclesia, quæ æquis ponderibus fidem Patris & Filij & Spiritus sancti in corda credentium abscondit. In Apocalypsi: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Tertiò audio *sanctus*, & vnum Dominum Deum. Vbi suprà: *Et dixit mihi Angelus, Hæc verba vera Dei sunt. Et cecidi ante pedes eius vt adorarem eum: & dixit mihi, Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu, & spiritus prophetiæ.* Quid tam luce clarius ad ostendendam Trinitatem, nisi verba vera Patris, testimonium Filij, donũ prophetiæ Spiritus sancti? In Psalmis: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Apud Deum Patrem fons vitæ Christus: & quia lumen est in ipso, inluminator videtur Spiritus sanctus: quia qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius. In Psalmo LXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Ter audio Deum, & vnum prædicat metuendum. In Epistolâ Iohannis: *Tres sunt in cælo qui testimonium reddunt, Pater, Verbum, & Spiritus: & tres vnum sunt.* Quid dicam de Patriarchâ Abraham? qui cùm trium speciem virorum videret, vnum in eis Deum cognouit, cùm dicit: *Dominator Domine.* Corporali ministerio tribus exhibet humanitatis officium: ab vno tamen prolis suscepit beneficium, dum dicitur

Matth. 28. 19.
Matth. 13. 33.
Apoc. 4. 8.
Apoc. 19. 9.
Psal. 35. 10.
Vers. 8.
1. Joan. 5. 7.
Gen. 18.

ei : *Ad hoc tempus veniam , & erit Saræ filius.* Non dixit, *veniemus*, sed *veniam* : ne plebem Deorum introducere videretur. Nam vt noueris Trinitatem simul habitare, simul immunditiam declinare, audi quid in Euangelio Dominus dicat : *Qui me diligit, diligetur à Patre meo : & ego diligam eum : & veniemus, ego & Pater meus, & mansionem apud illum faciemus* Ecce, Pater & Filius vnam habitant mansionem. Quid Spiritus sanctus? Audi Apostolum dicentem : *Templum Dei estis ; & Spiritus Dei habitat in vobis.* Ostensus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul habitare : ostendatur ipsa Trinitas simul immunditiam declinare. Apud Salomonem habes : *Peruersæ autem cogitationes separant à Deo.* Hoc de Patre. *Quoniam in maliuolam animam non introibit sapientia.* Hoc de Filio. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum , & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Hoc de Spiritu sancto. Sed vt compendio intellectus, Scripturæ sensum de naturâ Trinitatis vniter dicentem colligas : in Exodo item habes ; *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* In psalmo : *Viuit Dominus , & benedictus Deus meus , & exaltetur Deus salutis meæ.* Paulus : *Idem Spiritus, idem Dominus , idem Deus.* Numquid offendit catholicum sensum quià Spiritus priùs nominatus est? Item si Dominum quæras ipsam Trinitatem dictam , audi : *Adferte Domino gloriam & honorem , adferte Domino gloriam nomini eius.* Quia Rex ipsa Trinitas : *Auferte portas principes vestras , & eleuamini portæ æternales , & introibit Rex gloriæ : Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Testimonium datum , Deum tertiò repetitum , Dominum tertiò appellatum Regem. Nec dij, nec domini, nec Reges dicti sunt, quia in trina nomina & personas discernuntur : nam vna deitas, vnum dominium, vnum regale imperium. qui huic veritati studio malè vincendi contradicit , non dico damnabitur, sed iam damnatus est.

Ioan. 14. 21. | 1. Cor. 3. 16. | Sap. 1. v. 3. 4. 5. | Exod. 3. v. 6. 15 16. | Psal. 17. 47. | 1. Cor. 12. 4. | Psal. 28. 2. | Psal. 23. 9.

Testimonia de Spiritu sancto , quia Deus est.

IX. In principio libri Genesis : *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas* : qui in figurâ , Baptismi aquas sanctificaret , non qui lassando pausaret. In Iob : *Spiritus diuinus est qui fecit me , & Spiritus*

Gen. 1. 2. | Iob. 33. 4.

Spiritus omnipotens qui docet me. In diuinitate perfectio. In Euágelio: *Spiritus est Deus; & qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Item: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Ecce Spiritus immensus est. Ad Nicodemum: *Spiritus enim vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat vel quò vadat.* Quando audis, *vbi vult*, propria potestas est. In seipso Christus: *Spiritus Domini super me.* Nisi pius reuocet has voces intellectus, maior erit Spiritus Filio. Item; *Iesus repletus Spiritu sancto, reuersus est ab Iordane.* Similis intellectus. Item: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat priùs. Spiritus est qui viuificat: nam caro non proderit quicquam.* Nihil minùs habet deitatis qui viuificat. Item: *Cùm venerit Paraclitus, Spiritus veritatis, quem Pater mittet in nomine meo, ipse introducet vos in omnem veritatem, & docebit vos.* Deus est qui introducet in omnem veritatem. In Actibus Apostolorum, Petrus Cornelio: *Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto.* Homo vnctus est, non Deus. Item Ananiæ: *Quare tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Et infert: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Item: *Hæc dicit Spiritus sanctus. Segregate mihi Saulum & Barnabam, in ministerio quo vocaui eos.* Hic nec Patris nec Filij inducit personam; quos tamen sanus intellectus non separat à iussione. Item Apostolus gentibus per epistolam; *Placuit*, inquit, *Spiritui sancto, & nobis, non imponere vobis ampliùs, quam vt abstineatis ab idolis, à fornicatione, & sanguine.* Numquid hæc iussio sine Patre & Filio facta est? Item ibi: *Dixit autem Spiritus Petro; Exurgens vade cum illis, quia ego eos misi ad te.* Numquid nisi creator imperat creaturæ? Item ibi: *A Mileto autem Paulus mittens Ephesum, conuocauit Presbyteros, & maiores natu:* & post multam exhortationem intulit: *Adtendite gregem Christi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos.* Numquid ab hac constitutione Sacerdotis separatur Pater aut Filius? Paulus ad Romanos: *Spiritus autem vita æterna, & pax.* Hoc Pater, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus; sed vna vita, non tres. Vbi suprà: *Spiritus vita est propter iustitiam:* hoc Pater, hoc Filius. Vbi suprà: *Si autem Spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis:* qualis hic est Deus, qui carnem creatoris à mortuis suscitauit? Vbi suprà: *Non enim accepimus Spiritum seruitutis.* Nullus liber nisi Deus,

Ioan. 4. 24. | Ioan. 3. 34. | Ioan. 3. 8. | Luc. 4. 18. | Luc. 4. 1. | Ioan. 6. 63. | Ioan. 4. 26. | Act. 10. 38. | Act. 5. 3. | Vers. 4. | Act. 13. 2. | Act. 15. 28. | Act. 10. 19. | Act. 20. 17. | Act. 20. 28. | Rom. 8. 6. | Rom. 8. 10. | Rom. 8. 11. | Rom. 8. 15.

Rom. 15. 13. quod est Spiritus sanctus. Vbi suprà; *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: in abundantiá spei, & virtute Spiritus sancti.* Sicut Christus virtus Dei, itá Spiritus sanctus.
Rom. 15. 16. Vbi suprà; *Vt fiat oblatio gentium, sanctificata in Spiritu sancto.*
Rom. 15. 18. Spiritus sicut viuificat ita & sanctificat. Vbi suprà; *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, autem verbo & factis; per potentiam signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Virtus Filius, virtus Spiritus, virtus Pater; sed vna, non tres. Ad Corinthios primâ;
1. Cor. 2. v. 10. 11. *Spiritus autem omnia scrutatur. Nemo nouit quæ sunt Dei, nisi Spiritus eius.* Vbi suprà;
1. Cor. 3. 16. *Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Deus est qui habitat in templo suo. Vbi suprà;
1. Cor. 6. 11. *Abluti, & sanctificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & Spiritu Dei nostri.* Ecce, simul mundant, simul sanctificant Filius & Spiritus sanctus. Vbi suprà;
1. Cor. 12. 11. *Omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique prout vult.* Qui liberè quod vult facit, nulli est subditus. Ad Corinthios secundâ;
2. Cor. 3. 3. *Epistola scripta, non atramento sed Spiritu Dei viui.* Spiritus hominis non est minor homine; quantò magìs Spiritus Dei? Vbi suprà;
2. Cor. 3. 6. *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.* Qui viuificat Deus est; quia
1. Reg. 2. 6. *Dominus mortificat, & viuificat.* Ad Galatas,
Gal. 3. 14. *Vt benedictionem Spiritus accipiamus per fidem.* Deus est qui benedicit Vbi suprà;
Gal. 5. 25. *Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus.* Qui rursum benedicit, ipse viuificat vt Deus. Vbi suprà;
Gal. 6. 8. *Qui seminauerit in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* In his tribus testimoniis ad Galatas, Spiritus & benedicit, & viuificat, & dat vitam æternam. Ad
Ephes. 1. 13. Ephesios; *In quo credentes signati estis in Spiritu sancto.* Signamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vbi suprà;
Ephes. 2. 22. *In quo vos ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Item;
Ephes. 3. 5. *Reuelatum est sanctis eius Apostolis in Spiritu, esse gentes cohæredes* Omnia operatur vnus atque idem Spiritus: hæredes facit. Vbi suprà;
Ephes. 3. 16. *Vt det vobis secundùm diuitias claritatis suæ, virtutem corroborari per Spiritum suum.* Non corroborat nisi Deus. Vbi suprà;
Ephes. 4. 3. *Solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Pax Christus. Numquid duæ paces? Vbi suprà;
Ephes. 6. 17. *Et gladium Spiritus, qui est sermo Dei.* Sermo Dei Christus: Spiritus sanctus sermo Dei. Numquid duo sermones? Ad Philippenses;
Philip. 1. 27. *Siue absens audiam de vobis, quia statis in vno Spiritu*: hoc est, in Deo. Ad Thessa-

lonicenses; *Adsumpsit vos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus.* Ad Timotheum primâ; *Magnum est pietatis sacramentum; quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu.* Ecce, etiam Christi incarnationem Spiritus sanctus sanctificat. Ad Timotheum secundâ; *Bonum fideicommissum custodi, per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.* Si Deus non esset Spiritus, non auderet Apostolus per ipsum, discipulum adiurare: insuper, qui habitat in nobis. Ad Titum; *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, per Spiritum sanctum.* Petri ad gentes; *Nunciata vobis sunt per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlis: in quo concupiscunt Angeli prospicere.* Deus, quem cupiunt Angeli prospicere. Vbi suprà; *Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis; vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem Spiritu.* Vbi suprà; *Vt iudicentur quidem secundùm hominem in carne, viuant autem secundùm Deum in Spiritu.* Vbi suprà; *Si exprobramini in Christo, quoniam gloriæ Domini Spiritus in vobis requiescit.* Gloria Patris Christus est, gloria Spiritus sanctus. Numquid duæ gloriæ? Petri secundâ; *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit: non enim voluntate humanâ adlata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto acti locuti sunt homines Dei.* Nullus inspirat prophetiæ donum nisi Deus. Iohannis ad Parthos; *In hoc scimus quia manet in nobis, de Spiritu sancto quem dedit nobis.* Vbi suprà; *Quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quia de Spiritu suo dedit nobis.* Dedit, quòd audis, operatio est virtutis, non separatio deitatis. In Apocalypsi; *Et post dies tres & dimidium, Spiritus vitæ à Deo intrauit in eos: & steterunt super pedes suos.* Quod à Deo procedit, Deus est. Vbi suprà: *Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Non dixit Pater, non dixit Filius, sed Spiritus, qui per hanc iussionem ostenditur Deus. Ad Hebræos: *Si enim sanguis taurorum, & hircorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo?* Hoc testimonium docet cuius potestatis sit Spiritus sanctus, per quem caro Christi exhibetur immaculata. Vbi suprà: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vllâ miseratione, duobus vel tribus testibus mori-*

2. Thess. 2. 13.
1. Tim. 3. 16.
2. Tim. 1. 14.
Tit. 3. 5.
1. Pet. 1. 12.
1. Pet. 3. 18.
1. Pet. 4. 6.
1. Pet. 4. 14.
2. Pet. 1. 20.
1. Ioan. 3. 24.
1. Ioan. 4. 13.
Apoc. 11. 11.
Apoc. 14. 13.
Hebr. 9. 13.
Hebr. 10. 28.

tur: quantò magìs putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Ecce qualis vltio pro iniuriâ Filij, & Spiritus sancti. Vbi suprà; *Iudicem omnium Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum Christum.* Hoc testimonium conuenit Trinitati, quia & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus hìc nominatus est. Quia omnipotens est Spiritus sanctus. In Salomone; *Spiritus sanctus, multiplex, subtilis, disertus, securus, incontaminatus, omnem habens virtutem.* Et negas omnipotentem? Quia Iudex est Spiritus sanctus. Dicit Dominus; *Si abiero, mittam eum ad vos: & cùm venerit, ipse arguet mundum de peccato, de iustitiâ, & de iudicio.* Vides iudicem, qui etiam ipsum, si dicendum est, vindicat Saluatorem: & audet ei quisquam subtrahere deitatem? Et quid dicam ampliùs de deitate Spiritus sancti? quem pertimescit Dauid, dicens; *Quò ibo, Domine, ab Spiritu tuo, aut à facie tuâ quò fugiam?* Et vt concludam, tantus ac talis est Spiritus sanctus, in quo si quis blasphemauerit, inueniet eum non sibi relaxantem, neque in isto sæculo, neque in futuro.

Hebr. 12. 23.
Sap. 7. 22.
Ioan. 16. 7.
Psal. 138. 7.

X. Fides catholica ineffabilem illam diuinitatis substantiam vel naturam humanis verbis exprimere non potest: inconuertibilem, immutabilem, impassibilem, simplicem, incompositam, indiuisibilem, inaccessam lucem, inexplicabilem virtutem, sine fine magnitudinem, gloriam inconspicabilem, bonitatem concupiscibilem: inexquisitum decorem, qui mentis quidem puræ contingat & moueat affectum; iudicari autem, atque explicari non possit. Vbi est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sola natura quæ creata non est, dominationis potestas, bonitas naturalis. Pater, initium omnium, causa cunctorum, radix viuentium. à quo procedit fons vitæ, virtus & imago indemutata inuisibilis Dei, qui est Filius à Patre genitus, Verbum siue ratio viuens; qui erat semper, & erat apud Deum, & Deus erat, non factus ex Patre ante sæcula, non adsumptus postmodùm vel adoptatus in filium; non possessione vel facturâ; sed creator & factor omnium, qui est omnia quæ Pater est: cui Pater omnia quæ habet, gignendo dedit. Et vbi ergo qui dedit, gignendo dedit; & qui accepit, nascendo accepit; non inopi subuentum est, sed ipsa copia

nata eſt: non enim ille qui accepit, illi qui dedit poteſt eſſe inæqualis, quia & hoc naſcendo accepit vt eſſet æqualis. Non formam Dei perdens, in eâdem formâ ſerui factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, in quâ paulò minùs minoratus eſt ab Angelis, vt in formâ Dei maneret æqualis; quia non eſt forma illa mutabilis. Qui in cœlo ſpiritibus mundis intellectualibus in formâ Dei & Deo æqualis, vt Deus præbet exemplum; vt ſe idem exemplum redeunti etiam lapſo præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum, pœnámque mortalitatis, Deum videre non poterat, ſemetipſum exinaniuit non amittendo diuinitatem ſuam, ſed adſumendo humanitatem noſtram, & formam ſerui accipiens. Venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per ipſum factus eſt, vt exemplum ſurſum videntibus Deum, exemplum deorſum mirantibus hominem: exemplum ſanis ad permanendum, exemplum infirmis ad conualeſcendum: exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad reſurgendum fieret; ipſe in omnibus primatum tenens: vt quia homo ad beatitudinem ſequi non debebat niſi Deum, & ſentire non poterat Deum; ſequendo Deum hominem factum, ſimul ſequeretur & quem ſentire poterat, & quem ſequi debebat. Amemus ergo eum, & inhæreamus illi, caritate diffusâ in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hic Spiritus & vita eſt, & viuificans lux, & inluminans: bonus, & bonitas: Spiritus rectus, Spiritus principalis, qui eſt Dominus omnium: mittens Apoſtolos, ſeparans ſibi miniſtros, templa ſibi ipſe conſtituens: inſpirans vbi vult, diuidens donationes Spiritus prout vult. Spiritus adoptionis, Spiritus veritatis, Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſcientiæ, conſilij, virtutis, & timoris Dei: per quem Pater agnoſcitur, & Filius glorificatur. Neque enim dignum eſt, aut Filium aliquando defuiſſe Patri, aut Spiritum Filio: eſſet enim in maximis defraudata diuinitas; & velut inglorium atque indignum duceretur, ſi velut ex pœnitentiâ & præpoſtero conſilio Deus ad perfectionis plenitudinem perueniſſet. Qui poteſt capere capiat: qui nondum poteſt, oret vt capiat, credat vt capiat; quia ſcriptum eſt; *Niſi credideritis, non intelligetis.*

Iſai. 7. 9. ſecundùm LXX.

FINIS.

BEATI FVLGENTII EPISCOPI RVSPENSIS,

De veritate prædestinationis & gratiæ, LIBER TERTIVS.

Hactenùs longè maximâ sui parte mutilus, nunc primùm integer prodit ex MS. codice Cartusiæ Portarum.

CAPVT PRIMVM.

IAM nunc de illis, quos Deus prædestinauit in adoptionem filiorum, ordo suscepti operis cogit disputare: quos secundùm veræ fidei regulam sanctarum Scripturarum auctoritate firmatam, non solùm ad præmium glorificationis, sed etiàm ad gratiam iustificationis: nec solùm ad æternã beatitudinẽ, quæ non mutatur, verùm etiàm ad fidem, quę per caritatem operatur: neque ad æterna tantùm præmia, sed etiàm ad bona merita gratuitâ bonitate Dei ante mundi constitutionem in Christo prædestinatos, & huius prædestinationis beneficio secundùm propositum vocatos & iustificatos, nullus debet ambigere Christianus. Quisquis enim veritatem prædestinationis diuinæ negare contendit, mutabilem Deum sinè dubio prædicat, cui temporalium actuum humanorum temporalem cognitionem peruersus assignat? Nam si Deus incommuta-

bilis est, quod dubitandum non est, omnia futura ex æternitate incommutabiliter nouit, & omnia opera sua incommutabili ordinatione disposuit. Nec potuit esse dispositionis eius aliquando mutatio, vbi dispositorum sine initio manet æterna cognitio. Proinde apud Deum sicut nunquàm defuit futurarum præscientia rerum, sic nunquàm defuit sempiterna & incommutabilis operum vel donorum prædestinatio futurorum. Apud ipsum quippe, in quo æterna incommutabilitas, & incommutabilis æternitas manet, sicut inchoandarum rerum scientia nunquàm potuit inchoari, sic mutabilium operum nunquàm potuit æterna dispositio commutari. Deus itaque sicut nunquàm futurarum rerum fuit inscius, ita nec misericordiæ, aut iudicij sui fuit ignarus: sed sicut semper omnia futura & bona & mala præsciuit, sic omnia opera gratiæ atque iustitiæ suæ incommutabili prædestinatione disposuit.

CAPVT II.

MAgna quippe altitudo sapientiæ & scientiæ Dei: quibus diuitiis plenus, omnia futura & scienter cognouit, & sapienter præordinauit. Cui vtique non inconuenienter dicitur: *Ecce tu Domine cognouisti omnia, nouissima & antiqua.* Et quem veraciter futura opera sua iam fecisse Beatus prædicat Isaias, dicens: *Qui fecit quæ futura sunt.* Futura quippe opera sua eo iam fecit, quo incommutabiliter facienda disposuit. Vnde rectè quidquid facturus est, iam ab ipso factum dicitur, in cuius operibus faciendis æterna dispositio & incommutabilis inuenitur. Virtus enim & sapientia Dei ex æternitate incommutabiliter omnia futura nouit, irreprehensibiliter vniuersa opera sua futura disposuit. Sic omnia quæ disposuit, irreprehensibiliter facit. Non mutat Deus prædestinata, quia sapientia eius non fallitur, aut reprehenditur in dispositione: & perficit Deus prædestinata, quia virtus eius non impeditur aut superatur in opere. Hinc est, quòd Deus noster, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas, & cui veraciter misericordiam & iudicium cantat Ecclesia, quia non solùm omnia opera sua, quæ vtique bona sunt, exquisita in omnes voluntates eius; sed etiàm quædam hominum & Angelorum opera

Psal. 138. 5.

Isaia 45. 11. secundùm LXX.

mala quamuis in tempore facienda, ipse tamen incommutabilis & æternus, incommutabili atque perenni cognitione præsciuit; non solùm ea disposuit, quæ ipse gratis quibus vellet donaret vt bonus; verùm etiam illa, quæ & bonis & malis redditurus esset vt iustus. prædestinauit ergo gratis iustificandos impios, & glorificandos iustos, quos præueniret & subsequeretur misericordia eius. Hi sunt secundùm propositum vocati: hi sunt, quos Deus præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij eius. Fieri autem à quo, nisi ab illo, qui eos Abrahæ promisit? cui Abraham confortatus fide gloriam dedit, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere? Ipse itaque quos prædestinauit, fecit & facit conformes imaginis Filij sui, qui est fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. De his Apostolus dicit; *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Omnes isti prædestinati sic vocantur, vt iustificentur; sic iustificantur, vt glorificentur. Ac per hoc prædestinauit quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna: prædestinauit ad vitam bonam, prædestinauit ad vitam æternam: prædestinauit ad fidem, prædestinauit ad speciem: prædestinauit adoptandos in sæculo, prædestinauit glorificandos in regno: prædestinauit per gratiam faciendos primogeniti fratres, prædestinauit per gratiam perficiendos eiusdem vnigeniti cohæredes.

Rom. 8. 30.

CAPVT III.

HÆc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia, & iusta maiestas. Neque enim ignarus futurorum vnquam esse potuit filiorum, qui vnico Filio, quem sibi coæternum ac sine initio genuit, prædestinationis fratres præparauit. Nobis gratis gratiam præparans, gratis gratiam donans; quos iustificaret eligens in ipso ante mundi constitutionem, non ex humanis meritis, sed ex gratuito suæ proposito voluntatis: voluntatem suam bonam faciens causam iustificationis nostræ, non iustitiam nostram inueniens causam voluntatis suæ. Testatur enim Apostolus, quia Deus elegit nos in Christo ante mundi constitutionem.

Ephes. 1. 4.

stitutionem. Et vt ostenderet, nos non ex operibus eligi meruisse, sed ex electionis dono bona merita percep isse, continuò subiunxit, dicens: *Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Hæc electio fuit in æternâ Dei præparatione, quæ per eius gratiam perficeretur in tempore. Hæc electionis æterna præparatio, ipsa est diuina prædestinatio: in quâ dignè totum gratuito beneficio diuinæ bonitatis adscribitur, quia sola ibi erga nos miserantis Dei caritas inuenitur. Ideò subsequutus Apostolus, hoc nobis euidenter inculcans, ait; *Qui in caritate prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Et vt totum ex solo proposito bonæ voluntatis Dei descendere doceret, adiecit; *Secundùm propositum voluntatis suæ.* Et vt hoc propositum bonæ voluntatis Dei gratuitum esse monstraret, sequutus adiecit; *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Prædestinatio vtique filiorum Dei ad hoc vtiliter non solùm cognoscitur, verùm etiàm prædicatur; vt in omnibus bonis humanæ voluntatis & operis, dum diuina prædestinatio in æternâ gratiæ præparatione cognoscitur, eiusdem prædestinationis effectus in ipsâ gratiæ donatione nihilominùs agnoscatur: ac per hoc in istâ filiorum Dei adoptione, quam Deus & prædestinando præparauit ex æternitate, & vocando ac iustificando largitur in tempore, gratia Dei glorificetur, & ipsa laudetur. Elegit enim nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.

Ephes. 1. 5.

CAPVT IV.

NOn ergo quos eligeret, aut sanctos, aut immaculatos inuenit, aut inueniendos esse præsciuit; sed vt sanctos & immaculatos faceret, ante mundi constitutionem elegit. Non ergo nos ideò elegit, quia sancti & immaculati futuri eramus, sed vt sancti & immaculati essemus. Et ideò nos in caritate prædestinauit, quia vt nos prædestinaret, gratuitæ nobis effectum caritatis impendit. Prædestinauit autem nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, non secundùm meritum, aut voluntatis aut operationis nostræ, sed secundùm propositum voluntatis suæ. Et quoniam gratìs à Deo

hanc adoptionem filiorum accepimus, à quo gratis electi sumus, vt sancti & immaculati essemus, ideò in his omnibus laudem gloriæ gratiæ Dei Beatus Paulus insinuat: vt omnis, qui eiusdem gratiæ illuminatur munere, & verum gratiæ donum ex æternitate prędestinationis intelligat, & æternam Dei prædestinationem ex dono gratię spiritalis agnoscat. Cuius prędestinationis ita manet æterna firmitas & firma æternitas, non solùm in dispositione operum, verùm etiàm in numero personarum; vt nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat; nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis ęternę perueniat. Deo enim qui scit omnia antequàm fiant, sic non est incertus prędestinatorum numerus, sicut dispositorum operum dubius apud eum non inuenitur effectus. Apud se habet certissimum numerum prędestinatorum ille, qui eos in adoptionem filiorum per Christum prędestinauit; quia in mensurâ & numero & pondere cuncta disposuit. Ipsos enim promisit Abrahæ dicens; *Respice in cœlum, & numera stellas, si potes dinumerare eas, & dixit; Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* De his dicitur Danieli Prophetę, *Et in tempore illo saluus erit populus tuus omnis, qui inuenietur scriptus in libro.* Ipsis vtique Saluator noster ait; *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* De his in libro Sancti Danielis dicitur; *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Isti spiritaliter intelliguntur in Psalmo, vbi dicitur de Deo; *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Proinde qui numerat multitudinem stellarum, non potest suorum ignorare numerum filiorum.

Genes. 15. 5. — *Dan. 12. 1.* — *Luc. 10. 20.* — *Dan. 12. 13.* — *Psal. 146. 4.*

CAPVT V.

ILli ergo numero nec aliquis additur, nec aliquis demitur; quia secundùm propositum volũtatis suę Deus sanctos suos prędestinauit, de quo scriptum est; *quia omnia quæcumque voluit, fecit.* Ita nemo potest eius mutare prędestinationem, sicut nullus potest eius vincere voluntatem. Quòd si numerus ille certus non est apud Deum, aut diuina scientia fallitur, aut voluntas diuina mutatur, aut diuina virtus aduersitate quali-

Psal. 113. 3.

bet superatur. Quòd si aliquid horum soli possunt impij dicere, aut forte nec impius aliquis audet horum dicere aliquid, nemo diuinam prędestinationem neget; quandoquidem illius Dei prędestinatio vera prorsùs asseritur, cuius & scientia irreprehensibilis, & voluntas incommutabilis, & virtus insuperabilis inuenitur. Ad hanc prędestinationem pertinet, & gratuita iustificatio Redemptoris, & iusta redditio Iudicis. Ad hanc prędestinationem pertinet misericordia, quam Paulus consequutus est, vt fidelis esset; & corona iustitię, quam reddet ei Dominus in illâ die iustus iudex. Non solùm autem Paulo, sed & omnibus, qui diligunt aduentum eius. Omnes enim, quos Deus prędestinauit in adoptionem, gratìs hìc iustificantur ex impiis, quia Christus pro impiis mortuus est: & omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei, iustificati per gratiam ipsius. Quibus sicut per misericordiam prępărauit gratuitum iustificationis donum, ita per iustitiam præparauit æternæ iustificationis præmium. Opus itaque gratiæ in omnibus prædestinatis gratuitâ misericordiâ inchoatur, & iustâ retributione perficitur. Prædestinauit ergo Deus sanctos suos, & ad gratiam vitæ bonæ, & ad gratiam vitæ æternæ. Præparatam gratiam donat Deus, vt homines iustificentur, & bene viuant, & vitam æternam pro rectè factis accipiant. Ideò autem & ipsa vita æterna, gratia Dei ab Apostolo dicitur, quia gratìs hominibus vita bona datur, cui iustè vita æterna reddatur. Præparauit autem Deus etiam malis ignem æternum: illis vtique, quos iustè præparauit ad luenda supplicia, nec tamen prædestinauit ad facienda peccata. Prædestinauit enim Deus quod diuina æquitas redderet, non quod iniquitas humana admitteret. Prædestinauit ergo homini reo, non culpam quam odit, sed iudicium quod diligit. Scriptum est enim quia *diligit misericordiam & iudicium* Dominus. Et ideò non solùm originale, verùm etiam omne actuale peccatum in malis puniturus est Deus; quia malis operibus nec præbet initium, nec adhibet aliquando consensum. Mala itaque opera non placent Deo, quia non sunt ab eo: nam si ab ipso essent, mala non essent. Proinde bona opera quæ Deus misericorditer donat, iustè coronat; opera verò quæ ipse non tribuit, iustè punit: in istis coronatur diuina largitio, in illis autem damnatur hu-

Psal. 32. 5.

mana transgressio. Homo itaque illud habet salubriter quod acceperit à DEO; illud perniciosè, quod habuerit ex seipso.

CAPVT VI.

PEssimum est autem dicere, quia si est prædestinatio, non debemus orare nec vigilare, sed facere omnes voluntates carnis, eò quòd iam prædestinati fuerimus: cùm vtique illa gratia, quæ nobis diuinâ prædestinatione fuit præparata, ad hoc diuinitùs nobis detur vt vigilemus & oremus, & sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; sed induamur Dominum Iesum Christum, & carnis curam non faciamus in desideriis. Quomodò enim fieri potest vt gratiam quisque accipiat, & opera gratiæ ipsâ gratiâ in se operante non faciat? Gratia quippe per Spiritum sanctum datur: fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, continentia. Quis igitur acceptá sancti Spiritus gratiâ non oret, non vigilet, non concupiscentiis carnalibus ipsius suffragio gratiæ atque iuuamine repugnet? cùm vtique Saluator noster vigilare & orare nos præcipiat: & Beatus Paulus testetur quia *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Tale est autem si quis dicat; si prædestinatus est homo, nec orare debet nec vigilare; quale si dicat, ab eo cui vita fuerit diuinitùs promissa, vitæ subsidia non quærenda. Nam legimus, Ezechiæ Regis ad vitam quindecim annos dono diuinæ miserationis adiectos. Num ergo debuit Ezechias dicere, pro eo quòd apud eum certa esset diuina promissio, propterea se debere nec cibum nec potum sumere, nec ea quæ ad vitæ subsidium pertinent cogitare? cùm vtique ideò detur ipsius vitæ vsus, vt in corde viuentis viuendi perseueret affectus; & in eo quòd quisque vitam suam amat, vitæ subsidia non repellat. Ab ipsâ ergo vitâ habemus, vt de statu ipsius vitæ sollicitè cogitemus. Proinde gratia quam Deus prædestinauit, id est, ex æternitate suis fidelibus præparauit, hoc in nobis agit ex eo quòd eam accepimus, vt in nobis eam custodiri diuino munere postulemus, & hoc in operibus habeamus quod

Matth. 26. 41.
Gal. 5. 24.
4. Reg. 20. 6.

ipsâ largiente percepimus. In illis autem permanent ipsius gratiæ dona, quibus sunt diuinæ prædestinationis munere præparata.

CAPVT VII.

NOn ergo dicendum est; Si prædestinati sumus, nec vigilemus, nec oremus. Immò cùm vigilamus & oramus, gratiæ Dei beneficia cognoscamus: nec denegemus æternam bonorum istorum originem, quorum in nobis diuinam cernimus largitatem; quorum sic non potest esse prædestinatio dubia, sicut eorum cognoscitur præparatio sempiterna. Propter quod dicit Apostolus; *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Absit autem vt dum prædestinatio asseritur, euangelica & apostolica mandata soluantur: cùm vtique Iesus ab initio sciret qui essent credituri, & qui eum esset traditurus, nec falsa potuerit esse scientia creatoris: & ideò sicut præsciuit traditorem suum, nec alius eum tradidit nisi ille quem ipse præsciuit; sic vtique illos quos præparatione suâ sciebat ad fidem prædestinatos, ipsos nouerat ab initio credituros. Quomodò autem assertione prædestinationis apostolica mandata soluimus, cùm non solùm eos qui membra Christi sunt, sed ipsum quoque Christum prædestinatum Apostolo prædicante nouerimus? De ipso enim Beatus Paulus dicit; *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis.* Alio quoque loco dicit; Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neque principum huius sæculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ absconditá est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostrã. Quocirca, quid est prædestinationis assertionem arguere, nisi apostolicam doctrinam mortiferâ impietate culpare? Certissimè quippe diuinam prædestinationem Paulus & didicerat, & docebat; & quam nouerat in capite, non denegabat in corpore. Sciebat enim, æternum atque incommutabilem Deum, secundùm æternam atque incommutabilem voluntatem suam, omnia præscisse quæ à se facienda disposuit, & omnia præde-

Ephes. 2. 10

Rom. 1. 3.

1. Cor. 2. 6.

ſtinaſſe quæ ſe in Sanctis ſuis misericorditer ac iuſtè facturum eſſe præſciuit. Quiſquis ergo prædeſtinationem negat, de apoſtolicis eam priùs epiſtolis deleat: ac deinde cùm oſtenderit, iuſtè à ſe reprehenſum Apoſtolum Paulum, tunc ſe hominibus indubitanter præbeat audiendum.

CAPVT VIII.

BEatus Apoſtolus Paulus noluit ſileri quod voluit ſcribi; ſed ſicut in epiſtolis ſuis arguit ſi quem in hominibus cognouit errorem, ſic omnibus hominibus prædicari voluit quam ſuis inſeruit litteris veritatem. Ille itaque apoſtolica mandata ſine dubio ſoluit, qui apoſtolica dicta aut negare aut oppugnare contendit. Prædeſtinationem namque ſicut tam fidenter quàm veraciter Beatus Apoſtolus prædicauit, ita nobis prædicandam fidenter veraciterque mandauit. Nec timuit ne videretur geneſim, vel fatum, aut conſtellationem introducere: quod ſi iſti fratres inaniter metuunt, illic trepidantes timore vbi non eſt timor; & cum impiis reprehendi formidant, impié de Deo ſentire non dubitant. Quis enim deteriùs poteſt de Deo æterno, de Deo vero, de Deo bono ac beato ſentire, quàm qui eum negat ex æternitate ſcire quod eſſet facturus in tempore? aut fortuitum aſcribit diuinis operibus curſum, negans æternum manere futuræ ſuæ operationis in illâ incommutabilis Dei æternâ voluntate conſilium? Hæc enim aſſertio quæ verè diuino eſt inimica conſilio, ſicut bonas hominum voluntates & opera in æternâ Dei prædeſtinatione haberi omnimodis negat, ita Dei ſcientiam ex humanis voluntatibus atque actibus pendere confirmat. Si enim Deus omnia futura opera ſua ex æterno præſciuit, procul dubio eadem opera ſua bonæ voluntatis ſuæ propoſito præparauit; & quod eſſet operaturus, incommutabilis conſilij firmitate diſpoſuit: nec aliter poteſt ordo diuinorum operum currere, quàm inuenitur in eius incommutabilis cognitionis præparatione conſtare. Quicquid in tempore mutabiliter geritur, hoc in altitudine diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, æternum atque incommutabile naturaliter inuenitur: qui ſcientiæ ſuæ plenitudine vniuerſa futura cognouit, & altitudine ſapientiæ ſuæ cuncta opera ſua, priùs

quàm fierent, mirabili ordine præparauit. Alioquin præcedet diuinam sapientiam humana cogitatio atque operatio, si non eam ex æternitate comprehendit diuina cognitio.

CAPVT IX.

NEcesse est autem vt si Deus incommutabilis est & æternus, sit eius incommutabilis & æterna cognitio. Incommutabili autem & æternæ scientiæ nihil accidit temporale. Quoniam si aliquid ei in tempore accidisse cognoscitur, necesse est vt initio, mutabilitatíque subdatur: nec potest esse sine initio natura, cuius scientia initio inuenitur esse subiecta. Cœpit enim esse qui non fuit, cui scientia cœpit esse quæ defuit: nec omnia potest simul scientiæ plenitudine continere, qui potuit aliquid aliquando nescire. Semper ergo mutabilis fuit qui plenitudine cognitionis indiguit: nec eius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: nec attingit vbique propter munditiam suam, si vel eam aliquid futuri operis latuit, vel non habuit in æternâ dispositione ac prædestinatione quod facit: nec retinet integrum suæ incommutabilitatis statum, si temporalibus operibus suis non æternum sed temporale potest adhibere consilium. Quapropter scientes, Deum incommutabilem, & æternum, & perfectum, creaturæ omnipotentissimum conditorem, & omnium quæ facturus erat cognitorem atque dispositorem æternum; confiteamur eum opera sua omnia ex æternitate præordinasse, ex æternitate dona sua & iudicia præparasse. Ille enim cui Propheta dicit; *Omnia in sapientiâ fecisti*; in eâdem sapientiâ in quâ omnia condidit, cuncta quæ se facturum cognouerat, ex æternitate disposuit; quia nihil eorum quæ facturus fuerat ignorauit. Omnes ergo ante mundi constitutionem prædestinando Deus elegit, quos hìc in quacumque positos ætate, quolibet tempore secundùm propositum vocat atque iustificat: ipsis etiàm donat perseuerantiam, & eosdem omnes perducit ad vitam æternam: hos enim *omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Voluntas autem omnipotentis necesse est in omnibus impleatur. Fit ergo quicquid ille voluerit fieri, cuius voluntati nemo resistit: nec enim potestas Dei

Psal. 103. 24.

1. Tim. 2. 4.

minor est quàm voluntas; & ideò nihil inuenitur velle, quod non possit efficere. Quædam quidem Deus facere posset, & non facit; nihil est tamen quod fieri velit aliquando, nec faciat: *omnia* enim *quæcumq; voluit Dominus, fecit in cælo & in terrâ, in mari & in omnibus abyssis.* Proinde & in hominibus quoniam quæcumque voluit fecit, quoscumque vult fieri saluos, facit: & quoniam ipsa veritas veraciter dicit; *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum;* illos omnes facit ad agnitionem veritatis venire, quos ipse misericorditer dignatur attrahere.

Psal. 134. 6.

Ioan. 6. 44.

CAPVT X.

IDeò autem *omnes* dicuntur, quia ex omni hominum genere colliguntur: ex omnibus gentibus, ex omnibus nationibus, ex omnibus dominis, ex omnibus seruis, ex omnib⁹ Regib⁹, ex omnib⁹ militib⁹, exomnibus prouincijs, ex omnibus linguis, ex omnibus ætatibus, ex omnibus gradibus. Ita salui fiunt omnes quos vult Deus saluos fieri, quia nemo saluatur, nisi quē ille voluerit gratuitâ iustificatione saluare. Nam cùm Saluator noster dixerit: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius & cui voluerit Filius reuelare:* (quod vtique dicens ostendit, se quibusdam reuelari velle, quibusdam nolle): dicatur quomodò saluos fieri velit, quibus Patrem suum, & seipsum reuelare noluerit. Ostenditur quippe in Euangelio, quibusdam in parabolis sic locutus, vt verba sua vellet audiri, nec vellet intelligi. Quod ipse Dominus indubitanter aperuit: interrogantibus namque discipulis, hæc eum Mathæus dixisse commemorat: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem non est datum.* Marcus quoque non dissimilem Saluatoris responsionem insinuat, cuius hæc ipse verba testatur: *Vobis datum est scire mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.* Lucas etiam eadem Dominum respondisse confirmans, ait: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Nempe apparet ita

Matt. 11. 27.

Matth. 13. 11.

Marc. 4. 11.

Luc. 8. 10.

ita Dominum turbis locutum, vt tamen eis regni cœlorum nollet aperire mysterium. Quod vtique faciens, ideò sua verba nolebat intelligi, quia se in illo mysterio nolebat agnosci. Illam quippe agnitionem mysterij Christi esse, Paulus testatur Apostolus dicens; *Instructi in caritate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitione mysterij Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Nam & in alio loco dicitur: *Vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi.* Fidelibus quoque instantiam orationis suę insinuans, ait; *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis; vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius.* Si ergo generaliter omnes homines vult Deus saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quid est quòd ipsa veritas quibusdam mysterium suæ agnitionis occultat? Et vtique quibus suam denegat agnitionem, denegat & salutem: in hoc enim homines salui fiunt, in quo ad agnitionem veritatis perueniunt. De Christo quippe dictum est quia *ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum:* de quo etiam Beatus Petrus ait, quiâ *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Quomodò ergo erat voluntas Dei in illis saluandis, quibus abscondebatur ipsa cognitio veritatis?

Col. 2. 2.

Col. 4. 3.

Ephes. 1. 16.

Matth. 1. 21.

Act. 4. 12.

CAPVT XI.

AN fortè dicitur, cordis eorum duritiâ faciente, Saluatorem nostrum suæ agnitionis aperire noluisse mysterium? Vbi possemus latiùs respondere. Sed vt aliquo vtamur pro seruandâ breuitate compendio; Quicumque dicunt, propter duritiam cordis eorum noluisse ipsam veritatem suæ agnitionis mysterium reuelare; interim in hoc agnoscant, non de vniuersis prorsus hominibus dici, quia omnes homines saluos vult Deus fieri, & ad agnitionem veritatis venire: cùm illos quos Christus duricordes videbat, nollet vtique saluare, quibus propter duritiam cordis eorum nolebat suæ agnitionis aperire mysterium. Aut ergo negent, Deum velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui Saluatorem nostrum quibusdam cognitionem mysterij regni cœ-

lorum dare noluisse cognoscunt; & mendacem pronuncient Apostolum Paulum: aut si Apostoli dictum vniuersaliter ad cunctos omnino refertur homines, cogentur sanctos Euangelistas pronunciare mendaces. Quomodò enim quibusdam dare noluit nosse mysterium regni cœlorum, qui omnes homines saluos vult fieri, & ad agnitionem veritatis venire? quandoquidem si omnes omnino vult, neminem vtique non vult: & si omnes vult ad agnitionem suam venire, omnibus debet mysterium suæ agnitionis ostendere. Sed quibusdam ipsum mysterium nosse non dedit. Quale fuit ergo, & velle saluare, & nolle mysterium salutis ostendere? Quale fuit quæso, si veritas voluit vt ad agnitionem eius omnes homines venirent, & eis noluit ostendere quà venirent? Quale hoc est, vt eis neget vitam, quos inuitat ad patriam? Ipse enim ait; *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quomodò ergo illos vult venire ad agnitionem suam, quibus denegat agnitionem suam? Quid est enim nolle mysterium suæ agnitionis ostendere, nisi nolle saluare? Non ergo omnes homines vult saluos fieri, qui vel quibusdam pro duritiâ cordis sui, noluit suæ agnitionis aperire mysterium, sine quo nullus peruenit ad salutem. Sed Apostolus mentiri non potuit, qui dixit quia *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Sed nec Euangelistæ mentiti sunt, qui dixerunt, ipsum Dominum discipulis dedisse, alijs non dedisse nosse mysterium regni cœlorum. Et vtique illis quia dare voluit, dedit; illis autem quia dare noluit, non dedit: & quia istis propterea dedit vt salui fierent, agnoscitur illis ideò non dedisse ne fierent. Istos ergo saluos fieri voluit, quibus nosse mysterium salutis dedit; illos autem noluit, quibus salutaris mysterij notitiam denegauit: nam si vtrosque saluos fiere voluisset, vtrisque agnitionem salutaris mysterij contulisset.

Ioan. 14. 6.

1. Tim. 2. 4.

CAPVT XII.

QVoniam ergo vtraque Scriptura vera est, vtraque sancta, vtraque diuinitus inspirata, & ob hoc vtraque venerabiliter est seruanda, & indubitanter audienda & accipienda; remoueantur ab omnibus illis, omnes isti quibus

Christus non dedit nosse mysterium regni cœlorum: & dignè intelliguntur illi omnes homines, quos vult Deus saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; quia reuerà in illis voluntas saluantis agnoscitur, quibus agnoscendæ veritatis gratia non negatur. Sic Deus, quia omnia quæcumque voluit fecit, suam implet in omnibus voluntatem; quia omnibus quos vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, donat salutaris mysterij rectam cum caritate notitiam. Hos omnes Beatus Petrus sic intelligendos ostendit, vt illos omnes diceret, quos Deus vocare dignatur: ipsius enim verba sunt, ad Iudęos ita loquentis; *Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster.* Nam & Beatus Paulus quodam loco dicit omnes, cùm tamen nolit vniuersaliter omnes intelligi: scribens enim Philippensibus, ait; *Omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi.* Vbi vtique si ab omnibus istis nullus excipitur, necesse est vt etiam omnes Apostoli, & cæteri illius tēporis fideles cum istis omnibus computentur; quod nullus quantumlibet impius suspicabitur. Restat ergo vt quosdam omnes debeamus accipere; id est, non omnino omnes homines, sed omnes qui sua quærebant, non quæ Iesu Christi. Nam in eâdem epistolâ superiùs quosdam bonos ostendens, ait; *Quidam autem & propter bonam voluntatem Christum annunciant, quidam ex contentione, scientes quòd in defensione euangelij positus sum.* Qui ergo propter bonam voluntatem ex caritate Christum annunciabant, quia caritas non quærit quæ sua sunt, non sua quærebant, sed quæ Iesu Christi: non ergo erant inter illos omnes qui sua quærebant, & non quæ Iesu Christi. Hos bonos, in fine epistolæ suæ sanctos appellat: & sicut illos malos, omnes dicit; ita & istos bonos, omnes nihilominùs dicit: ait enim, *Salutant vos sancti omnes.* Ecce, in vnâ eâdemque Beati Apostoli epistolâ ponuntur, & omnes sancti, & omnes qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi: cùm vtique & omnes qui sancti erant, sua non quærerent; & omnes qui sua quærebant, sancti non essent. Accipiantur ergo & omnes isti & omnes illi, non confusè sed distinctè; & sic vtrique omnes dicantur, vt omnes isti ab illis omnibus, & illi omnes ab istis omnibus recto veritatis ordine discernantur.

Act. 2. 39.

Philip. 2. 21.

Philip. 1. 15.

Philip. 4. 22.

Idem sensus est & in omnib⁹ tribubus, quas Deus semini Abrahæ promisit, & in eo benedicendas ostendit, dicens; *Et benedicentur in te omnes tribus terræ*: quod etiàm Beatus Petrus confirmans, ait Iudæis; *Vos estis filij Prophetarum, & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham; In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. Ostēdens autem Christum esse semen Abrahæ, in quo est omnium tribuum benedictio repromissa, continuò hæc verba subiecit; *Vobis Deus primùm suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis*. Christus est itaque semen Abrahæ, in quo benedicentur omnes tribus terræ. Et vtique vera est Dei promissio, quia *fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*: in cuius promissione Abraham non hæsitauit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens quia quæcumque promisit potest & facere.

Gen. 28. 14. — Act. 3. 25. — Act. 3. 26. — Psal. 144. 13.

CAPVT XIII.

CVm ergo in Christo benedici omnes tribus terræ nullus ambigat Christianus, Beatus tamen Iohannes in Apocalypsi loquens de Christo, id est, de ipso semine Abrahæ, in quo benedicentur omnes tribus terræ, veraciter vtique dicit; *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ*. Ecce, omnes tribus terræ benedicentur in Christo, quo tamen veniente plangent se omnes tribus terræ. Quomodò itaque nobis vtrumque constabit, si vel in bono vel in malo sic omnium tribuum plenitudo vniuersalis accipitur, vt nihil parti alteri relinquatur? Sed idem Beatus Iohannes qui de ipsius pectore veritatis, vbertatem veridicæ prædicationis ebiberat sic ostendit omnes istas tribus, quæ se in aduentu Christi plāctura sunt; vt omnes istas tribus quas in semine Abrahæ benedicendas Deus verax promisit, ex illis omnibus tribubus colligi demonstraret. In eodem quippe libro eos qui agni redempti sunt sanguine, inducit cantantes canticum nouum, & dicentes; *Dignus es Domine, accipere librum, & aperire signacula eius, quia occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & gente: & fecisti nos Deo nostro*

Apoc. 1. 7. — Apoc. 5. 9.

regnum & Sacerdotes: & regnabunt super terram. Alio quoque memorati libri loco, dum ex duodecim tribubus filiorum Iſraël, duodena de ſingulis tribubus memoraſſet millia ſignatorum; vt etiàm ex omnibus tribubus terræ innumerabilem turbam fidelium demonſtraret, ita loquitur; *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis, & populis, ſtantes ante thronum, & ante agnum: amictos ſtolis albis, & palmæ erant in manibus eorum.* Hæ ſunt omnes tribus de omnibus tribubus congregatæ. Iſtæ ſunt omnes tribus, quæ benedicuntur credentes in Chriſtum; de omnibus tribubus illis, quæ ſe ideò plangent, quia non crediderunt in Chriſtum. Sic intelliguntur omnes fideles, & omnes infideles; omnes boni, & omnes mali: omnes quos Deus miſericordiſſimâ bonitate ſaluat, & omnes quos iuſtiſſimâ ſeueritate condemnat: quibuſdam iuſtè non donans veritatis agnitionem, quibuſdam miſericorditer agnoſcendam reuelans veritatem, & in omnibus implens ſuam omnipotentiſſimam voluntatem

Apoc. 7. 9.

CAPVT XIV.

PLurima ſecundùm iſtius intelligentiæ ſaluberrimam regulam, in diuinis eloquiis teſtimonia poterit inuenire, quiſquis voluerit Scripturas diuinas recto cordis oculo recenſere. Cùm verò de humanâ volũtate tractatur, quod pertinet ad ſalutis vel exordium, vel effectũ, verum eſt quidem quia de illis qui ratione vtuntur, qui volunt ſaluantur, & qui nolunt non ſaluantur: ſed illi qui ſalui fiunt, tunc ſaluari volunt quando diuinâ gratiâ præueniuntur vt velint; immò tunc ſaluari volũt, quando ipſum velle dono diuinæ largitatis accipiunt. Sancta enim Scriptura mentiri nullatenùs poteſt, quæ ait: *Preparatur voluntas à Domino.* Vnde quoque Apoſtolus, Chriſto in ſe loquente veraciter dicit; *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Nec ſolùm initium bonæ voluntatis & operis Deo aſſignat Apoſtolus, verùm etiàm ab ipſo vtrumque teſtatur impleri, dicens: *Vt dignetur vos vocatione ſuâ Deus noſter: vt impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in*

Prou. 8. 35. ſecũdùm LXX.

Philip. 2. 12.

2 Theſ. 1. 11.

virtute. Et vt ostenderet hoc per gratiam fieri, secutus adiunxit: *Vt clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in illo, secundùm gratiam Dei nostri & Domini Iesu Christi.* In illis ergo qui voluntariè saluantur, gratia diuina operatur vt velint: in illis autem qui nolunt, humana duritia perseuerat vt nolint. Quam tamen duritiam homo non habebit, cùm eam Deus auferre voluerit: sine difficultate quippe Deus potest implere quodcumque voluerit, qui ait de quibusdam: *Auferam ab eis cor lapideum & dabo eis cor carneum.* Aufert ergo cor lapideum, duritiam cordis auferens: dat cor carneum, gratiam sanctæ credulitatis infundens. Sic emollitur cor quod fuerat durum, quo sanctæ fidei tribuatur exordium.

Versu 12.

Ezech. 36.26.

CAPVT XV.

Liberum verò humanæ mentis arbitrium, in primo homine rectùm creatum est: non tamen sine adiutorio gratiæ: talis vtique gratiæ, quâ posset si vellet, in eâdem rectitudine permanere: & à quâ posset si vellet, auersâ voluntate discedere. Nunc autem in vnoquoque homine gratia præueniens operatur, vt libertas arbitri corrigatur. Arbitrium autem hominis in quantum corrigitur in tantum liberatur: in tantum autem captiuum ducitur, in quantum adhuc noxiæ seruitutis necessitatibus implicatur. Quæ necessitates non solùm filios sæculi mortaliter premunt, verùm etiàm filios Dei frequēter affligunt. Ipsa est illa lex peccati, quæ illum militem strenuum, id est, Paulum Apostolum, condelectantem legi Dei secundùm interiorem hominem: illa in membris habitans, & legi mentis repugnans, quāuìs sibi non posset in effectu subiicere, non tamen quiescebat in suggestionib⁹ cōcupiscentiæ captiuare. Vnde idē Apostol⁹ ait: *Condelector enim legi Dei secūdùm interiorem hominem: video autem aliam legem in mēbris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati quæ est in membris meis.* Nec siluit, solo se posse auxilio gratiæ liberari: ideò sequitur dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Habuit ergo in mente gratiæ fortitudinem: sed in carne infirmitatem sentiebat arbitrii, quam non habuit Adam priusquàm deprauaretur voluntariâ præuaricatione mandati. Inde est

Rom. 7. 22.

Versu 24.

quòd Apostolus, non sub lege sed iam sub gratiâ constitutus, licèt mente seruiret legi Dei, cogebatur tamen carne seruire legi peccati; quia illud illi in voluntate diuinitùs datum erat, illud in eo necessitate remanserat. Illis quippe necessitatibus vrgebatur inuitus, à quibus eripi omnis sanctus & optat, & postulat, dicens Deo, *De necessitatibus meis eripe me.* Harum necessitatum in se Apostolus molestiam sentiens dicebat; *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio. Si autem quod odi malum, hoc ago, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

Psal. 24. 17.

Rom. 7. 19.

CAPVT XVI

Hæ necessitates non desinũt in corpore mortis huius mortaliter viuentibus sanctis; quib⁹ miserabiliter quidem cõcutiũtur, vt agnoscant se illã gratiam sanctæ libertatis & pacis primæ, in primo homine peccati merito perdidisse: nec eam posse nisi per gratiam Christi recipere, in illâ dumtaxàt vitâ, in quâ nulla erit sãctis sollicitudo certaminis, sed perfecta securitas pacis: tũc vtiq; quãdo insultabitur morti, exstirpatâ de mẽbris omni cõtentione peccati. Tunc veraciter in illâ pace dicetur; *Absorpta est mors in victoriâ. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est,* in quod primi hominis preuaricatione cecidimus, & sine quo in hac vitâ non sumus. *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vigilandum est igitur in certamine, vt requiescatur in pace: cogitanda est liberi arbitrij semper infirmitas, quam nobis primi hominis generauit iniquitas: & ad subrogandum virtutis auxilium suppliciter poscenda est diuina majestas, vt laborantibus tribuat virtutem, & victores nos perducat ad pacem: vbi perfectam, & ab omni peccato plenissimè liberatam habeamus arbitrij libertatem: tunc quando omnis creatura quæ nunc renouatur in Christo, liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Cùm autem liberabitur, procul dubio & liberæ pacis & pacatæ libertatis munere perfruetur. Quòd si illa pax illáque libertas tanta etiàm nunc inesset homini, quantam habuit primus homo ante peccatum, non videret

1. Cor. 15. 54.

1. Ioan. 1. 8.

in membris suis aliam legem, quæ legi mentis suæ contumaciter repugnaret, & captiuum in legem peccati violenter abduceret. Liberum itaque humanæ mentis arbitrium, priusquàm primus homo peccaret, in tantum fuit verè liberum, in quantum in se nihil ex se sentiebat aduersum. Inerat ergo ei sanitas & felicitas: nec aliquam sibi sentiebat inesse miseriam, quia tenebat rectâ libertate iustitiam. Iustitiæ quippe liberaliter seruiebat, ideò de verâ libertate gaudebat.

CAPVT XVII.

PRimus vtique homo, quamdiù iustitiæ seruiuit, peccatum omnino non habuit. Nos autem, quamuìs liberati à peccato, serui autem facti Deo; tamen *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* (1. Ioan. 1. 8.) Adam ante peccatum, non habuit super se graue iugum, quod est super filios eius à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. In Adam ante peccatum nullam habuit caro concupiscentiam, quæ spiritui repugnaret: sic enim faciliter dominabatur corpori, sicut obsequebatur fideliter conditori. Anima illa subditum habuit corpus, quam purus Deo subijciebat affectus: nunc autem in eo nos non perfectè obedire Deo cognoscimus, in quo in nobis caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, vt non quæ volumus illa faciamus. Libertas ergo primi hominis maiorem habuit pacem; sed nunc libertas fidelium per gratiam, maiorem accipit caritatem: illi fuit prorsùs quieta in pace iustitia, istis gloriosa datur in congressione victoria. Maior ergo nunc datur gratia, dum per fidem liberum reparatur arbitrium: & cùm dono fidei atque caritatis infuso, arbitrij nostri Deus reparat libertatem, sic in nobis perficit in infirmitate virtutem. Sano enim primi hominis arbitrio subrepsit ruina per vitium: vt autem in hominibus sanetur arbitrium, maior gratia est donata post vitium. Ita factum est, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret & gratia: ac per hoc, arbitrium dono Dei reparatur: & si non tantam habet, quantam priùs habuit sanitatem & pacem, maiorem tamen accipit ex largitate virtutem; vt voluntas hominis quæ

solâ deceptoris suasione à Deo discesserat, nunc gratię subnixa presidio, non solùm suasionibus sed nec tormentis separetur à Christo. Ità Christus Deus mirabiliter ostendit quid humana virtus valeat, quid diuina; vt homo qui per propriam voluntatem victus est sanus, acceptâ maiore gratiâ non vincatur infirmus. Virtus itaque hominis quæ minorem habuit gratiam, sponte victa cecidit: & infirmitas hominis maiore adiutorio gratię, victoriam recipit quam amisit. Potestas vtique bene vel malè operandi, potest inesse homini vtenti ratione; sed malè operandi potestas, ex solo liberę voluntatis habetur arbitrio. Potestas autem bene operandi tunc libero inest arbitrio, quando donatur à Deo. Hanc potestatem diuinitus dari, Iohannes Euangelista hoc sermone testatur; *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius.* *Ioan, 1. 12.*

CAPVT XVIII.

Quæstionē verò de animâ quam penultimam vestris in litteris posuistis, ego in hac responsione vltimam posui, quam magis arbitror conflictum apud vos habere quàm terminum: in quâ plùs potest augeri contentio, quàm suffragari cognitio. Vtraque enim pars sic suis assertionibus nititur, vt contrarijs nihilominùs obiectionibus reuincatur. Cuius quæstionis Beatus Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit huius rei definitam proferre sententiam; incongruum prorsus existimans, aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contrariâ responsione conuellere. Cuius tam in decimo libro de Genesi ad litteram, quàm in libris ad Vincentium Victorem de origine animæ, necnon in libro primo ex duobus quos ad Sanctum Hieronymum scripsit; in tribus quoque epistolis quas ad Optatum Episcopum de hac quæstione composuit, disputatione refulget non minùs copiosâ quàm profundâ; & eo magis laudabili, quia congruâ temperie moderatâ. Vbi quicquid ingenii acumine, quicquid ratiocinationis ordine, quicquid auctoritatis pondere inquirendum, discutiendúmque conspexit; & inquisiuit singulariter, & discussit. Consensum tamen ab

vtrâque diffinitione continuit, ne laborem tantę disputationis inaniter susciperet, quem cuiuslibet sentẽtię temeraria diffinitio vacuaret. Videbat, eam partem quæ affirmat animam de animâ sicut corpus de corpore propagari; & illam quæ asserit nouas singulis nascentibus animas fieri, contrariis posse responsionibus submoueri: quarum pro compendio responsiones singulas, series huius operis tenebit insertas.

CAPVT XIX.

ILli quippe qui nouas animas asserunt singulis fieri, cùm illis opponi cœperit, quâ iustitiâ Dei, anima quæ noua datur corpori, peccatum originale trahat, cùm de humani seminis propagatione non veniat; omnino deficiunt, duplici scilicet absurditate constricti: quia vel Deum pronunciare compellantur iniustum, vel negare cogantur originale peccatum. Anima enim quę non propagatur vt caro, non debet cum carne originalis peccati teneri consortio: ac per hoc inuenitur nec indigere Baptismatis Sacramento. Et si in paruulo qui sine Baptismate moritur, sola caro est peccati originalis contagione polluta: & anima non baptizati infantis, sine iniquitate de hoc sęculo putatur exire: dicatur vbinam sit paruulus in resurrectione futurus: vtrùm in regno Dei, propter munditiam animæ: an in igne æterno, propter immunditiam carnis. Vbicumque futurus dicatur, aut mendax Deus aut iniustus asseritur. Mendax est enim si non baptizatum introducit in regnum, cùm firmissimam præfixerit Saluator ipse sententiam, dicens; *Si quis non renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Iniustus est autem, si cum carne miserit animam in ignem æternum, quæ cum carne non habet commune peccatum. Sed manifestum est, omnem qui non fuerit aut in nomine Christi sanctificato latice, aut pro Christi nomine & eius Ecclesiâ proprio sanguine baptizatus, ignis æterni combustione damnandum. Quâ ergo iustitiâ diuini iudicij, anima cum suâ carne in ignem æternum mittetur, si peccati originalis crimine non tenetur? An fortè hanc absurditatem quisquam tentabit arripere, vt animam seorsùm dicat pro suâ munditiâ *in

Ioan. 3. 5.

* Hìc deest *felicem*, vel quid simile.

æternum futuram, carnem verò afferat in æterno igne, originalis merito iniquitatis arsuram? Sed veritas catholicæ fidei, quæ in cunctis hominibus resurrectionem carnis futuram certissimè credit & prędicat, destruit huius adinuentionis ineptissimam falsitatem. Caro enim si animam non recipiet, non resurget: & si non resurget, vtique nec viuet: quæ ergo sine animâ non potest viuere, quomodò exanimis poterit illius ignis cruciamenta sentire? Necesse est itaque vt carnem negent resurrecturam, qui volunt animam non baptizati paruuli propter munditiam collocare in regno. Quod etiam ipsi vident quemadmodùm dicatur non solùm tam absurdè quàm impiè. Magnæ quippe impietatis est, aut resurrecturam negare mortuam hominis carnem; aut animam dicere, absque carne in quâ vixit, vel ærumnæ vel felicitatis post iudicium fore participem: cùm Saluator noster futuram resurrectionem carnis ostendens dixerit; *Quia veniet hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*. Necesse est autem vt resurgente corpore, pro operibus suis sit retributio animæ carnisque communis: quia cùm caro resurrexerit, nec corpus sine animâ, nec anima sine corpore remanebit. Erit igitur communiter animæ & carni æterna vel exultatio vel afflictio, quando indissolubilis manebit æterna carnis animæque connexio: quæ tamen non debent habere commune supplicium, si non habent commune peccatum; quia non conuenit iustitiæ Dei vt anima quæ nouo corpori datur, nec cum ipso corpore propagatur; cum quo communem non habet propaginem, reatum propagationis compellatur habere communem.

Ioan. 5. 28.

CAPVT XX.

ILli verò qui asserunt animas cum corporibus propagari, possunt quidē ex hoc ad ostēdendum in paruulis iustum Dei iudicium, firmare non solius carnis, nec solius animæ, sed vtriusque commune originale peccatum; vt ex communione propaginis, peccati quoque reatus dignè credatur esse communis: sed in consideratione seminum quæ non concepta pe-

reunt, penitùs obmutescant. Animam quippe humanam certum est, æternitatem ipso conditionis munere percepisse; quæ necesse est vt corpus in quo hìc quantulocumque tempore vixerit, in resurrectione recipiat. Quis ergo dicat animata semina profluxisse, siue illa quæ non concipiuntur, siue quæ nocturnâ illusione funduntur? quod omnis sapiens videt quàm sit absurdum, & à ratione omnimodis alienum. Dum ergo his atque huiusmodi propositionibus partes se inuicem vincunt, victrices esse non possunt; quia vnaquæque earum sic victrix efficitur de alieno, vt vincatur de suo; & cùm alienam propositionem destruxit, ipsa non valet astruere quod proponit. Quantò ergo meliùs ab huius quæstionis certamine temperamus, in quâ nos inaniter laborare cognoscimus: præsertim quia quod à sanctis viris maioribus nostris videmus minimè definitum, oportet nos tantò cautiùs atque temperantiùs quærere quantò ad eius finem illos præclaros viros cernimus minimè peruenisse. Sit ergo nobis sine dubitatione compertum, quod catholica fides & credit & prædicat: animam scilicet humanam spiritum rationalem esse, non corpus: nec esse Dei partem, sed Dei creaturam: nec pro quibuslibet peccatis ante corpus gestis, tanquam in carcerem missam in corpus; sed ex opere atque ordinatione Dei insertam esse corpori, ex quâ corpus & viuat & sentiat: quam non dubitemus, cum carne in quâ nascitur, originale peccatum trahere, & ob hoc beneficio sancti Baptismatis indigere.

CAPVT XXI.

HIs enim omissis quas suprà posuimus, catholicæ fidei veris manifestisque sententiis, in diuersos errores multi miserabiliter inciderunt. Tertullianus quippe animam non spiritum esse dicens sed corpus, vehementer errauit, eò vsque desipiens, vt etiam summum & verum Deum corpus esse diceret: cùm non solùm de Deo rerum omnium creatore legamus quia *Deus spiritus est*, verùm etiàm de Angelis quos Deus creauit, dicatur in Psalmo; *Qui facit Angelos suos spiritus.* Animam quoque humanam spiritum rationalem esse nemo sapiens dubitet: de quo spiritu Apostolus dicit: *Quis enim*

Ioan. 4. 24.
Psal. 103. 4.
1. Cor. 2. 11.

ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ideò & ſanctus Euangeliſta rationalem animam, quam Chriſtus cum carne ſuſcepit, non corpus ſed ſpiritum eſſe docuit: nam ipſe Saluator dixerat; *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*: quam ſine dubio tunc poſuit, cùm Euangeliſta dicit quia *inclinato capite emiſit ſpiritum.* Anima verò humana in eo rationalis oſtenditur, in quo ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta narratur. Vnde diuinitus homines admonentur, ne fiant *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Animam verò partem Dei eſſe, id eſt, vnius cum Deo eſſe naturæ, cœca Manichæorum ſentit impietas, quæ Dei ſubſtantiam non ſolùm in corporibus hominum, pecorum, auium, atque piſcium; verùm etiam in lignis & herbis, in arboribus & oleribus æſtimant colligatam. Ignorant enim miſeri, nec attendunt non hoc eſſe creaturam quod eſt creator; cùm Deus ſit immutabilis, anima verò mutabilis: quæ modò ſcit, modò neſcit; modò deficit, modò proficit; modò ſapit, modò deſipit; modò reminiſcitur, modò obliuiſcitur; modò odit quod modò dilexerat, modò diligit quod modò oderat; modò incidit in ſeductionis laqueum, modò etiàm non ſeducta præbet tamen errori conſenſum. Quod Beatus Apoſtolus in Adam & eius muliere certiſſimè oſtendit, dicens; *Adam enim, non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* Mulier ergo ſeducta peccauit, cui vir non ſeductus voluntariâ prauitate conſenſit. Impium eſt itaque credere, animam partem eſſe Dei: quæ ex eo quòd aliquando in deterius commutatur, non pars diuinę naturæ, ſed quędam pars diuinorum operum inuenitur: ex illis quippe operibus eſt quæ fecit Deus, ſingula quidem bona, ſimul autem omnia bona valde.

Ioan. 10. 18.

Ioan. 19. 30.

Pſal. 31. 9.

1. Tim. 2. 14.

CAPVT XXII.

ILlud quoque fidei eſt omnino contrarium, animam antè quàm fuiſſet in corpore, in quibuſlibet locis cœleſtibus aut terrenis aliquid deliquiſſe, & merito cuiuſquam peccati in corpus meruiſſe detrudi; quod ſenſiſſe dicitur Origines. Cui omnino Apoſtolus Paulus obſiſtit, dicens, nondum natos

Rom. 9. 11.

nihil egisse boni vel mali. Actus quippe nascentium nulli sunt proprij; cùm tamen antiquo primi hominis peccato nascamur obstricti. *Per vnum enim hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*: vnde naturaliter filij iræ facti sunt, seruique peccati: seruientes autem peccato, liberi facti sunt iustitiæ; vtpote qui in iniquitatibus concepti sunt, & quos in delictis matres suę in vtero aluerunt. Ex hac originalis obligatione peccati, amissa est illa bona libertas arbitrij; quando malæ libertatis vitio, cœpit homo peccato voluntariè famulari. Ideò est omnibus hominibus, in omnibus ætatibus constitutis (id est, ab ipsâ natiuitate de ventre matris, vsque ad finem decrepitæ senectutis) necessarius sanguis Christi, qui in remissionem fusus est peccatorum, & solus potest delere omne peccatum. *Vnus est enim mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*; in cuius morte quisquis non fuerit ei in Baptismate consepultus, nec potiri regno, nec ignis æterni poterit carere supplicio. Veritas quippe ait, quia *si quis non fuerit renatus ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quapropter de omnibus hominibus, pusillis & magnis, infantibus, pueris, adolescentibus, iuuenibus, senibus accipiendum est, quod ille Doctor gentium in fide & veritate veraciter dicit; (non enim est distinctio); *Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei: iustificati gratìs per gratiam ipsius, quæ est in Christo Iesu: quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Præcedens autem delictum cùm in infantibus quæritur, illud sine dubio primum primi hominis inuenitur, quod per primum hominem in hunc mundum intrauit, & in ipso auctore totam sibi progeniem originaliter vendicauit. Quæ propago indiget sanguine illius mediatoris redimi, qui verus in formâ Dei permanens Deus, ita semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, vt nec originalis nec actualis maculam posset habere peccati.

Rom. 5. 12.
1. Tim. 2. 5.
Ioan. 3. 5.
Rom. 3. 23.

CAPVT XXIII.

IN ipso itaque nobis reddita est vera libertas, cui nulla potuit inesse vel originalis vel actualis iniquitas. Inde est quod ipse dicit; *Ecce venit Princeps mundi, & in me non habet quicquam.* Ipse iustus & iustificans, liber & liberans; qui vtique iustificando liberat, & liberando iustificat. Liberat autem homines de potestate diaboli, liberat arbitrium hominis à seruitute peccati; vt sit arbitriū hominis verè liberum, quia salubríter liberatum; & ad hoc insit ei vera libertas, vt ei nulla dominetur iniquitas. Hanc se libertatem daturum esse per gratiam, ipse liberator noster hoc sermone testatur; *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et paulò post; *Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Filius ergo ab illâ peccati seruitute liberat, vt arbitrium liberum Christi gratiâ liberatum, iustitiæ laudabiliter seruiat, quod peccato nequiter seruiebat. Ita fit vt non per arbitrium hominis, sed per gratiam liberatoris, non regnet peccatum in mortali corpore, dum iustificamur ex fide: & per adiutorium gratiæ, Deus in nobis operatur & velle & perficere pro bonâ voluntate; ipse nobis bonam voluntatem donans, ipse facultatem boni operis subministrans, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum; sine quo nihil facere possumus, & in quo omnia possumus, in quantùm ab eo gratiam virtutis accepimus. Quod vtique rectâ confidentiâ Beatus præsumit Apostolus, dicens; *Omnia possum in eo qui me confortat.* & iterum; *In quo laboro, certando secundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute.*

Ioan. 14. 30.

Ioan. 8. 34.

Vers. 36.

Philip. 4. 13.

CAPVT XXIV.

HÆc omnia fideliter atque indubitanter tenentes, sine periculo sumus, etiàmsi quemadmodùm dentur animæ corporibus nesciamus. Sufficit autem scire, nos primâ natiuitate pollutos, secundâ natiuitate mundatos; primâ natiuitate captiuos, secundâ natiuitate liberos; primâ natiuitate terrenos, secundâ natiuitate cœlestes; primæ natiuitatis vitio carnales, secundæ natiuitatis beneficio spiritales; primâ natiuita-

te filios iræ, ſecundâ natiuitate filios gratiæ; primâ natiuitate filios ſæculi, ſecundâ natiuitate filios Dei. Proinde etſi ſcire non poſſumus quemadmodùm anima detur corporibus; illud rectè credendo & bene viuendo, illud inſtantiſſimè ſatagamus, vt in regno Dei & anima noſtra lætetur & corpus. Illud ergo ſi ſcire non poſſumus, patienter ignoremus: regnum autem Dei ardenter atque inſtanter quæramus; vbi procul dubio etiàm hoc Deus nobis reuelabit, quod non hìc nobis inaniter occultatur, niſi quia in hac vitâ forſitan non competit vt ſciatur. Quòd ſi quiſquam diuinitùs illuminatus, aut indiciis certiſſimæ rationis, aut teſtimoniis ſanctæ auctoritatis valuerit vel agnoſcere vel docere, animas humanas aut nouas ſingulis corporibus dari, aut cum ipſis corporibus propagari; illud interim aſſerat, quod habet fides eccleſiaſtica manifeſtum: omnes ſcilicet homines ex ipſo conceptu trahere originale peccatum, quod ſit in ſingulis naſcentibus vnius mediatoris ſanguine remittendum; vt impietatis nexus qui primâ natiuitate contrahitur, ſecundâ natiuitate ſoluatur: & per Filium Dei qui factus eſt ex muliere, factus ſub lege, vt adoptionem filiorum reciperemus; ipſius adoptionis gratiam quam vnuſquiſque perdiderat vitio hominis peccatoris, recipiat beneficio Redemptoris. Hoc indubitanter aſſerens, quicquid deinceps ſecundùm veritatem poterit de animarum origine demonſtrare, rectè faciet non tacere. Tunc autem quæſtio de animâ rectè tractatur, ſi non dubitatur de originali peccato humani generis, & de beneficio ſancti Baptiſmatis quod captiuis donatum eſt per gratiam Saluatoris; qui dignatus eſt & totam ſine peccato naturam noſtri generis accipere, & omnem culpam noſtri criminis abolere.

FINIS.

INDEX

INDEX I.

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, *quæ citantur in hoc volumine.*

DE VETERI TESTAMENTO, *ferè ſecundùm L XX. Interpretes.*

De Libro Prouerbiorum.

De Ecclesiaste.

De Actibus Apostolorum.

Ex Epiſtolâ Pauli ad Romanos.

Ex Epistolâ secundâ ad Corinthios.

Ex Epistolâ ad Galatas.

Ex Epistolâ Iacobi.

Ex Epistolâ Iudæ.

De Apocalypsi.

INDEX II.

ALIORVM SCRIPTORVM à ſacris & canonicis.

Iii

INDEX III.

RERVM ET VERBORVM NOtabilium huius voluminis: in quo numerus paginam ostendit, a. primam partem paginæ, b. mediam, c. tertiam & vltimam. Romanus porrò numerus Saracenico subiectus, subinde Capitulum designat in Ferrandi & Crisconij Breuiarijs.

FINIS.

Errata, prætermissa, & variæ quædam lectiones.

PAg. v. lin. 10. Septimunicensi. p. VI l. 5. Mediolanensi. p. VII. l. 7. Breuiarium: p. XIV. l. 26. inter. p. XX. l. 18. *dele* in. p. 26. *ad marginem*, Dionysiu 13. & 16. *lege* 13. & 49. ibidem, Dion. 17. *lege* Dion. 50. p. 27. cap. VIIII. Sacerdotes. p. 28. l. 4. tit. II. *lege* tit. XI. p. 28. cap. XVII. tit. XXXVII. *lege* tit. XXXVIII. p. 29. cap. XXX. *ad marginem*, Dionys. 63. *lege* 62. p. 30. lin. penult. XXXIIII. *lege* XXXIX. p. 32. cap. LVII. tit. VII. *lege* tit. VIII. p. 41. cap. CLX. tit XI. *lege* tit. XV. p. 75. l. 7 Fulgentio Episcopo Ferrandus. p. 85. l. 20 21. *dele* nec ad solum Patrem sicut Filius. p. 91. l. 29. diuinitas pati potuit. p. 92. l. 2, coniungens. p. 93. l. 22. Sicut Deus. p. 96. l. 3 4. non culpa: nec in Domino. p. 97. l. 1. filius hominis dicitur, non etiam Filius Dei. p. 98. l. 17. 18. v. credamus Dei Patris. l. 28. nec vere. p. 99. l. 11. natus est p. 100. l. 7 *dele* aliud. p. 101. l. 26. & quod. p. 102. l. 35. veritas habuit. p. 103. l. 35. pertinebant p. 104.

l. 30 magnis me.p, 105. l. 21. mensuram huius largitatis. p. 106. l. 21. de animâ Christi sentire. l. 27. accepit:ipsum enim quem ad mensuram dat, totum accepit: ad mensuram.p. 108. l.7 Qui sit, p. 109. l. 21. suis, cui non. p.110. l. 9 Non sic. p. 111. l. 22. vera, caraque diuinitas. l. 26. vtique per. l. 33. accipiamus. p. 112. l. 19. ponit. *lege* nouit. p. 114. l. 8. vide quid ait. p. 115. l. 17. dicimus; per Spiritum verò sanctum nullatenus dicimus: quod. p. 119. l. 11 Spiritus sancti. l 22. quæstione propositâ. l. 34 alij adserentes. p 120. l. 2. quoddam. l. 8. Sic quidem. p. 124. l. 36. autem p. 125. l. 19. illis. p. 127. l. 7. ad vinum. p. 132. l. 9. qui Dominum nostrum Iesum Christum. p. 139. l. 13 14. meum, qui videt. l. 37. Sed si Beatus. e. 141. l. 36. dilectori. p. 143. l. 31. *dele* quæ. p. 154. l. 2 *dele* ac semper tenere. l. 18. *dele* non. l. 20. felicitatis. p. 157 l. 12. superbus. l. 13. feliciter. p. 158. l. 9. est enim bellum. l. 22. feritate naturali. p. 163. l. 25. celando p. 168. l. 30. appelletur Spiritus sanctus. l. 38. 1 qui Filius. p. 169. l. 1. fuit; non. p. 171. l. 2. nolentes, non dolore. l. 4. absit. p. 173. l. 25. iuratur vt proximus fiat, & propter hoc iuramentum requirit, vt. p. 176. l 6. 7. natus est, vel. l. 20. suscipias delectationem. p. 177. l. 10. nec æstimes. p. 178. l. 29. vt quia. l. 30. liceat. p. 179. l. 11. constrinxit. l. 36. sæuiens, non. p. 187. l. 20. coaptabitur. l. 37. fuerit. p. 189. l. 4. Deo illi erit. p. 194. l. 30. passum carne. 196. l. 16. qui vniuersa quæ audit mauult sollicitus. p. 198. l. 1. non totiens. l. 29. Et ex vtero. p. 199. l. 36. *dele* suam. p. 204. l. 5. videatur habere commune. p. 206. l. 3. sentit. p. 213. l. 11. Túne. l. 22. confidenti. p. 215. *ad marginem dele* Thren. 3. 27. *& lege* Eccli. 51. 20. p. 252. l. 20. Quod vtique si. p. 253. l. 26. sententia. p. 278. l. 30. Deum habet. p. 297. l. 13. conflans. p. 298. l. 34. expungendas. p. 338. l. 22. *post illa verba*, non ideò debuit. *adde*. Et si sensisset Ferrandus (quod nonnulli. Theologi) fuisse Deiparam Virginem à peccato originali aliquando purgatam, dicturus videbatur, *cui inextitit peccatum*. Si autem existimasset, vt multi, eam præseruatã fuisse à peccati labe, cui contrahendæ obnoxia erat vt Adami filia, dixisset opinor, *cui debuit inesse peccatum*. Quare, cùm tantùm ait, *cui potuit inesse peccatum*, videtur innuere quòd in Dei pacto ac præscientiâ vt Dei mater, vnà cum filio à communi lege excepta fuerit, adeoque ne debitum quidem peccati contraxerit. Videtur inquam: hoc enim sensisse Ferrandum non ausim affirmare: præsertim quia loco eodem, paucis anté versibus ait, dissimilem esse carnem Christi à carne Mariæ, quia *caro Christi non contraxit vitiatæ originis contagionem*, & *nullas penitùs neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates*. Quibus verbis peccatum appingere videtur Mariæ: nisi eo sensu locutus putetur quo nonnulli Patres, & in his Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 24. ac Fulgentius libro de Incarnatione & gratiâ Christi, cap. 7. carnem Mariæ appellant *carnem peccati*: quòd esset ex voluptate, siue (vt loquitur Fulgentius) humanâ sollemnitate concepta: adeòque peccato inficienda, nisi præseruata, vel in pacto excepta fuisset. Viderit tamen immaculatæ Conceptionis pius propugnator, num hoc loco Ferrandum potiùs deserere, quàm ad se trahere velle debeat. p. 353. *ad marginem*, 264 a. *lege* 246. a. p. 370. l. 15. oportet nos. p. 371. l. 7. alius quis. Ego Deus. p. 372. l. 3. Sed erunt. l. 25. Patris eius scriptum in frontibus. l. 34. Et quia habet. l. 37. Filius dicit Philippo. p. 373. l. 25. complacuit habitare omnem plenitudinem diuinitatis. p. 374. l. 1. Domini nostri Iesu Christi l. 29. in filiâ Babylonis. p. 375. l. 1. effundit, p. 376. l. 25. Et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ ? Dominus virtutum. l. 28. distincti sunt. p. 377. l. 1. omnipotentis. l. 11. non prodest. p. 378. l 7. *dele* autem. l. 13 Domini nostri Iesu. p. 379. l. 11. Deus est, quem. p. 380. l. 20. *Ex duobus antiquis codicibus, scribi debet in medium tituli*, Fides catholica. *tum à capite lineæ*, Ineffabilem &c l. 21. *dele*, non potest: *pro quo restitue*, impossibile est. l. 26. indicari. p. 381. l. 2. æqualis. Nihil enim Patre minùs habet ille qui dicit; *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Et quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, non. p. 396. l. 17. tribus. p. 398. l. 19. arbitrij. p. 401. l. 19. arbitror. *In primo Indice*, p. 1. *columna*. 1. l. 8. *post* ad iustitiam. *adde* 386.

00526 5095